


Author est Maria Liruti; et hanc Ratisb. editionem fieri iussit Frobenius ille ultimus ad S^m^ Emmeran. abbas & princeps. Sic D. Anton. Sporer Monachensis, hisce quondam regionibus vivens et exinde bene notus, nunc Monachii.

Confer die Notiz von Friedr. Hurter in „Befeindung der Kath. Kirche in der Schweiz seit 1831" Schaffhausen 1842 I, 288

DE FINIBUS UTRIUSQUE POTESTATIS ECCLESIASTICÆ ET LAICÆ COMMENTARIUS,

IN QUO

QUÆDAM CONSTITUENDO GENERALIA PRINCIPIA, COMMUNI DISPUTANTIUM SUFFRAGIO PLERUMQUE RECEPTA; MEDIA TENTATUR VIA AD CONCORDIAM

SACERDOTII ET IMPERII.

AUTHORE D. * * * *

PRESBYTERO ET MONACHO ORDINIS S. BENEDICTI E CONGREGATIONE CASINENSI, ET JURISPRUDENTIÆ ECCLESIASTICÆ PROFESSORE.



S. IVO Carnotensis Episc. in Epist. ad PASCHALEM II. R. P. (Scriptor. Franc. Duchesnii tom. 4, pag. 241):


Novit Paternitas vestra, quia cum REGNUM ET SACERDOTIUM *inter se conveniunt, bene regitur Mundus, floret & fructificat Ecclesia. Cum vero inter se discordant, non tantum parvæ res non crescunt, sed etiam magnæ res miserabiliter dilabuntur.*



PRIMO LUGANI, DEIN RATISBONÆ EDITUS IMPENSIS ET LITTERIS JOANN. MICHAEL ENGLERTH, AUL. ET EPISCOPAL. TYPOGR.

ANNO MDCCLXXXI.

Cum Adprobatione Reverendissimi Ordinariatus Episcopalis Ratisbonensis.



PRÆFATIO,

IN QUA AUCTORIS INSTITUTUM PROPONITUR.

NON alia forte res eſt, de qua tam multi ſcripſerint, quam de Finibus ſeu limitibus utriuſque Poteſtatis, REGIÆ & SACERDOTALIS. Vetera monumenta, tum quæ pro una, tum quæ pro alia facere viderentur, perquiſiverunt multi, ac ipſis in fontibus expenderunt omnia. Et tamen poſt apparatus tantos, tantaſque curas, videtur adhuc diſſidium implacabile ardere inter Scriptores eos, qui Sacerdotii cauſam tuentur, & eos, qui Imperio ſerviunt.

Faterí certe cogimur, inter partem utramque disputantium esse discrimen aliquod tum quoad modos loquendi, tum quoad regulas & principia, quæ utrinque constituuntur. Quod non alia de causa evenire puto, quam vel ob tenebras, quibus Historia præteritorum temporum & vetus Disciplina obsepta est, vel ob humani ingenii infirmitatem & frequentes rationis humanæ lapsus; vel potius ob partium studia, & ob dominantem quæstus & fortunarum cupiditatem.

Quod quamquam ita esse fateor; adhuc tamen videntur mihi partes in summa rei convenire: id quod illi facile intelligent, qui generalia principia ac veluti axiomata ab utrisque plerumque admissa consideraverint: quæ principia a communi Naturæ sensu ducta nobis proposuimus in hoc brevi COMMENTARIO exponere.

Vetera autem facta particularia ac monumenta in hoc libro ad examen iterum non vocabo ex professo saltem & de industria, post innumeros Scriptores, qui illa versarunt & nunc uno in aspectu collocarunt, nunc in alio; unusquisque pro sua vel peritia, vel fine & instituto.

Non est præterea dissimulandum, inquisitionem factorum illorum ac monumentorum, fatente Parisiensi Archiepiscopo Petro de MARCA *in Præfatione ad libros de Concordia Sacerdotii & Imperii §. 2*, hoc in argumento *esse viam multis insidiis, & veluti latronum prætenturis expositam; quia in expansa illa seculorum serie varia occurrunt exempla hinc & inde USURPATÆ JURISDICTIONIS, quæ ancipitem animum ad desperationem inveniendæ veritatis adigant.*

Cum

Cum tamen ex antiquitate a viris quibuſdam, pauciſſimis illis quidem, ſed peritiſſimis ac diligentiſſimis tractata multum lucis nanciſci poſſimus ad principia illa noſtro adhibenda Operi, & ad humanam mentem, quæ partium ſtudio aut præjudicatis opinionibus erraret, revocandam in veri ſemitam; hac de cauſa in poſtremam hujus COMMENTARII partem Cap. XX conferemus ſeriem hiſtoricam Poſitionum ſpectantium ad jura & privilegia Præſulum Eccleſiæ, & ad juriſdictionem eccleſiaſticam in perſonas & in res eccleſiaſticas. In quo tamen pro rei amplitudine erimus breviſſimi: cum noſtrum conſilium ſit, non tam geſta vetera narrare vel expendere, quam ex geſtis illis Poſitiones ipſas ac veluti axiomata hiſtorica conſtituere.

Illud vero mihi in hoc Commentario accidit, ut non ſolum Scriptores quoſdam, qui male apud aliquos audiunt, & ab iis nimium vapulant, ab injuria aliquando vindicarem; verum etiam ut alicubi ſenſum eorum aperirem, dum quaſdam dicendi formulas uſurpant, quæ prima fronte quibuſdam viſæ ſunt tum abſurdæ, tum inſolitæ.

Sed ſtudium noſtrum in eo præcipue fuit, ut a præſenti argumento ablegaremus, & ablegandas eſſe ſignificaremus nimias ſubtilitates, nimiam diſtinctionum ac exceptionum ſolertiam, modos loquendi ambiguos & incertos, quæſtiones vero præſertim ac diſceptationes de verbis; quæ quidem quæſtiones ortum habent plerumque, vel quia adverſarii ſententiam non ſumus aſſecuti, aut videre nolumus; vel ſæpius quia amamus magis hominibus ſervire, quam ſanctæ veritati.

Quæ quidem ſcribendi ac agendi ratio intelligi vix poteſt, quantum obſcuritatis & vanæ prolixitatis in hanc materiam intulerit, & quam multas quæſtiones vel pernicioſas, vel ſaltem inutiles, & quam varia diſputantium ſtudia excitaverit.

Atque his regulis ſemel obfirmatus neglexi, dum ſcriberem, nonnulla, quæ ab intemperantibus, aut imperitis videbam mihi poſſe opponi. Nam ſic ego ſtatuebam, nullam eſſe eorum rationem habendam, qui aut contentionis ſtudio, aut ſcribendi prurigine, aut amore inanis famæ novas rerum ac verborum interpretationes ſibi formant, juris regulas novas excogitant, Antiquitatis ſententiam pervertunt; aut qui, ſi novi eſſe non poſſunt, ea iterum revocant, quæ ſapientum virorum judicium jampridem repudiavit non ſemel.

Itemque videbam eos eſſe prætereundos, qui iſta Diſciplinarum noſtrarum capita nondum bene aſſecuti ſunt, ſive quia ordinem ſtudiorum tum in ceteris, tum præcipue in hiſce noſtris adeo neceſſarium non tenuerunt, ſive quia ab ineptis magiſtris inſtituti ſunt, vel tandem quia ante ſententiarum delectum fecerant, quam ſcientiarum fontes adierunt.

Dedimus tamen operam, ut quæſtiones, quæ ad diverſum genus ſpectant, ſeparaEremus ſedulo, ac quid inter utraſque interſit, indicaremus; ne aliter faciendo certa confunderemus cum incertis, & vera falſis miſceremus; id quod illis eſt familiare, qui aut non eam curam adhibent in ſcribendo, quam decet; aut non perfecte rem tenent, quam tractant; aut ſi tenent, refugiunt tamen ſententiam ſuam promere aperte & perſpicue; quos ſane omnes a docendi officio arceri expediret.

Si

Si qui autem ex iis Juris Publici Interpretibus, quos in non paucis articulorum noſtrorum adduximus, inveniantur aliud ſcripſiſſe ab eo, quod hoc loco docuerunt (quod quidem a nobis repertum non meminimus); non ſumimus nobis, ut eos vel defendamus, vel ipſos ſibi conciliemus; cum ſatis nobis ſit, nec ipſos quandoque potuiſſe, quin veritatem faterentur; etſi forte, ut ii ſolent, qui fugam parant, diverſos ſibi exitus reliquerint ad elabendum; qui mos eſt eorum proprius, qui, ut hominibus obſequantur, veritatem turpiter produnt.

Teſtor interim ac profiteor, ex iis, quæ apud illos legi, me nihil diſſimulaſſe aut præteriiſſe, ſi quæ obeſſe eccleſiaſticæ Juriſdictioni viderentur. Horum immo rationem mihi cenſui habendam, ut de eorum pondere liceret cunctis judicare, & me quoque in eorum examine exercerem, ſimulque haberem inpromptu momenta partis utriuſque, & ut inde proficerem, ſi quid veri attuliſſent; præcipue vero ne viderer mala fide agere, qui unam partem proponerem ac confirmarem, neglectis argumentis partis alterius.

Ex iis porro, quæ dicta a nobis ſunt, intelligere quiſque poteſt, eo conſilium noſtrum ſpectare, ut generalia tantum verſemus; relictis particularibus capitibus Rerum Eccleſiaſticarum & Jurisdictionis tum Eccleſiaſticæ tum Mixtæ; quæ quidem capita ſunt tum multigena, tum fere innumera; ut ſcire is poteſt, qui voluerit vel ſolum aſpicere duo illa volumina *Probationum* Libertatum Gallicanarum, Collectore Petro PUTEANO, vel Carolum FEVRETUM *de Abuſu*, aut Vindicias Juriſdictionis Eccleſiaſticæ Antonii ALTESERRÆ, vel etiam Concor-

diam

† 1602 – 1682

diam Petri de MARCA *ſuis* in locis, aut duos illos notiſſimos libros Franciſci SALGADO de Supplicatione ad Sanctiſſimum, & de Regia Protectione; aut Antonium CHARLAM de Libert. Gallic. lib. 4, 5 & 6 edit. recognitæ, vel Renatum CHOPPINUM de Sacra Politia Forenſi, vel Michaelis ROUSSELII Hiſtoriam Juriſdictionis Pontificiæ, vel etiam Opera VANESPENII variis in locis, vel Libertates Gallicanas Petri PITHÆI cum Commentario PUTEANI; aut tandem libellum BERTRANDI Cardinalis adverſus Petrum de Cugneriis; ut prætermittam latum volumen Horatii MARTA *de Juriſdictione per & inter Judicem Eccleſiaſticum, & Secularem exercenda;* & ne alios Scriptores minoris famæ commemorem.

Generalia ergo tantum perſequi ſtatuimus duas ob cauſas. Quarum prima eſt, quia tam multi de illis ſcripſere, ut ſupervacaneum ſit nova antiquis volumina addere.

Altera vero cauſa & potiſſima eſt, quia nihil fere de peculiaribus iis capitibus fixum certumque conſtitui poteſt, ob multam morum varietatem, quæ quoad ea apud varias Catholicas Nationes in Foro utroque conſpicitur; cum paſſim videre liceat ac legere, apud aliquam gentem plura Foro Laico vindicari, apud aliam pauciora; ſeu in hac regione Forum Eccleſiaſticum pluribus potiri, in alia minus eſſe liberum: hic uno modo rem tranſigi, alibi alio: alicubi judicia quædam transferri ad Judices diverſos, pro ratione perſonarum; alibi non item: Forum aliquod Laicum nihil ſibi de uno aliquo capite arrogare; contra vero alios articulos ad ſe trahere, qui apud reliquas gentes Eccleſiaſticæ Juriſdictioni relinquantur:

apud

apud aliquam gentem in partem judiciorum quorumdam Potestatem etiam Ecclesiasticam vocari, minime vero apud hanc: in hoc regno caput unum ratione certæ tantum partis esse Fori Laici; in alio vero integre ac plene, ita ut nihil inde Ecclesiasticum Forum participet: alibi ex ecclesiastica concessione aliquid agi, alibi vero ex confirmata consuetudine: & ut omnia paucis complectar, ita esse varios ac dissimiles mores Nationum, immo & Provinciarum quoad peculiares articulos rerum Mixti Fori; ut pauci ex iis articulis sint, qui uno modo apud omnes æque Nationes constanter regantur ac judicentur.

Igitur particularibus iis capitibus sepositis, is erit istius COMMENTARII ordo: primo Capite narrabimus sententias varias Hæreticorum & Catholicorum de Jure Principis Laici in res ecclesiasticas: per quæ quidem exhibetur Lectori prima eorum facies, quæ pertinent ad totum hoc argumentum de discrimine Potestatis utriusque, Ecclesiasticæ & Laicæ. Et præterea quæ hoc Capite narrata fuerint, habebunt usus frequentes in aliis nostri *Commentarii* Capitibus.

Quinque deinde generales articulos in proximis quinque Capitibus explanamus, quasi fundamenta ad limites Sacerdotii & Imperii cognoscendos. Quorum articulorum primus est, de natura & muniis Potestatis utriusque. Cui cognatus est articulus alter de vi coactiva in Foro exteriori ad vindictam publicam per coercitionem corporalem; ubi ecclesiastica jura a juribus Regni accurate secernimus.

Tertius eſt de Poteſtatis Civilis fonte & origine; ex qua inquiſitione fit aditus ad intelligenda plenius jura & vim iſtius Poteſtatis. Proximo vero articulo quæritur, quænam ſint Cauſæ Eccleſiaſticæ, ſeu cauſæ, de quibus judicium eſt penes ſolam Eccleſiam: cui quæſtioni affinis eſt alia, quam verſamus Capite proximo, de Origine & Indole Libertatis Eccleſiaſticæ, ſeu Immunitatis Clericorum & Rerum Eccleſiæ; qua re perſpecta facilius definiri poteſt, quæ ſint Cauſæ Eccleſiaſticæ ſive ex propria natura, ſive alio ex titulo.

Ab his generalibus fundamentis Capite ſeptimo fit gradus ad rem ipſam proxime explicandam. Nam inveſtigandum eſt, an liceat Principi Laico leges novas condere de Rebus Eccleſiaſticis, non contra Canones equidem, ſed tamen præter et ultra Canonum conſtituta. Quo loco Recentiores quidam refellendi veniunt, qui veteres fines turbare auſi ſunt, et affirmare, aut inſidioſe ſaltem indicare, eſſe in Principe jus nove ordinandi externam Eccleſiæ diſciplinam. Qui inſuper cum ſe tueri præcipue ſoleant ex Judæorum Politia ſacra, ex Juſtiniani Auguſti Legibus, & ex Capitularibus Regum Francorum, effecerunt, ut peculiare examen inſtitueremus in Capitibus octavo, nono, & decimo de tribus hiſce articulis, ad videndum, an inde probetur, ſpectare ad Principem Laicum externam Eccleſiæ diſciplinam nove ordinare.

Cum tamen conſtans ſit antiquitatis vox, Principes eſſe Tutores Eccleſiæ & Dogmatum ac Legum Eccleſiaſticarum, ideo Capite undecimo videndum fuit, cujusmodi ſit illa Tuitio, quo-

uſque

usque protendatur, ac quis illius sit ordo. Ex horum enim ignoratione fit, ut nostri hoc TUITIONIS nomine mire abutantur.

Sunt vero plura disciplinæ capita, quæ personas aut res ipsas respiciunt, & quæ aliquo nomine alterutra Potestas sibi vindicavit; unde existunt causæ, quas *Mixtas* appellamus. Exponitur ergo Capite duodecimo, quæ sit via ad tollendas hisce de rebus controversias inter Sacerdotium & Imperium. Hæc via, si a fidis justitiæ & æquitatis cultoribus teneretur, sola sufficeret ad perpetuam firmandam concordiam Sacerdotium inter & Imperium in universa tum Reipublicæ, tum Ecclesiæ administratione. Etenim quamvis hoc in Capite XII videri prima fronte cuipiam possim distinctam quasi speciem ponere; excurro tamen per totam hanc rem nostram, adeo quidem, ut hinc omnes discordiarum causæ seu prætextus homini cuicunque præripiantur.

Hoc itaque Caput duodecimum velut maiori consideratione dignum proponimus; sicuti etiam Caput decimum tertium, quod est isti conjunctum, & in quo inquiritur, quis sit Judex Controversiarum, quæ incidunt inter Ecclesiam & Regnum. Quorum quidem Capitum præcepta aliis quoque nostri hujus libri Capitibus lucem ac normam præbuerunt non semel.

Deinceps veniendum est ad Reditus & Agros Ecclesiarum. Ac primo asseritur Ecclesiis particularibus sua temporalium bonorum proprietas: ac nihilominus declaratur potestas Regis in ista. Hoc præstatur Capite decimo quarto.

Hinc Capite ſequenti agimus adverſus Invaſores bonorum eccleſiaſticorum : maxime Regum Poteſtas ab iis invadendis arcetur vi definitionum Eccleſiæ ſubinde latarum adverſus errores Novatorum non unius ætatis aut ſeculi. Eodem vero tempore recentior quidam Scriptor refellitur , qui graviſſime in hoc articulo erravit.

Atque idem argumentum perſequimur Capite decimo ſexto, ut explicemus, quo ſenſu bona temporalia Eccleſiarum dicantur *conſecrata*.

Si vero non licet Principi terreno, reditus ac fundos Eccleſiarum a Clericis transferre ad Laicos, vel Fiſco Regio addicere; hoc videbatur ſaltem inveſtigandum, utrum Principi liceat, temporalia eccleſiaſtica bona ab una Eccleſia ad aliam , ſeu ab uno ad alium pium uſum transferre. Hoc executi ſumusCapite decimo ſeptimo ; qua occaſione noſtram ſententiam dicimus de *Commendarum* uſu & more, dum argumentis contrariis reſpondendum fuit.

At Capitibus decimo octavo, decimo nono, et vigeſimo ex veteri eccleſiaſtica diſciplina Ludovici THOMASSINI potiſſimum, nec non etiam ex MURATORII Antiquitatibus Italicis Medii Ævi, ex Hiſtoria Eccleſiaſtica NATALIS ALEXANDRI, & forte ex aliis , eas hiſtoricas Poſitiones digeram , quas ſub hujus præfationis initium me daturum promiſi, ad exhibendas ſcilicet origines , progreſſus , ac viciſſitudines juriſdictionis eccleſiaſticæ in cauſis civilibus Laicorum , & quoad Res Mixtas ; tum immunitatis Clericorum in cauſis & civilibus & criminalibus ; tandem immunitatis redituum & agrorum Eccleſiæ.

In

In quo opere multa nobis diligentia opus fuit, tum ad ſumma rerum capita ex magna THOMASSINI ſilva in noſtros uſus ſeparanda, tum ad res permixtas revocandas ad proprias claſſes; tum etiam ne omnia temere ac ſubito arripientes, erroris inde nobis occaſio daretur: qua de cauſa non prætermiſimus ipſos fontes ſæpius explorare, ubi id res poſcere viſa eſt; & eorum quidem ope nos res in melius compoſuiſſe confidimus.


Atque hæc ſit iſtius mei COMMENTARII deſcriptio. An ea vero præſtiterimus, quæ promiſimus, aliorum erit judicium: conati certe ſumus promiſſa exequi pro viribus. Ubi tamen non hoc aliquis expectet, ut ſimus in cunctis perſpicui, & omnia definite diſtincteque dicamus. Contra enim certe nobis non ſemel eveniſſe credimus, non noſtri quidem animi vitio, ut confidimus, ſed propter multam rei difficultatem, ſeu propter ingenii mei tenuitatem, quam & agnoſco, & experior. Sufficit tamen nobis huius Commentarii principia digerendo, ac rem tum latiſſime patentem, tum implicatiſſimam ad capita non multa revocando viam monſtraſſe aliis, qua induſtriam ſuam ſcientiamque exerceant, ac in publicam utilitatem eam mentis virtutem, qua nos caremus, conferant.

Ceterum ſi quid a me humanitus eſt erratum; pergratum mihi erit admoneri a viris peritis & amicis: errores enim toti mei ſunt. Bona autem & utilia in hoc opere ſi quæ inveneris; id totum tribuas beneficentiſſimo DEO, a quo ſolo habemus, ſi quid in nobis eſt boni.

INDEX CAPITUM.

VIII. *De*

XV. *Longe*



DE



DE FINIBUS UTRIUSQUE POTESTATIS, ECCLESIATICÆ, ET LAICÆ, COMMENTARIUS.

CAPUT I.

De jure Principis Laici in Res Ecclesiasticas, Sententiæ Hæreticorum & Catholicorum.

I. Sententia HÆRETICORUM.

HUGO GROTIUS.

1. ORDIOR ab Hugone GROTIO, cujus est *Commentarius posthumus de Imperio summarum Potestatum circa Sacra.* Est pervagatus liber, & catholicis etiam quibusdam Scriptoribus nec satis doctis nec admodum piis nimium familiaris.

2. Sed ecclesiasticum hoc GROTII systema non proferam, quin prius observem in gratiam Catholicorum, totum GROTII ædificium collapsurum, si error ille capitalis, cui quasi fundamento superpositum est, fuerit disjectus. Hæresis est, a Concilio TRIDENTINO confixa anathemate, negantium, *in Ecclesia Catholica esse HIERARCHIAM divina ordinatione institutam;* cui Hæresi innituntur ceteri GROTII errores.

3. Ea igitur Hæreſi disjecta per Tridentinum, ruunt ceteræ Grotianæ ſtructuræ partes. Nam, ſecundum Eccleſiæ Catholicæ fidem poſita Eccleſiæ Hierarchia, ponatur neceſſe eſt JURISDICTIO SACRA, imperium, ſeu poteſtas aliorum in alios: & hanc Jurisdictionem eſſe oportet non in ſingulos modo, ſed etiam in univerſitatem fidelium, & in ea omnia quibus hæc univerſitas continetur ac regitur; ſicuti Imperans civilis non ſingulos modo cives regit, ſed toti etiam civili Societati dominatur.

4. Jam vero cum univerſitas Chriſtianorum ſeu Eccleſia duabus regatur ac fulciatur partibus quaſi ædificii totius fundamentis; Fide nempe, & DISCIPLINA tum liturgica, tum politica; hæc curare ad eos pertinet, qui partes ſunt Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, ſeu qui ſpirituale imperium habent in Eccleſia & ſacram Jurisdictionem, ſive quos, ut cum Apoſtolo loquar Act. 20 v. 28: *Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos REGERE Eccleſiam Dei.*

5. Iſtorum ergo eſt ea omnia conſtituere, ordinare, ac moderari, quæ ad ſtatum pertinent & œconomiam Eccleſiæ: ad quod rite & ordine præſtandum inſtructi ſunt poteſtate & imperio in fideles ceteros; prout ex nativa HIERARCHIÆ notione, ad quam illi pertinent, intelligimus.

6. Ea pariter hæreſi everſa, & ſupremo Tridentini judicio damnata, alius ſtatim rerum ordo & a GROTIANO diverſus agnoſcitur in Eccleſia divinitus fuiſſe conſtitutus; in Eccleſia ſcilicet, quatenus Clericis conſtat & Laicis: alius, inquam, rerum ordo agnoſcitur, in duas ſummas Poteſtates diviſus, ſpiritualem & temporalem. Ab hac reguntur profana & civilia; ad illam ſpirituale & eccleſiaſticum regimen pertinet.

7. Et ita diſtinctis Poteſtatibus, neutri in alienos fines invadere licet: non Pontifices in civile Principum regimen ſe cum poteſtate immittunt; neque Princeps, qui ſe Filium non Dominum Eccleſiæ profiteatur, poteſtatem in ea exercet, quæ ad Eccleſiæ ordinem & regimen ſpectant; id eſt, ſive in fidem, ſive in Eccleſiæ DISCIPLINAM tum liturgicam tum politicam. Quænam vero ſint Imperantis officia in Eccleſiam, qua defenſoris ac vindicis armati fidei & diſciplinæ, dicam loco ſuo.

8. Ab hoc igitur Canone ſexto Seſſionis 23 Concilii TRIDENTINI: “ Si quis dixerit, in Eccleſia Catholica non eſſe HIERARCHIAM divina „ ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex EPISCOPIS, Presbyteris & mini-„ ſtris, anathema ſit„: ab hoc, inquam, Canone totum GROTII ædificium funditus evertitur.

9. Hæc vero Catholicis quibusdam incautis conſideranda propono, qui nunc rebus novis ſtudent, nec intelligunt, quam lubrico ſolo inædificent, aut quo tandem iſte novitatis amor ſit erupturus.

10.

10. Hisce expositis tuto nunc licebit GROTIUM audire, in memorato *Commentario* decreta suorum Protestantium de natura & statu Ecclesiæ fidentissime renovantem.

11. Eo in libro Hugo GROTIUS in Ecclesia, quatenus & Laicis constat & Clericis, unum tantummodo Caput ponit, seu Ecclesiæ unum cum Imperio caput commune assignat; id est, Principem Laicum. Ab hoc docet manare JURISDICTIONEM omnem, non solum laicam, sed etiam ecclesiasticam; amplius & ab eo omnem disciplinæ & EXTERIORIS SEU PUBLICÆ FIDEI regulam pendere.

12. Quare si declarationes fidei aut morum & disciplinæ a Pastoribus aut a Conciliis prodeant; omni vi obligandi aut cogendi carituras, donec probatæ a summa Potestate fuerint: neque enim esse ullum LEGE DIVINA penes Synodos imperium seu jurisdictionem aut legislativam potestatem. Erunt Concilia & Pastores, quoad Principem, Consiliarii & Theologiæ Magistri; a quorum proinde sententia discedere poterit, & per suum ipse examen scientiamque definire Religionis articulos, EXTERIORIS scilicet & publicæ.

13. " Ecclesia igitur (si GROTIUM audis Cap. 8 num. 10) legislati-
" vam potestatem LEGE DIVINA non habet; quare quæ ante Imperatores
" Christianos in Synodis conscripta sunt, ad ordinem aut ornatum facientia,
" habent aut solam consilii vim, aut obligant PER MODUM PACTI. Ne-
" que hæc tamen obstant, quo minus facultas aliqua LEGISLATIVA Eccle-
" siis, Pastoribus, Presbyteris, aut Synodis concedi possit HUMANA LEGE.

14. Sed observat, *leges a tali aliquo cætu datas rescindi, & corrigi posse a summa Potestate, si ita res exigat: quia non possunt in una republica duo esse legislatores æque summi.* (Animadverte usitatum Protestantibus paralogismum, qui inter regimen Sacrorum & administrationem civilem, sive inter Potestatem spiritualem & temporalem non distinguunt.)

15. Posito autem errori inhæret GROTIUS Cap. 10 num. 19, dum affirmat, " Constantinum quidem Canoni Nicæno, de Electione per Episco-
" pos facienda, vim legis tribuisse; sed id minime obstare, quo minus Impera-
" toribus non licuerit electiones per se exercere; nam cum Canon a summa
" Potestate vim legis habeat, mirum non est, si summæ Potestati, justis de
" causis a lege lata, aut in uniuersum, aut in certa aliqua specie liceat rece-
" dere. Nam & abrogari & temperari leges a legislatoribus solent. Quid?
" quod ne abrogatione quidem (pergit GROTIUS) aut legis solutione
" opus est, cum Jurisconsulti in eo consentiant verbis generalibus in lege
" positis, nunquam censeri exclusum jus summæ Potestatis ". (Sic ab uno errore ad alium, ut fieri solet, GROTIUS dilabitur.

16. Vel in ipſis pœnis, quas eccleſiaſticas vocamus, ex GROTIO, nulla adeſt jurisdictio. " Deponit Paſtorem Eccleſia (inquit Cap. 9 num. 9) cum „ magiſterio ac paſtoratu ipſius non utitur. Excommunicat aliquem, cum ejus „ communioni ſe ſubtrahit. Utrobique utitur jure ſuo, alteri nihil juris demit, „ & quamquam ſine judicio id non faciat, nullam JURISDICTIONEM pro„ prie dictam exercet: eſt enim Jurisdictio SUPERIORIS IN INFERIO„ REM: at judicium ſæpe etiam INTER PARES „.

17. (Vides Lector Catholice, capitalem Proteſtantium errorem, a quo manarunt ceteri; negationem nempe HIERARCHIÆ ECCLESIASTICÆ divinitus inſtitutæ: quo errore ſemel adoptato, ad has miſeras cavillationes, ut ſe tueantur, confugere coguntur. Sed ECCLESIASTICAM HIERARCHIAM divinitus inſtitutam, vindicavit Oecumenicum Concilium TRIDENTINUM Canone ſexto Seſſionis 23, quem protulimus *num.* 8.)

18. " Poſtquam Imperatores (pergit GROTIUS num. 11 ejusdem Ca„ pitis noni) Chriſtianiſmum amplexi ſunt, tum demum JURISDICTIONIS „ pars aliqua Paſtoribus, vt officio publico fungentibus, data eſt. Conceſſum „ eſt Epiſcopis de iis rebus judicare, quæ ad religionem pertinent „.

Hinc dixerat Cap. 7 num. 5, " in Eccleſia publica vt Presbyteria, ita „ & Synodos, præter nativum jus (docendi & declarandi verbum Dei,) ha„ bere adventitium quoddam EX LEGE HUMANA. Ex quo jure de contro„ verſiis cognoſcunt, ut alii conſeſſus aut conventus a ſumma Poteſtate in„ ſtituti, ita ut eam cognitionem COACTIO ſequatur „.

19. Eccleſiam ſcilicet GROTIUS in COLLEGIORUM numero collocat, ſed ordinis eminentioris, ac Regiæ Poteſtati & curæ magis obnoxii, quam Collegia cetera. Et Eccleſia inter Collegia repoſita ponit Epiſcopos, & Clerum reliquum, in iis quæ ad JURISDICTIONEM ſpectant, non aliud eſſe, quam Principis ſubſtitutos ac delegatos, ſeu Vicarios.

20. Quare Cap. 2 num. 2, etſi fatetur, " Eccleſiarum Paſtores qua tales „ ſunt (id eſt, quatenus munere funguntur docendi, & declarandi verbum „ Dei auditoribus ſuis, ſeu fidelibus) non eſſe ſummarum Poteſtatum Vica„ rios; affirmat tamen, eosdem Paſtores, quatenus præter paſtorale munus „ ALIQUID IMPERII AUT JURISDICTIONIS accipiunt, ejus acceſſionis „ ratione veriſſime dici SUPREMARUM POTESTATUM VICARIOS „ aut delegatos „.

21. Ex qua ſubſtitutione Paſtorum facta a ſummis Poteſtatibus, " ema„ nat (ait Cap. 12 num. 4) jus Canones faciendi, qui vim legis habeant; „ jus cum Imperio deponendi Paſtorem, aut civem extra cœtum relegandi; „ quæ Synodis aut Presbyteris permiſſa apparuit. Nec aliunde eſt jus Cleri „ ſive Capitulorum ad peragendas electiones „.

22. " Exiſtimarunt enim Imperatores ac Reges, his qui rerum ſacrarum
„ eſſent peritiſſimi, & QUIBUS REGIMEN PASTORALE A DEO COM-
„ MISSUM, alterum illud QUOD AB IMPERIO EMANAT regimen tuto
„ quoque poſſe committi „.

23. Sed etiamſi Clero ſive Capitulis datum ſit jus ELECTIONES peragendi; ad Principem (inquit) jure ſummæ Poteſtatis, adhuc publicorum Paſtorum confirmatio ſpectat, idemque, ſi velit, ſibi vindicare Electiones poteſt.

24. PASTORALE autem Regimen, A DEO commiſſum eſt Paſtoribus; ſicuti Medicis, Philoſophis, Pædagogis officium declarandi & oſtendendi: cum iſtis ſcilicet GROTIUS plane profano modo Paſtores non ſemel comparat. Paſtorale itaque Regimen, inferioribus hominibus a Deo communicatum, verſatur in declarando, in præcepto oſtendendo, in docendo, in dirigendo, minime autem in imperandi aut obligandi poteſtate.

25. Scilicet nulla Paſtores JURE DIVINO potiuntur jurisdictione ſeu imperandi poteſtate, uti ex GROTIO declarabamus ſuperius; & quando hanc poteſtatem habent, eam ex delegatione ſeu conceſſione imperantis habent. (Hæc vero neceſſe fuit ab eo dici, qui ſemel cæpit errare, contra fidem catholicam negando HIERARCHIAM ECCLESIATICAM divina ordinatione inſtitutam.)

26. Ex GROTIO igitur, duo ſunt in miniſtro Eccleſiæ invicem ſecernenda; officium paſtoratus, & jurisdictio ſeu imperandi poteſtas. Hæc a ſolo Principe manat; illud vero a Deo Miniſter accipit, id quod GROTIUS amplius explicat Cap. 10 num. 2 hac ſimilitudine: " Imperatoria poteſtas non
„ eſt penes Electores; ergo nec ab his datur, ſed ab ipſis tamen certæ per-
„ ſonæ applicatur. Chriſtus ergo (colligit GROTIUS) procul dubio is eſt,
„ a quo jus prædicandi, Sacramenta exhibendi, et CLAVIBUS UTENDI
„ oritur, et vim ſuam accepit; etſi applicatio hujus facultatis ad certam per-
„ ſonam fiat a Paſtoribus per ordinationem „.

27. (Ne ſollicite quaeras, quam hæc ſint a GROTIO accurate dicta. Ceterum, ne alios nunc commemorem, Epiſcoporum JURISDICTIONEM jure divino conſtitutam, tam nervoſe quam eleganter adverſus CLAUDII SALMASII errores, ſecundum Eccleſiæ Catholicæ fidem vindicavit DIONYSIUS PETAVIUS *de Eccleſiaſt. Hierarchia Lib.* 3 *Cap.* 8 - - 13 in tomo 4 Theologic. Dogmat.)

28. Officium Paſtoratus a juriſdictione clarioribus verbis, ſecundum placita Proteſtantium, diſtinxit GERARDUS JOANNES VOSSIUS in Diſſertatione, quam infra commemorabimus pag. 863 tom. 6 Operum: " Pote-

„ ſtas eccleſiaſtica, ait, eſt duplex: una INTERIOR; altera EXTERIOR,
„ interior verſatur in his quatuor, verbi prædicatione, Sacramentorum ad-
„ miniſtratione, ordinatione Paſtorum per impoſitionem manuum, & USU
„ CLAVIUM „.

29. " EXTERIOR poteſtas in externa gubernatione conſiſtit, qua re-
„ ligio publice ſancitur, omniaque procurantur, quæ ad bonum religionis,
„ qua publica eſt, pertinent. Prior illa poteſtas propria eſt Eccleſiaſtarum:
„ poſterior primo & per ſe competit MAGISTRATUI „.

30. Sed dum VOSSIUS & GROTIUS Miniſtris Eccleſiæ tribuunt USUM CLAVIUM; non illi hoc loco ullam poteſtatem jubendi, non imperium ullum, non vim coactivam, ſeu nullam ſpiritualem jurisdictionem intelligunt, nam hunc ſenſum excludit hæreſis Proteſtantium omnem abjudicantium Eccleſiæ jurisdictionem.

31. Itaque cum uſum clavium VOSSIUS ponat quoad tria; nempe, quoad REMITTENDA PECCATA, quoad imponendas peccatori pœnas, & quoad negationem Sacramentorum; *in primo* " Sacerdos (inquit pag. 865
„ tomi cit.) peccata non remittit aut retinet, ſed remiſſa aut retenta eſſe
„ oſtendit ſive annunciat; *alterum* ſuadere ſacerdos poteſt, proprie vero
„ loquendo imperare non poteſt, cum penes eum ſolum, qui imperium ha-
„ bet, ſit vis coactiva: *in tertio* miniſter non de aliena actione judicat, ſed
„ de ſua: peccat enim contra charitatem, ſi ei præbeat SIGNA (agnoſcis,
„ credo, Calvinianum hominem loquentem,) ad quem ſcit non pertinere:
„ eoque nec ullum hic imperium, ſed tantummodo miniſterium eſt. Atque
„ hinc liquet (colligit heterodoxus) quatenus clavium uſus conveniat
„ paſtoribus „.

32. (Majorum vero fidem ſicut quoad alia, ita quoad vim abſolutionis a peccatis, firmavit TRIDENTINUM Concilium Seſſ. 14 de Pœnitent. Can. 9: " Si quis dixerit, abſolutionem Sacramentalem Sacerdotis non eſſe
„ actum JUDICIALEM, ſed nudum miniſterium pronunciandi, & declarandi
„ remiſſa eſſe peccata confitenti . . . . . anathema ſit „)

33. Ex iſtis jam intelligi poſſe puto, quæ ſit GROTII ſententia de jure ſummarum Poteſtatum in Eccleſiæ fidem & diſciplinam. Cæterum facile eſt detegere, unde errores illius ſinguli naſcantur.

34. Nam capite primo, quo vult, *ſummis Poteſtatibus Imperium circa Sacra competere;* errat, quia ineptis ratiocinationibus deceptus, renuit in mundo admittere duas ſummas & abſolutas Poteſtates, unam quæ in ſpiritualibus occupetur, alteram quæ in temporalibus; proút de iis a Deo in ſacris Libris edocti ſumus.

35.

35. Errat; quia ſibi fingit, regimen quodpiam eſſe hic in terris poſſe, ab omni incommodo liberum. Errat denique; quia non diſtinguit inter Poteſtatem in res ſpirituales, & PATROCINIUM ac defenſionem, quam Princeps Legi naturali ac divinæ & Religioni præſtat.

36. Atque (ut obiter hoc dicam) huic poſtremo errori tota fere illa ſuperſtructa eſt prolixa *Diſſertatio Epiſtolica de Jure Magiſtratus in Rebus Eccleſiaſticis*, auctore GERARDO JOANNE VOSSIO, quam ſupra memorabam, & quæ extat ad calcem Tomi ſexti Operum ejusdem Voſſii, edition. Amſtelodam. 1701.

37. Capitibus vero ſecundo, tertio, & quinto Hugo GROTIUS varia habet partim vera, partim falſa, partim detorta, partim ad rem nihil facientia. Capite quarto, ad ſolvenda argumenta contra Imperium ſummarum Poteſtatum circa Sacra, utitur exemplis incongruis; male detorquet Sanctorum Patrum ac ſacrorum librorum loca; neque diſtinguit inter jurisdictionem ſpiritualem & temporalem. His ergo modis vim argumentorum ſtudet eludere.

38. Capite ſexto errat; quia ignoravit, per Paſtores Eccleſiæ Deum loqui, maxime per Generale Eccleſiæ Concilium. Errat etiam, quia inter res fidei, & opinionis, ac diſciplinæ non bene diſtinguit.

39. Capite ſeptimo fallitur; quia in Generalium Conciliorum convocatione, olim ab Imperatoribus (pluries, ut putat) indicta, CONSILIUM, HORTATUM, ratihabitionem, aut aſſenſum ROMANI PONTIFICIS & Eccleſiæ videre noluit contra Actorum veterum & monumentorum fidem ac teſtimonium: ad quam rem legas ſane Cardinalis PERRONII, viri toto orbe celeberrimi & clariſſimi, *Reſponſionem ad Jacobum I Regem magnæ Britanniæ Lib.* 1 *Cap.* 42 *pag.* 316-- 332.

40. Legas quoque CAJETANUM CENNI *de Antiquitat. Eccleſ. Hiſpan. num.* 2 *Diſſert.* 4 *Cap.* 4 §. 19-- 22, & Ludovicum THOMASSINUM *in Concilia Diſſert.* 3 *num.* 15 *potiſſimum & ſeq.*, ubi ea in primis conſideranda ſunt quæ habent de convocatione Oecumenicorum Conciliorum Orientis; quæ, præter NICÆNUM, jure ac merito negant fuiſſe ab Imperatoribus Orientis convocata vel potuiſſe convocari.

41. In eodem Capite ſeptimo GROTIUS fallitur, quia non diſcernit auxilium Imperatoris, per Eccleſiam imploratum; Conciliabula a Conciliis, cauſas Hæreticorum a cauſis Eccleſiæ; temporalia negotia a ſpiritualibus, & a mere eccleſiaſticis.

42. Capite octavo, quod eſt *de Legislatione circa Sacra*, impiæ ſanctiones proferuntur, atque a GROTIO approbantur; juſtarum vero legum rationem ac modum GROTIUS non aſſequitur; ſicuti nec vidit, leges aliquas

ab

ab Imperatoribus esse conditas per indulgentiam Ecclesiæ, aut aliis ex titulis, de quibus in progressu hujus *Commentarii* dicendum erit.

43. Capite autem nono *de Jurisdictione circa Sacra*, ridendis evasionibus ac effugiis eludit antiquitatem sibi adversam; intermiscens aliqua vera, sed quæ sunt supervacanea. Capite decimo *de Electione Pastorum*, multa vera dicit; deinde plura falsa, quia antiquitatis morem ac sensum male interpretatur.

44. Capite undecimo, quod inscriptum est *de muneribus in Ecclesia non omnino necessariis*, affirmat, Episcopatum non esse divinæ institutionis seu DIVINI PRÆCEPTI, adeoque non necessario esse ubique tenendum. " Apostolicæ institutionis (ait num. 10) est Episcopatus, quia apparet in „ nonnullis Ecclesiis ab Apostolis ordinatos Episcopos aut approbatos. . . . . „ Sed non utique PRÆCEPTI est DIVINI, quicquid ab Apostolis institutum „ est: multa enim instituuntur salva mutandi libertate „.

45. Hæc vero dicere necesse fuit GROTIO, ne eos a se Protestantes alienaret, qui Episcopatum a NOVIS suis Ecclesiis ablegarunt: hoc enim sibi in hujusmodi tractatione fuisse propositum, ipse ultro fatetur. Ex eo vero errore ad errores alios transit, neglectis fidei catholicæ regulis.

46. Sed divinam Episcopatus institutionem, seu factam ab Apostolis PRÆCEPTO DIVINO creationem Episcoporum & divinum Episcoporum Primatum supra Presbyteros, jam satis contra Protestantes vindicarunt Scriptores catholici: inter quos placent mihi maxime JOANNES MORINUS *de sacris Ordinationibus Par.* 3 *Exercitat.* 3 *Cap.* 3, & NATALIS ALEXANDER *in Hist. Eccles. Seculi* 4 *Diss.* 44 adversus Davidem BLONDELLIUM scribens.

47. Opportunus autem, & ad hanc rem apprime aptus, est CAROLUS WITASSE *de Sacram. Ordin. pag.* 270 - - 274 *tomi sexti Tractatuum Theologicor.*, ubi nominatim *de Episcoporum necessitate agit:* ne nunc commemorem majoris molis opus Viri de Ecclesia & de episcopali ordine, statu, ac dignitate meritissimi, qui sub *PETRI AURELII Theologi* nomine latuit, & inter cetera multa scripsit *Vindicias Censuræ Facultatis Theologiæ Parisiensis*, editæ adversus quorundam male sanorum hominum propositiones, per quas tum aliæ injuriæ inferebantur Ecclesiæ, tum Episcoporum in singulis Ecclesiis necessitas vocabatur in discrimen.

48. Habes eas *Vindicias* in tomo secundo *Operum Petri Aurelii Theologi, jussu & impensis Cleri Gallicani denuo in lucem editorum Parisiis* 1642.

49. Capite duodecimo & postremo *de Substitutione & Delegatione circa Sacra* pergit GROTIUS in erroribus superioribus explicandis ac suo more confirmandis.

50.

50. In univerſum dicam, adeo leviter, inepte, & perturbate cauſſam illam Proteſtantium a GROTIO agi per totum librum, ut Grotium ibi non amplius agnoſcas, nec Grotii acumen, diligentiam, fidem. Dixeris, ſæpe ludere hominem potius quam ſerio agere; adeo frequens eſt in diverticulis quærendis, & inanibus argumentorum ſedibus conſectandis: neque ſane id in adeo afflicta ac deſperata cauſſa fieri aliter potuit.

51. Sed & aliquando ab impietate non abeſt: ut quando cap. 8, num. 2 ſcribit: " Nulla in re magis eluceſcit vis ſummi Imperii, quam quod in ejus „ arbitrio eſt, quænam religio publice exerceatur (de toto publicæ Religionis corpore loquitur) „ idque præcipuum inter Majeſtatis jura ponunt „ omnes, qui politica ſcripſerunt. Docet idem EXPERIENTIA. Si enim „ quæras cur in Anglia &c. „.

52. Objicit ſibi GROTIUS, hic errare poſſe imperantem, & ſtatum Religionis fore inſtabilem ac incertum. Sed reponit, neminem eſſe, qui falli nequeat. Contra " ſi pius eſt qui imperat, ſi diligens lector ſacræ Scripturæ, „ ſi aſſiduus in precibus, ſi Eccleſiæ catholicæ reverens, ſi peritos attente „ audiens, multum, ait, per illum proficit veritas „.

53. In hæc ſcilicet abſurda incurrunt homines, quando a recta via ſemel deſciverunt; prout a Proteſtantibus factum, qui inter cetera, ſupremum etiam Religionis & CONTROVERSIARUM JUDICEM a Deo conſtitutum abjecerunt: unde humani ingenii mobilitati & arbitrio coacti ſunt fidem ac Religionem ſuam permittere.

54. Cujuſmodi igitur ſit ille GROTII liber *poſthumus*, intelligis. Sola modeſtia GROTIUM commendat, quam in PUFENDORFIO ac BOEHMERO, de quibus proxime dicendum eſt, fruſtra requiras.

55. Ceterum ſatis appoſite per partes omnes librum hunc Hugonis GROTII confutavit Angelus PETRICCA Ord. S. Franc. Conventual. *in Tom.* 3. *Bibliothecæ Max. Pontific. pag.* 925 -- 958.

II. PUFENDORFIUS.

56. CUi fundamento errores ſuos ceteros ſuperpoſuit GROTIUS, eidem ſuos inædificavit Samuel PUFENDORFIUS in libro *de habitu Religionis chriſtianæ ad vitam civilem;* ut nunc ordine viſuri ſumus.

57. Unum intereſſe videtur inter utrumque, quod PUFENDORFIUS, poſtquam ſemel eccleſiaſticam HIERARCHIAM inficiatus eſt; integrum ſibi eſſe exiſtimavit, alia inſuper quærere ſuorum errorum fulcimenta: nec ſane difficile fuit homini ſemel extra veri ſemitam rapto, & ſine duce currenti, in novos errores abripi ſeu nova ſomniare ſomnia.

58. Sed hoc quoque habet PUFENDORFIUS a GROTIO diversum, quod errores a prima illa capitali hæresi, ecclesiasticam HIERARCHIAM negante, promanantes, explicavit latius & enarravit per partes singulas.

59. Eo in libello §. 11 pag. 33 editionis Bremensis 1687, qua posthac utar, PUFENDORFIUS docet, Ecclesiam non esse " Statum a summo im-„ perio civili separatum, vel exemtum. Scilicet per statum intelligimus (ait) „ ejusmodi conjunctionem plurium hominum, quæ imperio per homines „ administrato sibi proprio, & aliunde (seu a summo imperio civili) non de-„ pendente continetur. Ad quem statum (inquit §. 28 pag. 77) requiritur im-„ perium, ex quo promanat PRÆEMINENTIA UNIUS PRÆ ALTERO „.

60. (Vides jam PUFENDORFIUM in ipso rei ingressu a fide catholica aberrare, quod potestatem spiritualem & ecclesiasticam JURISDICTIONEM, a temporali distinctam non admittat, seu quod ecclesiasticam HIERARCHIAM divina ordinatione institutam non agnoscat.

61. Ab hoc errore, quo ecclesiastica Hierarchia, & Jurisdictio Præsulum Ecclesiæ rejicitur, derivantur ceteri Protestantium illorum errores, qui ecclesiasticum systema seu Ecclesiæ naturam, statum, & jura suscepere definienda; uti ad GROTIUM diximus, & in PUFENDORFIO nunc videbimus, & in BOEHMERO postea clarius.

62. (Optimo ergo consilio sacrosanctum CONCILIUM TRIDENTINUM, Spiritu sancto duce, hunc præcipue errorem anathemate confixit per Canonem, quem recitabam supra.)

63. Pro statu itaque generis ejus, quod descripsi, Ecclesiam habere non licet; si PUFENDORFIUM audias. Hinc affirmat §. 32 pag. 100 " absur-„ das esse quæstiones, monarchica, aristocratica, an democratica forma „ competat Ecclesiæ. Hæ quippe formæ cadunt in statum aliquem, seu ci-„ vitatem: Ecclesia autem status non est „.

64. " Cum porro (pergit) disparem a civitatibus finem habeat Ecclesia, „ disparia quoque sunt munia, quæ utrinque proveniunt. Quam persona-„ rum varietatem finis civitatum producat, nemini est ignotum. Ast per-„ sonarum, quæ respectu Ecclesiæ oriuntur, simplicissima est divisio in „ DOCTORES & AUDITORES „.

65. (Per *Doctores* intelligit PUFENDORFIUS eos, qui verbo doctrinæ ceteros de Ecclesia, seu fideles vel *Auditores* pascunt; qui tamen *Doctores*, ex illius sententia, nec jurisdictione ulla instructi sunt nec charactere. *Doctores* isti Pufendorfiani sunt iidem, qui apud catholicos Presbyteri, Pastores, & Episcopi; refugere scilicet sæpe videntur Protestantes, Viros ecclesiasticos, seu Pastores Ecclesiæ, appellare *Clericos*; exemplo patrum suorum

LU-

LUTHERI & CALVINI, qui valde infenſo animo tulerunt, quod quidam inter chriſtianos *Clerici*, quidam *Laici* nominati ſint olim, & nominentur modo; quos Hæreticorum parentes ab hac item parte refellunt BELLARMINUS Cardinalis *de Clericis Cap.* 1, & Ludovicus HABERT *de Sacram. Ordin. Part.* 1 *Cap.* 2.)

66. Hujusmodi *Doctorum* (ut ex mente PUFENDORFII dicebam) nullus eſt character, nulla vera Ordinatio ſacra. Neque enim " a Chriſto, (inquit §. 39 pag. 143) „ aut Apoſtolis certa aliqua formula ordinandi Mini„ ſtros præſcripta eſt, ſicuti circa Sacramenta; liquido indicio, nihil aliud ad „ iſthoc munus requiri, quam ut quis AB ECCLESIA VOCATUS, & facul„ tate docendi ſit præditus „.

67. (Contra hic, & in iis quæ mox ex eodem PUFENDORFIO ſubjiciam, recole ea, quæ Eccleſia catholica de Sacramento Ordinis docet, & de ſacræ Ordinationis effectu; pro qua re adverſus Claudium SALMASIUM non minus robuſte quam eleganter agit Dionyſius PETAVIUS *de Eccleſiaſt. Hierarch. Lib.* 3 *cit. Cap.* 2 - - - 6, in Tomo 4 Theologicor. Dogmatum.

68. Convincunt autem cujusque vel pertinaciſſimi hominis duritiem ea quæ Euſebius RENAUDOTIUS in ſuo Tomo quinto *Perpetuitatis Fidei* Lib. 5 Cap. 4 - - 10 erroribus Proteſtantium oppoſuit ex diſciplina & fide Eccleſiarum ORIENTALIUM; earum, inquam, Eccleſiarum, quarum pleræque a mille trecentis & amplius annis, aliqua ſua ſingulari aſſumta hæreſi, catholicam communionem abjecerunt; quarum proinde fidem Eccleſia ROMANA corrumpere non potuit, prout fuiſſe in Eccleſiis LATINIS ceteris corruptam, ſibi ſolent Proteſtantes fingere.

69. Ego, qui Catholicis noſtris nunc ſcribo, paucis verbis rem conficio, prolato in medium Canone quarto Seſſionis 23, Oecumenici TRIDENTINI CONCILII: " Si quis dixerit, per ſacram Ordinationem non dari Spiritum „ ſanctum....., aut per eam non imprimi CHARACTEREM...., „ anathema ſit „.)

70. " Et ordinatio (ſubdit PUFENDORFIUS in eo §. 39) ac impoſitio „ manuum facta ab Epiſcopo aut Presbyteris, ritus bonus eſt, & qui utiliter „ adhiberi poteſt, ſed qui non usque adeo neceſſarius eſt, ut citra illum legi„ timus quis Eccleſiæ miniſter eſſe nequeat; præſertim cum efficacia mira„ culoſa, quæ primis Eccleſiæ temporibus iſtum ritum comitabatur, dudum „ exoleverit „.

71. (Novus hic PUFENDORFII error ducitur ex eo, quod Proteſtantes negent, Ordinationem ſacram eſſe verum Sacramentum; contra ac definit TRIDENTINA Synodus Seſs. 23 cit. Can. 3 edicens: " Si quis dixerit,

„ Ordinem, ſive SACRAM ORDINATIONEM non eſſe VERE ET PRO-
„ PRIE SACRAMENTUM a Chriſto Domino inſtitutum . . . .; aut eſſe
„ tantum ritum quemdam eligendi miniſtros verbi Dei, & Sacramentorum;
„ anathema ſit „.

72. " In univerſum quidem (dixerat PUFENDORFIUS §. 11 cit. pag. 32) „ omnes chriſtiani Sacerdotes coram Deo vocantur; miniſterio au-
„ tem Eccleſiæ citra diſcrimen generis adhiberi poteſt, quisquis idoneis ad
„ eam functionem artibus eſt inſtructus. Niſi quod feminas publico docendi
„ munere arceat Apoſtolus 1 Tim. 2 - - 12 „. (Eccleſiæ autem catholicæ hæc eſt ſententia in eodem Concilio TRIDENTINO Seſs. 7 Can. 10 de Sacram.: " Si quis dixerit, Chriſtianos omnes in verbo, & omnibus Sacramentis ad-
„ miniſtrandis habere poteſtatem; anathema ſit „.)

73. Iidem *Doctores* (ut dicebat PUFENDORFIUS) nulla quoque inſtructi ſunt jurisdictione in *Auditores* ſeu in cœtum reliquum Eccleſiæ. Immo " ſi univerſum novum inſtrumentum (inquiebat §. 25 pag. 65) „ excutiamus,
„ apparebit, neque Chriſtum, neque Apoſtolos REMISSIONEM PECCA-
„ TORUM exercuiſſe per modum jurisdictionis, ac velut pro tribunali ex-
„ cuſſis delictis: ſed ubicunque fides adfuit, ibi & immediate remiſſio pec-
„ catorum ſecuta fuit „.

74. " Et confeſſio, quæ remiſſionem peccatorum tacite aut expreſſe
„ præcedere debet, non eſt ſimilis illi confeſſioni, quæ a reo in judicio ex-
„ igitur, quippe quam ſequitur condemnatio. Sed habet ſimilitudinem cum
„ ea confeſſione, quam morbo aliquo occulto laborantes MEDICO faciunt;
„ quo is idonea medicamenta applicare queat „.

75. (Vides, Lector, quousque nova hæreſis, in eccleſiaſtica neganda tum JURISDICTIONE, tum poteſtate CLAVIUM ſit progreſſa. Sed TRIDENTINA Synodus Seſſ. 14 de Pœnit. Can. 9, ut ſupra audivimus, ſanxit: " Si quis dixerit, Abſolutionem ſacramentalem Sacerdotis non eſſe
„ actum JUDICIALEM, ſed nudum miniſterium pronunciandi, & declarandi
„ remiſſa eſſe peccata confitenti, modo tantum CREDAT SE ESSE ABSO-
„ LUTUM . . . .; aut dixerit non requiri CONFESSIONEM pœnitentis,
„ ut ſacerdos eum abſolvere poſſit, anathema ſit „.

76. Hactenus quidem PUFENDORFIUM audivimus, de Eccleſiis particularibus placita ſua expromentem. Tranſeo modo cum eo ad Eccleſiam univerſalem, ſeu ad Eccleſias omnes in unum veluti corpus conjunctas.

77. " Cum itaque (ſcribit §. 34 pag. 108) „ in Eccleſiis particularibus
„ ingens difformitas a ſtatu adpareat; disquirendum eſt, num forte iſte Ec-
„ cleſiæ inter ſe junctæ magnum aliquem STATUM abſolvant? „ Negat hoc

quo-

quoque PUFENDORFIUS; quoniam " in ſacris litteris, quod novum ſtatum „ formaturis quam maxime neceſſarium erat, non deſignatur certus locus, „ unde in reliqua foret regimen; non deſignantur ille vel illi, penes quem „ vel quos in reliquos gubernatio eſſe debeat. Non oſtenditur modus com- „ municationis ceterorum cum ſede regiminis „.

78. (Hæc riſune vel commiſeratione potius digna ſint, non definiam. Sed hic cogitandi modus, erat illi neceſſarius, qui primatum Petri Apoſtolorum Principis, & Pontificum Romanorum Sedem Petri tenentium; PRIMATUM, inquam, hunc, inſtitutum a Chriſto, inficiari vellet cum ſuis.)

79. " Colorem aliquem habet (inquit §. 35 pag. 112) „ quod jactatur, „ melius & firmius unitatem fidei conſervari, controverſias componi, ac hæ- „ reſes compeſci, atque extingui poſſe, ſi in unum ſtatum coaluerint omnes „ per orbem terrarum Eccleſiæ, & ab uno capite, ſive Princeps is ſit, ſive „ Senatus e pluribus conſtans (id eſt, ſive Pontifex is ſit, ſive Concilium Generale) „ regantur „.

80. Rejicitur tamen & hoc a PUFENDORFIO tum alias ſuas ob cauſſas, tum quia " non poſſunt (ait ibid. pag. 116) „ non hoc modo in una ci- „ vitate duo ſumma imperia introduci, cum obtentu judicii de controverſiis „ non minus obnoxii teneri homines queant, quam per juſſa circa civiles „ actiones „. (Animadverte obtuſas Proteſtantium mentes, qui iſta ſimul non valeant conciliare.)

81. Præterea " ſi penes alium ſit imperium (ſpirituale), tunc vel iſte „ executionem quoque habebit ſententiarum a ſe latarum, vel ipſe habebit „ ſatis ſententiam pronunciaſſe, executione imperantibus civilibus delegata. „ Priori caſu duo ſumma imperia, in una civitate maxima incommoda & di- „ ſtractiones parient „. (Non parient, ſi utrique Imperio ſint diviſa munera, actus, & vires): „ poſteriori caſu ſummi imperantes civiles ad nutum iſtius „ judicis ſacri carnificum munia obibunt „.

82. " Ut igitur (inquit iterum §. 41 pag. 141.) „ duo ſtatus duoque „ ſumma imperia humana, & his reſpondentes in civibus obligationes in una „ civitate extent, citra contradictionem & abſurditatem intelligi non poteſt. „ Et ſi maxime velis dicere, Eccleſiam & rempublicam diverſos habere fines, „ & circa diverſa objecta occupari, ſibi invicem non repugnantia: inde ta- „ men haud quidquam conſequitur, Eccleſiam in ſtatum convertendam, „ aut modum propagandi, conſervandi, & colendi religionem chriſtianam „ IN CIVILE REGIMEN transmutandam „. (Nihil tamen PUFENDORFIUS ad hoc alterum aliquo colore firmandum affert. Sed quæri poſſet quid ſibi hoc loco PUFENDORFIUS velit. Unum dico; poteſtatem

ſpiritualem nihil de poteſtate temporali decerpere aut demere, ſicuti ſpirituali poteſtati nihil temporalis poteſtas detrahit.)

83. JAM SI Eccleſia, ex PUFENDORFII ſententia, non eſt ſtatus; diſpiciendum eſt, ad quodnam demum genus corporum moralium Eccleſias ipſe referat. " Eas igitur (inquit §. 39 pag. 130) „ conſtat habuiſſe primitus „ ſub Imperio Principum Ethnicorum indolem COLLEGIORUM, ſeu ejus- „ modi ſocietatum, queis plures homines certi cujusdam negotii gratia inter „ ſe connectuntur, ſalvo ſummorum imperantium in eosdem jure „. (Ut de Eccleſiis ſane ſuis tam ſplendide Proteſtantes cogitent, nihil impedio; eas immo deprimant amplius, ſi lubet. Hoc enim origo ipſarum & cunctis notiſſima primordia poſtulant).

84. " Eſt autem ea natura COLLEGIORUM omnium (pergit pag. 132) „ quæ libera hominum coitione conſtant, ut aliquid habeant DEMOCRA- „ TIÆ ſimile hactenus, ut quæ eam in univerſum concernunt negotia com- „ muni omnium conſenſu ſint expedienda; adeoque nemo in illis poteſtatis „ quid in alios ſibi arrogare queat, niſi id ab univerſis ipſi ſit delatum „.

85. (Hujusmodi tamen non ſunt Eccleſiæ, catholicam fidem tenentes, ubi alii parent, alii imperant vi JURISDICTIONIS illius ac poteſtatis, quam illis Deus contulit; ubi, uno verbo, eſt *Hierarchia divina ordinatione inſtituta*, adeoque locum habere non poteſt Democratia.

86. Ceterum ne puta, errorem illum de natura Eccleſiæ DEMOCRATICA, veniſſe primum in mentem PUFENDORFIO; natus eſt enim una cum illa hæreſum colluvie Seculi XVI, auctoribus vulgatarum hæreſum patribus; adverſus quos Robertus Cardinalis BELLARMINUS *de Rom. Pontif. Lib.* 1 *Cap.* 5, *&* 6 propugnavit, *Eccleſiæ gubernationem non eſſe democratiam:* & facile eſt perſpicere, quam arcte hic error cum hæreſibus illis conjungatur, ſeu cum iis, quas hactenus paſſim notavimus).

87. " Unde conſequitur (colligit ibidem PUFENDORFIUS) „ ut radi- „ caliter & originarie facultas conſtituendi doctores, aliosque Miniſtros Ec- „ cleſiæ ſit penes totam Eccleſiam, univerſumque cætum fidelium „. (Proteſtantium, per me licet.)

88. Ceterum ſi ad Eccleſiæ incunabula reſpicimus; " Apoſtolorum po- „ teſtas docendi (dixerat §. 19) „ a Chriſto collata, imperio civili haud fuit „ obnoxia, ut ſilere, hoc loqui vetante, aut alterare ſuam doctrinam tene- „ rentur; ac ſi ejusmodi juſſa adſpernarentur, haud ideo in majeſtatem im- „ perantium peccaſſe cenſeri deberent ...... „.

89. " Ita nullo interdicto humano prohiberi poterant Apoſtoli, quo mi- „ nus in univerſum orbem irent, & doctrinam ſibi a Chriſto traditam popu-

„ los

„ los docerent..... Iidemque recte adspernati sunt interdicta summorum „ Imperantium talem doctrinam tradi prohibentium; quod Deo magis oporteat obedire quam hominibus„. *Actor. IV,* 19 *v.* 29......

90. " Unde si qui Imperantes doctrinæ se christianæ opposuerunt, tantum abest, ut actum aliquem legitimum imperii civilis exercuisse censendi „ sint, ut potius majestatem divinam læserint, velut violatis EJUSDEM „ LEGATIS, cum etiam ab hominibus missi inviolabiles habeantur„. (Bene habet; sunt hæc enim extra omnem dubitationem posita.)

91. " Habent præterea hoc omnia Collegia, non minus quam ECCLESIÆ (pergo ex PUFENDORFII paragrapho 39 cit. pag. 135) „ ut communi consensu STATUTA condere queant, ad peculiarem eorundem „ finem spectantia, salvis communibus civitatis legibus..... Quæ si quis „ transgressus fuerit, castigationem, aut mulctam statuto dictatam merito „ subibit, non velut pro imperio, sed EX CONVENTIONE imponendam„. (Insistit semper PUFENDORFIUS Protestantium hæresi, ecclesiasticam JURISDICTIONEM divinitus institutam repudianti.)

92. " Et quamquam alias collegio in membra sua circa illa negotia, „ quæ extra finem ejusdem posita sunt, JURISDICTIO non competat, nisi „ quantum forte a summo imperio civili delegatum sit; id tamen salvo summi „ imperii jure fieri potest, & sæpe solet, concordiæ eo melius in collegio „ servandæ, ut obortæ inter membra Collegii lites per interpositionem & „ arbitria reliquorum e collegio componantur„.

93. " Ista tamen omnia (subdit pag. 137) non aliis pœnis potuerunt „ sanciri, quam quæ extra summi imperii usum exerceri possunt; uti est admonitio, correptio publica, confessio delicti in ECCLESIA, & signa „ pœnitentiæ ibidem edita: ad extremum excommunicatio, & bannum, quod „ est vel suspensio temporaria ab usu sacrorum publicorum; vel plena exclusio ab Ecclesia. Id quippe extremum est, quo coercitio alicujus COLLEGII procedere possit, ut nempe quis eodem penitus ejiciatur„.

94. DE CONCILIIS autem in universum PUFENDORFIUS pronunciat §. 38 pag. 126: " Viros, e quibus concilium componitur, non posse considerari velut membra alicujus senatus aut collegii, quorum major pars „ suffragiis suis propositum negotium decidere queat, sic ut ista decisione „ quisque Christianorum utique stare teneatur„. (Vide quam præclare incipit Vir hæreticus decisiones suas de CONCILIIS ponere;) „ præsertim cum „ in universum veritas non semper a majori suffragantium numero dependeat„.

95. " Multo minus illis (inquit) poteſtas aliqua LEGISLATORIA „ competit, ut Eccleſiæ leges vel canones pro imperio injungere queant. „ Sed non aliter ibidem conſiderari poſſunt, quam deputati Eccleſiarum, ad „ examinandas controverſiarum rationes, & deciſionem e divinis litteris „ eruendam. Ad quam deciſionem amplectendam Eccleſiæ non tenentur, „ niſi quatenus eam divinis litteris congruam deprehenderint . . . . . „.

96. (Ubicunque *Eccleſiam* PUFENDORFIUS dicit, intelligit Cætum Clericorum & Laicorum, ſeu, ut ipſe nove loqui amat, *Doctorum* & *Auditorum*. Quoniam vero in hac nefaria PUFENDORFII de Conciliis doctrina, duo ſunt Propoſitionum hæreticarum genera; earum aliæ, ut vides, ſponte naſcuntur ex negata Eccleſiæ JURISDICTIONE, aliæ ex rejecto JUDICE illo Controverſiarum & Religionis ac Fidei, qui Eccleſiæ divinitus datus eſt.)

79. " Quodſi autem a Conciliis aliquid ſuper moribus decretum fuit, „ id non aliter vim obligandi habere intelligitur, quam ex antegreſſo mandato „ aut ſubſequente adprobatione Eccleſiarum; ſic ut CONCILIA NULLUM „ in Eccleſiam IMPERIUM obtineant . . . . . „.

98. " Porro qui ad Concilium a diverſis Eccleſiis mittuntur, a ſua quique „ Eccleſia autoritate & mandatis inſtructi eſſe debent. Alias enim doctor iſte „ aut Epiſcopus Eccleſiam ſuam non repræſentabit; cum hæc aſſenſſum ſuum „ non abſolute ſubmiſerit doctrinæ doctorum ſuorum, ſed quatenus congrua „ verbo divino proponunt „. (Horum ſane, quæ de CONCILIIS Proteſtantes nova adinvenerunt, luctuoſos effectus jampridem apud nos conſpicimus).

99. VIDENDUM EST modo, quænam ex iſtis doctrinarum articulis Proteſtantes derivaverint pro IMPERANTIUM POTESTATE in Eccleſiam, ſeu quatenus ex poſitis principiis ſequatur, poſſe Principes in Eccleſiam poteſtatem exercere.

100. " Non extat (ait PUFENDORFIUS §. 40 pag. 104) „ in novo „ Inſtrumento dictum aliquod ad ſummos Imperantes directum, quo ipſis „ peculiare officium circa Eccleſiam exercendum injungatur. . . . . Ex quo „ colligitur, ſi quæ poteſtas aut quod jus ſummis imperantibus circa Eccleſiam & ſacra chriſtiana aſſerendum ſit, id eſſe deducendum vel ex genuina „ indole SUMMI IMPERII CIVILIS, vel ex indole ipſius RELIGIONIS „ CHRISTIANÆ, vel ex ultronea delatione ipſius Eccleſiæ „.

101. " His poſitis (progreditur §. 41, initium faciens ab indole RELIGIONIS CHRISTIANÆ) „ adparet initio, ex eo quod ſummus Imperans „ aut univerſa civitas Chriſti ſacramento accedit, Eccleſiam ideo priorem „ indolem haud exuere, niſi quod, quæ hactenus privati conditionem COL- „ LEGII geſſit, legitimi tamen, & quod IMPERIO CIVILI PROHIBERE,

„ tur-

„ turbare, persequi, aut destruere FAS NON ERAT, ad majorem jam se-
„ curitatem provehatur, & infidelium persecutiones metuere desinat, sum-
„ morumque Imperantium defensione gaudeat „.

102. Princeps itaque, QUA CHRISTIANUS, non est nisi Ecclesiæ membrum; nam " persona illa (ait ibidem,) quam quisque in civitate gerit, „ eique adhærens dignitas & potentia, ubi idem Ecclesiam ingressus fuerit, „ quiescit & non attenditur, & Christiani tantum persona sese exerit. Sic qui „ supremi ducis munere in civitate fungitur, idem in Ecclesia haud plus juris „ obtinet, quam gregarius miles „.

103. " Deinde (pergit §. 42) & illud dubio, puto, caret, quod Rex, „ Princeps, aut quivis Magistratus eo ipso, dum christianam religionem pro- „ fitetur, HAUD IDEO FIAT EPISCOPUS, aut Doctor Ecclesiæ. Isthoc „ enim munus distinctum est a conditione cujusvis Christiani, & peculiarem „ vocationem (non characterem aut dignitatem internam, ex PUFENDORFII & Protestantium mente) „ atque aptitudinem requirit „.

104. " Accedit quod Regum ac doctorum Ecclesiæ munera ita com- „ parata sunt, ut ab uno & eodem commode exerceri nequeant, non ob na- „ turalem aliquam repugnantiam, sed ob gravitatem negotiorum, quæ utrum- „ que munus comitantur, quibus rite obeundis unus homo par non est „.

105. Non sua tamen desunt OFFICIA, quæ Princeps Christianus præ- stare Ecclesiæ debeat. Quorum primum est, " quod summi Imperantes (in- quit §. 43 pag. 144) „ debeant esse DEFENSORES ECCLESIÆ, & protectio- „ nem huic præstare, contra quoscunque cives, qui eandem insultare ausi „ fuerint: nec minus si extranei civibus ideo injurias inferre instituant eo „ duntaxat nomine, quod Christiani sint . . . . . „.

106. " Deinde Principes hanc quoque obligationem ut Christiani susci- „ piunt, quod curare debeant, ut suppetant necessariæ impensæ, quæ ad cul- „ tum christianum requiruntur . . . . . „.

107. " Huic conjuncta est cura non solum ædium sacrarum, sed & scho- „ larum, ubi Ecclesiæ præformatur juventus non illa sola, quæ aliquando „ ministerio Ecclesiæ adplicanda est, sed & quæ aliis vitæ civilis muneribus „ destinatur „.

108. " Quod autem JURA attinet (progreditur PUFENDORFIUS §. 44) „ quæ Principibus circa Ecclesiam competunt, id primo manifestum „ videtur . . . . ad eundem spectare generalem quandam in hancce non secus „ ac in reliqua COLLEGIA, inspectionem saltem hactenus, ut videat, NE- „ QUID IN SUI PRÆJUDICIUM ibi agatur „.

109. (Ne putes, de parvis rebus hic agi. Nam id omne virus in his verbis tegitur, unde Ecclesiæ regimen divinitus constitutum Protestantes corruperunt. Qui cum Ecclesiam habeant pro cætu DEMOCRATICO, HIERARCHIA & veris Præsulibus carente, JURISDICTIONE & potestate legislativa ac coactione omni destituto; Imperanti videndum esse monent, ne talis Ecclesiæ indoles ambitione & artibus Pastorum mutetur; ne sibi isti jurisdictionem attribuant, vel imperium spirituale in fideles vindicent; verbo, ne HIERARCHIAM Catholicorum restituant.

110. Hoc enim si fieret, ajunt, læderentur jura summi Principis, penes quem solum omnis residere debet JURISDICTIO; ne secus duo summa imperia inducantur in civitatem. Hinc videat, oportet, summus Imperans, NE QUID IN SUI PRÆJUDICIUM in Ecclesia agatur. Per hæc vero Protestantibus Principibus aperta fuit via ad imperium supra Religionem & DISCIPLINAM ecclesiasticam exercendam. Ista sic se habere, discere postea licebit clarius ex BOEHMERO.

111. Videant ergo Scriptores quidam nostri, ne, nimium Protestantibus jurisconsultis fidendo, vel dolosis ac vitiatis illorum ratiocinationibus insistendo, hanc tandem Religionis & Fidei labem inducant, vel illi certe imprudentes viam aperiant).

112. Eo itaque nomine, ne quid scilicet IN PRÆJUDICIUM PRINCIPIS agatur in Ecclesia; Principi eidem PUFENDORFIUS tribuit jus inquirendi in doctrinam; in ea quæ geruntur in Ecclesia; in morum præcepta, quæ a Doctoribus traduntur, " num aliquid ab istis admisceatur, quod „ summo imperio civili in fraudem cedat; *& in ceteris*, num forte Presbyteri „ aut Episcopi justos limites migrent, aut a legibus civilibus discedant, aut „ quæ proprie ad imperium civile spectant, velut suo jure sibi assertum eant. „ Quo ex genere (ait) inter alia sunt caussæ matrimoniales „. (Hæc verba, hi Pufendorfiani loquendi modi quo recidant, seu quid sub istis lateat, jam audisti).

113. " Omnino autem (inquit §. 47 pag. 157) „ penes christianos „ Principes est definire, quænam delicta pœnis civilibus, quænam castigatio- „ ni ecclesiasticæ subjicienda sint; & circa hæc quoque sibi sententiam reser- „ vare, quem gradum castigationis ecclesiasticæ delinquens subire debeat; „ ministris Ecclesiæ executionem demandare „. (Negata semel JURISDICTIONE illa, quam Prælatis Ecclesiæ Deus contulit, facile est ad hæc nova dogmata dilabi).

114. " Atque isthoc præcipue circa bannum (vel excommunicationem) „ observandum est, ut nempe ejus infligendi potestas non relinquatur arbitrio

„ mini-

„ ministrorum Ecclesiæ. . . . . Nam eundem fere illud effectum cum capitis „ deminutione habet, ac hominem inter Christianos infamem, atque intesta- „ bilem efficit, eoque & ad conditionem civilem effectus suos porrigit. De „ qua statuere in civitate penes neminem, quam summos Imperantes, salvo „ quidem horum imperio, esse potest „. (Protestantes mente hebetes sint oportet, qui nesciant spiritualia a civilibus secernere, ac decisiones suas ab istis ad illa nullo discrimine transferant).

115. " Denique summis Imperantibus potestas competit inquirendi, „ quidnam CANONUM seu statutorum (ait §. 48) in Ecclesia receptum sit; „ & si quæ reperta fuerint vel supervacua, vel ipsorum juribus (secundum Protestantium placita definitis) „ adversantia, abolendi: ac siquid adhuc de- „ siderari videatur, quod ad decus & ordinem Ecclesiæ faciat, id supplendi, „ adhibitis tamen in consilium saltem præcipuis ex Ecclesia; atque in uni- „ versum ejusmodi STATUTIS VIM LEGUM CIVILIUM addendi „ (seu verius, ex mente PUFENDORFII, tribuendi illis eam vim obligandi, quam eisdem Ecclesia, cum omni sit JURIDICTIONE destituta, tribuere minime potuit).

116. " Sed & illud dubium non est (pergit deinceps) quin Principes „ christiani homines profanos, qui religionem christianam in universum ad- „ spernantur, ejusque mysteria contumeliose habent, pœnis civilibus afficere, „ aut saltem civitate exturbare queant „. (Hoc vero optime ac verissime a PUFENDORFIO dictum est).

117. " Cum jus vocandi (ait §. 45) & constituendi doctores & ministros „ Ecclesiæ originarie sit penes universitatem fidelium (ut sibi Protestantes ex suo DEMOCRATICO Ecclesiæ regimine, falso finxerunt): „ Princeps „ quoque eo ipso, dum fidelium cætui annumeratur, non potest non in par- „ tem ejus juris venire . . . . igitur quia PRIMITIVA ministrorum „ Ecclesiæ constitutio facta fuit per Χειροτονίαν, seu suffragia FIDELIUM (quod item falsum esse, comprobavit BELLARMINUS de Rom. Pontif. Lib. 1 Cap. 6) „ merito Principi suffragii prærogativa tribuetur in illa Eccle- „ sia, cujus ipse membrum est „.

118. " Reliquas Ecclesias suæ ditionis merito libertati suorum suffra- „ giorum relinquet, nisi graves rationes autoritatem ab ipso interponi subi- „ gant, nec temere aliquem invitæ Ecclesiæ obtrudet, si hæc idoneas caussas „ istum recusandi habeat . . . . . „.

119. " Est tamen penes summos Imperantes prospicere, ne per ambitum „ aut largitiones homines inepti & vitiosi ad munus sacrum grassentur. . . . „ Unde & hi delegare possunt, qui doctorum electionibus intersint, suaque

 „ auto-

„ autoritate impediant, ne quid indecorum aut vitiosum hic admittatur: nec „ minus, qui inquirant, utrum qui sacro officio admovendi sint, doctrina, „ docendique facultate rite instructi, ac moribus probati sint . . . . . „.

120. " Summorum Imperantium est constituere, qui in doctores Eccle- „ siæ inspectionem habeant, eosque si a limite aberraverint, corrigant, aut „ coerceant „. (In has curas, a professione Principis alienas, ii illum immittant necesse est, qui nullam in Præsulibus Ecclesiæ JURISDICTIONEM agnoscunt. Sed Catholici, cum jurisdictioni illi assentiantur, eas curas Præsulibus Ecclesiæ divinitus commissas esse & sciunt & fatentur; ut de virtute & peritia Pastorum inferiorum judicent, eosque, si officio defuerint, pro potestate coerceant).

121. Cavendum tamen esse addit PUFENDORFIUS, ut isti quoque inspectores " a reddendis rationibus non sint immunes, & coram Principe, „ aut CONSISTORIO in eum finem constituto conveniri queant, si & ipsi limites officii migrasse arguantur „.

122. " Ista omnia cum ad bonum ordinem in Ecclesia faciant, & vero „ a nemine commodius procurari queant, quam a summis Imperantibus, „ manifestum est, Principes, ut PRIMARIA MEMBRA ECCLESIÆ, istarum „ sibi rerum curam recte vindicare „.

123. " Præterea (pergit §. 46) ubi dissidii aliquid & controversiæ circa „ dogmata in Ecclesia exortum fuerit, istius componendæ cura ad summos „ Imperantes spectat, non solum ut sunt membra Ecclesiæ, sed etiam UT „ SUNT CAPITA REIPUBLICÆ . . . . . Unde tali casu penes illos est exi- „ mios doctores, aliosque idoneos viros convocare (ad Synodum seu in Concilium), „ & controversiam istis examinandam, & ex verbo Dei definien- „ dam committere, tum & directionem ejus cætus, præsidiumque gerere „. (Cura componendi controversias fidei ac disciplinæ, & convocandi ac dirigendi Synodos, pertinet primario ad Romanum Pontificem, & dein ad Episcopos; quippe quibus Spiritus sanctus regimen Ecclesiæ commendaverit. Catholici autem Principes norunt, quousque sua defensorum Ecclesiæ & fidei officia in hujusmodi rebus pertingere valeant).

124. " Id demum juris (ait §. 49 pag. 166) „ cura tranquillitatis publicæ „ Regibus dat, ut quæ PUBLICE recepta sunt doctrinæ christianæ compen- „ dia catheseon, symbolorum, confessionum, aut quocunque vocabulo ve- „ niant, ad normam sacrarum litterarum probe exigi curent ab omnibus, „ queis solida divinarum litterarum peritia est: & ubi ista recte se habere de- „ prehenderint, publicam, privatamque doctrinam ad eadem conformari „ imperent „. (Hæc omnia spectant ad solos Ecclesiæ Præsules; nec PROTECTORIS ECCLESIÆ officium habere unquam in istis locum certe potest).

125.

125. " Ubi ejusmodi publica formula fidei non extet, ſummorum Imperantium eſt operam dare, ut per rerum divinarum peritiſſimos aliqua componatur, ab OMNIBUS CIVIBUS, (ſutoribus laniis, coquis, tonſoribus, mendicis, mimis, balattonibus) ,, APPROBANDA & profitenda, ad quam ,, etiam, quicunque docendi munere funguntur, ſint adſtringendi ,,. (Auditin abſurda, quibus eos ſe oportuit implicare, qui ſupremum JUDICEM CONTROVERSIARUM ac Religionis, Eccleſiæ a Deo datum, temere deſeruerunt?)

126 " Ejusmodi formula fidei ubi publice recepta fuerit, integrum eſt ,, Regibus jus civitatis abnegare illis, qui eandem profiteri abnuunt, niſi ,, rationes reipublicæ aliud hic ſuadere videantur ,,.

127. " Supereſt ut diſpiciamus (in his librum ſuum abſolvit PUFENDORFIUS §. 53 pag. 182), ,, penes quem ſit errores & abuſus, qui in Eccleſiam tam CIRCA DOGMATA, quam mores aut regimen eccleſiaſticum ,, irrepſerunt, corrigere; ſeu quod eodem redit, penes quem ſit JUS REFORMANDI ,,?

128. " Cenſemus (reſpondet), ſi quis error aut abuſus in Eccleſiam ,, irrepſerit, per quem legitimum jus ſummorum Imperantium ſublatum aut ,, imminutum ſit (exempli cauſſa, inducta HIERARCHIA Eccleſiæ catholicæ & JURISDICTIONE) ,, hisce iſtum corrigere, ac reformare fas eſſe velut ,, ex libertate naturali, qua iſti in excellenti gradu gaudent, per quam pro- ,, pria auctoritate PRÆJUDICIA SIBI ILLATA averruncare poſſunt ,,. (Hæc quid ſignificent ſeu quo ſpectent, ex ipſa dicendi formula, & ex ſupra dictis facile intelligitur; & intelligetur mox clarius ex BOEHMERO).

129. Hucusque PUFENDORFIUM de eccleſiaſtici regiminis indole & forma dicentem audivimus, & ERRORES illius primarios indicavimus. Iſti vero ERRORES (uti non ſemel monuimus) non primum ſunt ab eo nati; eorum enim fundamenta ſunt jacta a Proteſtantium patribus LUTHERO, CALVINO, & aliis.

130. In LUTHERI autem, CALVINI, & ceterorum errores cum innumeri Catholici Scriptores egerint; alia modo contra PUFENDORFIUM promere, eſſet importunum.

131. Hoc tantum admonebo, inter Proteſtantes ipſos non eos deeſſe, qui VERITATIS VI adacti cogitaverint ſaniora. Quos inter unus ſufficiat SAMUEL BASNAGIUS, qui in *Annalium Eccleſiaſticorum* tomo altero inficiari non valuit, ſpiritualem poteſtatem ac JURISDICTIONEM fuiſſe Eccleſiæ DIVINITUS collatam. Quod dum confitetur, recedit a præcipuo PUFENDORFII & Proteſtantium ERRORE, unde ceteræ de Eccleſia hæreſes manant.

132. In Differtatione igitur quarta, quam BASNAGIUS infcripfit *de Ecclefiaftico Tribunali*, §. 1 hæc habet: " Tribunal Ecclefiæ JUBENTE DEO „ erectum fuiffe, faciles largimur BARONIO. Etenim NULLA SOCIE- „ TAS confiftere poteft ABSQUE AUTORITATE pœnas illis irrogandi, „ qui compofitas fancitasque leges evertunt atque perfringunt. Propterea „ APOSTOLUS (1 *Tim.* 5 17 - 19) meminit *Presbyterorum*, *qui bene PRÆ-* „ *SUNT;* & Timotheum monuit, *accufationem ne recipito, nifi fub duobus aut* „ *tribus teftibus.* Quibus conftitutum in Reos JUDICIUM indicatur „.

133. " Suæ funt (pergit BASNAGIUS) delinquentibus caftigationes „ ab Ecclefia impofitæ, irrogatio cenfurarum, interdictio Sacramentorum, „ ex grege fidelium ejectio. Qui actus SPIRITUALI funt POTESATI con- „ fentanei . . . . Eft tamen etiam atque etiam obfervandum, judicandi „ poteftatem non penes unum Epifcopum effe redactam . . . . . ., adeoque „ JUDICIUM ecclefiafticum *ariftocraticum*, non *monarchicum* fuiffe, quod & „ in ferenda Excommunicationis fententia fupra (Differtat. 3 num. 6 & 7) „ demonftratum eft „. (Hoc vero, prout a BASNAGIO in ea Differtat. tertia pofitum eft, repudiari a catholicis Viris oportet.

134. Nam non modo confilii confortium PRESBYTERIO tribuit, fed jus etiam partemque in Excommunicationis fententia, quafi hæc illi JURE DIVINO debeantur: " Ecclefiæ difciplina, *ait*, hæc fuit Apoftolis fancita, ut „ a PRESBYTERIO Excommunicationis fententia ferretur. Neque ver- „ fatilem, fed CERTAM FIXAMQUE, nullo feculorum curfu mutandam „ DISCIPLINAM pofuere, utpote a Spiritu fancto inftitutam „. Quod fane pronunciatum longe abeft ut monumenta illa convincant, quæ pro eo BASNAGIUS protulit; uti quivis antiquitatis vel leviter peritus, ea expendendo, intelligere poteft).

135. " Neque a PRINCIPUM voluntate (pergo nunc cum BASNAGIO ex Differt. 4) „ Ecclefiæ Tribunal, fed AB IPSO CHRISTO originem „ ducit. . . . . . Neque Principes, fed EPISCOPOS conftituit Spiritus fanctus „ ad *pafcendam Ecclefiam Dei . . . . . .:* neque ab Ecclefiaftico Tribunali Prin- „ cipum autoritas læditur, cum CIVILES imponere pœnas, verbera, catenas „ Ecclefiæ non liceat: utraque POTESTAS, politica fcilicet, & ECCLE- „ SIASTICA, cancellis, limitibusque circumfcribitur fuis, qui prorogari „ non debent „.

136. " Sint Principibus (addit §. 21 ejusdem Differt. quartæ), „ fint „ Epifcopis jura propria. . . . . . . De criminibus quoque QUIBUS SOCIE- „ TAS EVERTITUR, perinde atque de hærefibus judicium ECCLESIA in- „ terponet fuum. Cenfuris fuis adulteria, furta, ebrietates, vitiaque ejusmodi „ extinguat opprimatque, illæfo Magiftratus jure, qui fceleribus ejusmodi,

„ vin-

„ vincula, carceres, ſuppliciaque imperat. Sic UTRAQUE POTESTAS „ pro virili, Reip. tranquillitatem, hominum virtutem, gloriam Dei pro- „ movebit „.

137. Bene ſe habent iſta, quæ conſideranda ſanis omnibus propono, ut videant, quid vel ab invitis aliquando VIS VERITATIS extorqueat, a cujus tamen luce aciem oculorum avertere PUFENDORFIO placuit.

III. BOEHMERUS.

138. PUFENDORFIUM ſequuntur ex recentioribus Proteſtantibus ii, qui ſaniores ſibi videntur, ac pluris etiam a ſuis æſtimantur. Hujusmodi eſt Juſtus Henningius BOEHMERUS, qui hanc rem noſtram late perſequutus eſt in *Jure Eccleſiaſtico Proteſtantium* Lib. 1, Tit. 31, Tit. 28, Tit. 33, & Tit. 1; & diſtinctius in *Jure Parochiali* Sect. 1 Cap. 2 & 3 (ubi paſſim PUFENDORFII librum *de habitu religion.* appellat); poſtquam hoc idem argumentum verſaverat brevius in *Introduct. in Jus Publ. Univerſal.* Part. Special. Lib. 2 Cap. 1.

139. Audiamus illum, præcipue ex *Juris Paroch.* loco annotato. Erunt autem iſta quaſi loco brevis Commentarii ad PUFENDORFII libellum, ut melius introſpiciamus in errores Heterodoxorum, illosque eo diligentius vitemus, quo eos periculoſiores eſſe viderimus.

140. Poſuerat BOEHMERUS Cap. 1 §. 15, *Societates humanas eſſe vel æquales, vel inæquales. Æquales, ubi neuter alteri imperat, & ſic ibi ceſſat* (inquit) *reſpectus* imperantis *&* parentis, *ut ſunt COLLEGIA, quæ libera hominum coitione conſtant. In hac omne jus omnisque obligatio deducitur EX PACTIONIBUS eorum, qui illud collegium conſtituerunt, indeque perfectum jus producit. Quatenus ergo ſe obligarunt membra illius collegii, & quatenus ſe obligare potuerunt, eatenus tenentur.*

141. *Inæqualis eſt inter* imperantem *&* parentes, *& hic obligatio deducitur proxime ex imperio imperantis: quales ſunt respublica & plures minores in republica.*

142. Cum itaque ſocietas humana ſit vel æqualis, vel inæqualis; quærit BOEHMERUS Cap. 2 §. 14, qualis ſocietas ſit ECCLESIA. " Si eſt inæ- „ qualis (ait), imperium & obediendi gloriam ſupponere debemus, & ita „ favemus imprimis CLERO PONTIFICIO, HIERARCHIAM quandam fin- „ genti & ſuprematum Præſuli Romano univerſalem adſcribenti „. (Vides jam quo BOEHMERUS collineet).

143. Hoc ſuum abſurdum ut ille devitet; ponit §. 19 *Eccleſiam eſſe SOCIETATEM ÆQUALEM, hoc eſt, ubi nullus reſpectus imperantium & parentium occurrit, ſimul inde colligens, eam COLLEGII cujusdam ſpeciem præ ſe ferre.*

" Unde

" Unde quia in collegio (pergit §. 23) eſt æqualitas, inter æquales vero „ æquale jus obſervatur, ſequitur, ut & negotia, ad Eccleſiam reſpicientia, „ qua talia a tota Eccleſia dijudicari debeant „.

144. (Sed abſurda merito viſa eſt iſta ECCLESIÆ ÆQUALITAS vel Theologo illi Proteſtantium non contemnendo JACOBO I. REGI ANGLIÆ, qui in *Monitoria præfatione ad Chriſtianos Principes de Apologia pro juramento fidelitatis* (pag. 143 Operum edition. 1689) hæc habet:

145. " Epiſcopos eſſe in Eccleſia debere, tamquam inſtitutionem apo- „ ſtolicam, ac ordinationem proinde divinam, contra Puritanos ſemper ſenſi. „ Et quo ſtudio in Epiſcoporum, & ECCLESIASTICÆ HIERARCHIÆ „ Politici duntaxat ordinis cauſa (additum eſt poſteriori certe & aliena manu) „ defenſionem ſemper incubui, eodem in confuſam illam Anarchiam & PA- „ RILITATEM PURITANORUM invectus ſum „.

146. " Cælum, cæleſteſque ſpiritus per ordines ac diſcrimina diſponi, " ac gubernari ſcimus: imo nec inferi ſine ſuo quodam ordine & diſtinctione „ ſtare poſſunt. .... Qui igitur cætus in terris aliquis confuſus permiſtusque, „ NULLO ORDINUM DIGNITATUMQUE DISCRIMINE, „ poſſit conſiſtere? .... „.

147 " Epiſcopos, & ECCLESIÆ HIERARCHIAM (*ut modo dixi*) & „ inter ipſos Epiſcopos ordinem aliquem, ac diſcrimen libens agnoſco. Scio „ Patriarchas in Eccleſia primitiva extitiſſe; & inſtitutionem illam ordinis & „ diſcriminis cauſa complexor „. Hæc Sereniſſimus Princeps: cujus tamen teſtimonio catholica veritas & Hierarchia Eccleſiæ non indiget: hæc enim ſolis Proteſtantibus propono).

148. " Sed inquis (objicit ſibi BOEHMERUS *num.* 24) „ ſi in Eccleſia „ omnium iura ſunt æqualia, etiam quilibet poteſt prædicare verbum Domini, „ poteſt ſacram cænam adminiſtrare, abſolvere a peccatis &c. quod tamen „ citra manifeſtam hæreſin dici nequit „.

149. Reſpondet §. 26 ſecundum placita Proteſtantium, præſertim LUTHERANORUM: " Hoc negari nequit, omnia hæc jura competere Eccle- „ ſiæ imo etiam SINGULIS DE ECCLESIA, antequam Eccleſia aliquos ſe- „ legit, & hiſce unice negotium demandavit. Hoc ſi factum, illi, qui mem- „ bra hujus Eccleſiæ eſſe volunt, omnino ſe quoque conformare debent ad „ illa, quæ ſemel placuerunt, & ſic ex poſt facto fit, ut jura illa fiant quo- „ dammodo inæqualia „.

150. " Ex hac commiſſione (pergit §. 27) certorum negotiorum eccle- „ ſiaſticorum oritur primaria diſtinctio inter membra ipſius Eccleſiæ, quod „ ſint vel DOCTORES vel AUDITORES. Sicuti vero doctores multum

„ diffe-

„ differunt ab Imperantibus civilibus, ita nec hi doctores in Ecclesia ullum „ imperium prætendere aut exercere possunt..... Imperantes finem suum „ intendunt remediis coactivis, pœnis, judiciis, legibusque, qualis potestas „ ministris Ecclesiæ ab Ecclesia (id est, a cætu universo Fidelium) „ nec „ commissa est, nec committi debuit „.

151. " Solent ergo (ait idem BOEHMERUS *in jure Ecclesiast. Protestant.* Lib. 1 Tit. 33 de Majorit. & Obedient. num. 8) „ collegia (*adeoque & Ecclesiæ*) directores vel præpositos sibi etiam eligere, sine ulla tamen impe- „ randi potestate, hoc tantum fine, ut directionem negotiorum in communi „ peragendorum, cum quadam prærogativa suffragii habeant, a collegio ta- „ men dependeant, eique rationibus reddendis obnoxii sint „.

152. Quod membra spectat Ecclesiæ; ponit ibidem num. 19, *regulariter quidem constare Ecclesiam ex* docentibus & auditoribus, *sed non necessario* ex laicis & clericis ....., *adeoque ad essentiam Ecclesiæ externæ & particularis* (hoc est, publica destitutæ auctoritate & patrocinio, publicove sacrorum exercitio) *absolutam, non necessario requiri Episcopos aut Presbyteros.* (Hic quoque ad heterodoxi hominis mentem, intellige Episcopos & Presbyteros, qui nullo ordine aut charactere, vel jurisdictione a laicis differant).

153. " Dico ad essentiam, *ait*, nam inde non nego, in Ecclesia regulari- „ ter, si per pacem civilem fieri potest, adesse debere ministerium (sed nullo Ordinis discrimine, præter VOCATIONEM EXTERNAM) „ hoc enim „ ipsum ordo in Ecclesia servandus postulat: ast ubi non potest ob publicam „ calamitatem haberi ministerium legitime constitutum, Ecclesia nihilominus „ inter paucos legitima adest, cum quælibet multitudo fidelium hoc nomine „ veniat „.

154. " Inde fluit (inquit §. 33 ejusdem Tituli 33) „ ubi deficit con- „ fessus ordinis ecclesiastici, seu ministerium, vel quod Ecclesia pressa sit; „ vel quod per casum fortuitum & calamitatem publicam ad paucissimos adeo „ redacta sit, ut vix unus alterve supersit, quemlibet (etiam LAICUM) pro „ eo statu posse sacra munia obire. Reviviscit eo statu illa libertas, quæ etiam „ in religione singulis competit, antequam quibusdam hæc munia speciatim „ demandata erant „. (Hi errores consequuntur ex eo quod BOEHMERUS cum suis Ordinem seu sacram Ordinationem non habuerit pro vero Sacramento; contra ac habet fides catholica a Concilio TRIDENTINO proposita *Sess.* 23, *Can.* 3 & 4; quos Canones recitavi ad PUFENDORFIUM num. 69 & 71.

155. Abutitur in allatis locis BOEHMERUS auctoritate TERTULLIANI ad errorem suum specie aliqua veri contegendum. Sed abstinuisset, credo,

ab allegando TERTULLIANO, si ea pervidisset, quæ ad Tertullianum explicandum jampridem scripserat Aurelianensis Episcopus ALBASPINÆUS *de Eucharist. Lib.* 2 *Cap.* 8; aut ea quæ in brevi *Diatriba de potestate consecrandi* explicat Dionysius PETAVIUS contra Hugonis GROTII Dissertationem *de Cœnæ administratione ubi Pastores non sunt*; quæ Petavii Diatriba habetur in quarto illius tomo de Theolog. Dogmat.).

156. " In eo tamen (dixerat jam BOEHMERUS in citato cap. 2. *Jur. Parochial.* num. 33, erroribus errores accumulans) „ Ecclesia ab alio collegio „ civili videtur differre, quod, quamvis uni collegæ possint reliqui conferre, „ optionem seu votum primarium, cui reliqui se conformare vi pacti debeant, „ non ita ab Ecclesia IN DOCENDI MUNERE quispiam constitui possit, „ cui reliqui suam voluntatem ita submittant, ut quam viam, aut quæ media „ salutis is propositurus sit, ipsi cæco obsequio amplecti velint aut debeant „.

157. *Hæc enim negotia non sunt talia, ut determinationi arbitrariæ subjici possint.* (Scilicet, secundum Protestantes, unusquisque habet suæ fidei ac doctrinæ morum arbitrium, liberumque judicium; quia nullus ab ipsis admittitur Ecclesiæ datus supremus judex fidei & doctrinæ; secus ac docet Regula catholica, & UNITAS FIDEI ac doctrinæ postulat).

158. QUOD PRINCIPES seu Imperantes attinet; " in Ecclesia (ait §. 30) „ non considerantur, ut Imperantes, sed ut Christiani, ut auditores & „ membra Ecclesiæ. Ac jam PUFENDORF. de hab. relig. §. 42 demonstravit (inquit num. 15) „ Principes eo ipso, quod christianam religionem pro„ fiteantur, haud fieri EPISCOPOS, nec inde ministerium Ecclesiæ alterari „.

159. Affirmaverat tamen idem BOEHMERUS num. 28 nihil fore impedimento quominus posset Princeps sibi sumere Doctoris officium; hocque si faceret, id non fore SINE VOCATIONE. Etenim „ quia suprema „ VOCATIO (ait) a Principe dependet, revera se ipsum vocaret, si publice „ doceret „.

160. Quæ quidem sunt cum iis congruentia, quæ PUFENDORFIUS dicebat *num.* 104; nullam fore *naturalem repugnantiam*, si REGIS, ac DOCTORIS Ecclesiæ munera conjungerentur in unum hominem, dum commode per vires humanas exerceri utrumque ab uno homine posset.

161. Etsi vero Princeps sit præcipuum in Ecclesia membrum; hoc tamen nomine nihil plus juris habet in Ecclesiam, quam alius quivis de Ecclesia; uti BOEHMERUS habet §. 31. Addit Cap. 3 ejusdem Sectionis primæ §. 13 " fallere eos, qui Principi, ut PRIMARIO ECCLESIÆ MEMBRO, „ tribuunt jus circa sacra, id quod si verum esset, sane in sacra, quibus non „ est addictus, jus ei esset adjudicandum „.

162. " Porro licet concedi debeat (pergit Cap. 2 §. 48) „ Principem „ in Ecclesia non considerari, ut talem, neutiquam tamen jus circa sacra ipsi „ negari potest. Nam cum non amittat jus suum per ingressum in Ecclesiam, „ quod intuitu Reipublicæ, cui præest, in quascunque universitates exercet, „ sine dubio etiam jus circa sacra retinebit „.

163. " Deducitur hoc jus ex ipsa *majestatis* natura, quæ circa omnium „ civium negotia, quatenus SUPERIORIS DIRECTIONI subjici possunt, „ versatur. Et cum Ecclesia COLLEGIUM quoddam in republ. repræsentet, „ non potest non quatenus COLLEGIUM, seu EXTERNA societas in re- „ publica est, summæ Majestatis imperio esse subjecta „. (Atqui Ecclesia COLLEGIUM non est: neque enim ii, qui in Ecclesia sunt, inter se sunt *pares* seu *æquales*; quam tamen *æqualitatem*, ipsis auctoribus Protestantibus, indoles COLLEGII postulat.

164. Alii sane esse debent in Ecclesia, qui imperent, alii qui pareant, secundum leges HIERARCHIÆ, quam Catholica Fides obtinere in Ecclesia docuit: sui ibi sunt SUPERIORES, qui a Spiritu Sancto præfecti sunt Ecclesiæ REGENDÆ, seu qui ad directionem Fidei & DISCIPLINÆ sunt positi; quibus, uno verbo, a Deo ECCLESIASTICA, & Spiritualia demandata sunt ordinanda; sicuti Civilia Principes acceperunt administranda. Duæ ergo sunt in orbe christiano potestates, invicem ita distinctæ, sicuti a rebus civicis distinguuntur ecclesiasticæ tum natura, tum origine.

165. Hisce vero positis secundum Fidei divinæ regulas, jam sponte cadit Bœhmerianum Jus PRINCIPIS circa sacra. Intelligant ergo iterum Catholici quidam, quam inani & vacuo fundamento ratiocinationes eæ Protestantium nitantur, quas ipsi tamen videntur probare, dum Principi nescio quo sui Imperii jure ECCLESIASTICAM saltem EXTERNAM DISCIPLINAM vindicatam vellent. Interim pergamus audire BOEHMERUM).

166. " Sicuti ergo Principis, qua talis (progreditur num. 50 & 51) „ officium unice in eo consistit, ut EXTERNAM TRANQUILLITATEM, „ ET PACEM in republica conservet, stabiliat, & quovis modo fundet: „ ita quoque exinde jura circa sacra sunt æstimanda. Fini enim debent esse „ proportionata media „. (Sed quid hæc ad superiora? Ubi jus Principis circa sacra deducebat ex illius jure circa omnium civium negotia & circa omnia COLLEGIA, seu societates externas reipublicæ; quod quidem jus non pendet a necessitate tuendæ externæ tranquillitatis & pacis).

167. " Vi juris circa sacra (pergit, nonnullis interjectis) „ Principi „ competit generalis inspectio in Ecclesiam, non secus ac in reliqua COL- „ LEGIA, ne in abusum trahatur, & collegium pium transformetur in noxiam

„ reipublicæ ſocietatem, quod fieri facile poſſet, ſi clerici ſua poteſtate „ abuterentur, & per conciones vehementes, & zelum immaturum ſpirantes „ rebellionem, ſeditiones, turbas tumultusque in republica excitarent „. (Sed quid hoc iterum ad ſuperiora)? . . . . . . " Hinc eſt jus dirigendi con- „ ciones clericorum, jus controverſias interdicendi „ (ne de erroribus ſuis Proteſtantes inter ſe lites agant).

168. " Porro huc pertinet jus poteſtatem clericorum reſtringendi, ſi „ fines ſuos (non re, ſed opinione PROTESTANTIUM) „ extenderint, „ quale exemplum ſiſtit PUFENDORF de hab. relig. §. 44 in cauſſis matri- „ monialibus, jus præſidendi Conciliis, ubi clerici ſubditi ſunt congregati, „ ne quid in reipublicæ detrimentum ibi peragatur (exempli cauſſa, jura Ec- cleſiaſticæ HIERARCHIÆ divina ordinatione inſtitutæ exercendo) „ & ipſi „ inter ſe tranquille cauſſam ſuam agant; jus delicta coercendi, v. c. ſimo- „ niam, jus condendi LEGES ECCLESIASTICAS de iis, qui EXTER- „ NUM ordinem reſpiciunt „; (quoniam poteſtate LEGISLATIVA, ſe- cundum Proteſtantium hæreſim, Eccleſia caret; quippe quæ, ſecundum eo- rundem hæreſim, omni quoque caret JURISDICTIONE, quæ ubi deſit, eſſe non poteſt legislatio.

169. Videant jam quidam ex noſtris, undenam collegerint, poſſe Princi- pem leges de rebus eccleſiaſticis ſeu de EXTERNA Eccleſiæ DISCIPLINA condere).

170. Sed BOEHMERUM audiamus clarius ſua ſenſa promentem in *Introduct. in Jus Publ. Univerſal.* Part. Special. Lib. 2 Cap. 5 annotato §. 15. " Cum Eccleſia (inquit) ſit in republica, imperanti non minus ac in cetera „ COLLEGIA competit jus inſpectionis generalis, ut videat, ne quid in ſui „ & reipublicæ præjudicium ibi agatur: inde prima fundamenta juris circa „ ſacra. Non raro contingit, membra COLLEGII & inprimis, qui illis præ- „ ſunt, ſua abuti poteſtate, & limites officii ſui excedere, adeoque arrogare „ ſibi POTESTATEM LEGISLATORIAM vel Imperatoriam . . . . . Ma- „ ture itaque præcavendum eſt, ne quid tale fiat . . . . . . Salutis reipublicæ „ ratio poſtulat, ut quantum fieri poteſt, præcaveat, ne SACRUM quod- „ dam IMPERIUM in Eccleſia oriatur . . . . „.

171. " Si Imperans vigilantiam ſuam hic negligit, & præpoſiti ſacris „ ambitione trahuntur, prout facile contingere poteſt, omnino metuendum „ eſt, ne JURISDICTIONEM paulatim exercere, & HIERARCHIAM ſta- „ bilire incipiant. Plus ſæpe una SEDITIOSA CONCIO nocuit reipublicæ, „ quam alii hoſtes externi. Majores nonnunquam præpoſiti dedere in re- „ publica turbas, & QUIETEM INTERNAM turbarunt, quam alia extrema

„ rei-

„ reipublicæ mala „. (Sed quid hæc ad priora? Quid hoc eſt, niſi, ob cauſſæ imbecillitatem, in varias ſe vertere partes?) . . . . .

172. " Hæc itaque inſpectio ſpecialis dat Principi jus ſupremum circa „ ſacra, cujus intuitu HENRICUS VIII Rex Angliæ ſe caput Eccleſiæ non „ inepte dixit, jugo PONTIFICIS, qui caput eccleſiarum omnium dici vo- „ luit, excuſſo. Sed non eo ſenſu, prout HOVTUYN voluit „. (Atque huc tandem nova ingenii PROTESANTIUM acumina recidunt; quibus tamen non deſunt qui plaudant, non intelligentes nec unde ducantur, nec quo tendant).

173. Primarias poſitiones, quas hactenus cum BOEHMERO protulimus, explanat idem latius in *Jure Eccleſiaſtico Proteſtantium* Lib. I Tit. 31 cit. qui eſt *de Officio Judicis ordinarii:* in primis vero incumbit in eam, qua affirmatum eſt, Principes eo ipſo, quod chriſtianam religionem profiteantur, haud fieri EPISCOPOS.

174. Et multis quidem verbis eos confutat, qui docent " Principes eſſe „ EPISCOPOS in ſuis territoriis, adeoque jura epiſcopalia ab eis ſolitarie „ exerceri; ſuſtinere ſcilicet Principem evangelicum duplicem perſonam, „ Principis & EPISCOPI, ita ut, qua Princeps ſecularibus, qua Epiſcopus „ eccleſiaſticis præſit, ea dirigat, de iis diſponat, eodemque jure utatur, „ quo Epiſcopi catholici. Inde in CONSISTORIIS Proteſtantium quoque „ doctrinam de variis juris epiſcopalis ſpeciebus neceſſariam „.

175. Verba ſunt BOEHMERI §. 19; qui & admonet, hanc eſſe *vulgatam plerorumque Proteſtantium Juriſconſultorum ſententiam, & communem fere doctrinam;* in cujus dicti confirmationem nominat plures, & inter ceteros CARPZOVIUM libr. I jurispr. conſiſtor., ZIEGLER de jur. majeſt. libr. I, Gisbertum VOET P. I. polit. eccl. libr. I, BESOLD, & BRUNNEMANN.

176. " Ut vero evidentius (pergit num. 20) „ mentem aſſertores juris „ epiſcopalis declarent ſuam, ſupponunt jura Principum circa ſacra ſeu cle- „ ricis propria, adeoque ad Principes, qua tales, haud pertinere poſſe, nec „ cohærere SUPERIORITATI TERRITORIALI, vel ſupremæ poteſtati: „ aliam quippe eſſe POTESTATEM SPIRITUALEM, aliam ſecularem, „ GLADIUM DUPLICEM in republica chriſtiana reperiri . . . . . . Porro „ docent, Principi quidem competere utramque poteſtatem tum ſecularem „ tum EPISCOPALEM, ſed diverſo modo; illam jure hæreditario; hanc „ ex TRANSACTIONE PASSAVIENSI, uſque dum amicabiliter nego- „ tium univerſale fuerit compoſitum „.

177. Hanc ſententiam BOEHMERUS repudiat; & eccleſiaſticam Principum Proteſtantium jurisdictionem affirmat eſſe partem CIVILIS IMPERII,

atque ab iisdem exerceri JURE CIVILI IMPERII, adeoque " Principes (inquit §. 44) „ qua tales, non qua Epiſcopi, illam omnino ſibi vindicant, „ & minus recte poteſtas hæc *epiſcopalis* dicitur. Scilicet ſumma Imperantis po- „ teſtas per totam rempublicam ſe diffundit in omnes civium actiones etc. „. Omitto reliqua, cum nihil diverſum habeant ab iis, quæ ſupra adduximus, & pro merito notavimus.

178. Colligit autem §. 45, *eos recte omnino ſentire, qui jus eminens circa ſacra EX SUPERIORITATE TERRITORIALI Principibus PROTESTANTIBUS adſcribunt;* (Proteſtantibus ſcilicet; & bene hoc declaratum voluit BOEHMERUS, quoniam Principes Catholici, cum divina inſtituta & antiquitatem colant, ab his NOVIS Proteſtantium Principum juribus abhorrent).

179. Hisce poſitis, negat item BOEHMERUS §. 53, hæc jura a Principibus Proteſtantibus exerceri, quatenus ſunt MEMBRA ECCLESIÆ PRÆCIPUA. " Qui enim hanc hæreſin fovent (ait), IN PRIORE HAUD „ FERENDO ſubſiſtunt, Eccleſiæ IMPERIUM SACRUM proprium eſſe, „ & hoc reſpectu a Principe exerceri, quatenus primarium ejus membrum „ eſt. Inde rurſus INFINITI ALII ERRORES propullulant, ſcilicet ab hoc „ imperio circa ſacra non excludendum eſſe miniſterium ſacrum, immo nec „ plebem, ſed Principi tantum competere prærogativam ſuffragii etc. „

180. (Lauda ergo ſapientiam, acumen, & zelum BOEHMERI, qui ISTIS INFINITIS ERRORIBUS, iſtis ERRORIBUS HAUD FERENDIS Theologiam Proteſtantium expurgare conatus eſt. Ceterum (ut ſerio agam) intelligis, non aliam ob cauſſam ſive adverſus Epiſcopatum Principis, ſive adverſus cetera BOEHMERUM ſtetiſſe, niſi ut erroribus errores adaugeret; ſeu ut ſuæ illi ſuorumque hæreſi conſtans inſiſteret, quæ habet, nullam eſſe Eccleſiæ JURISDICTIONEM. Hanc enim contra oporteret in ECCLESIA agnoſcere, ſi Juriſdictio illa qua Princeps ex ſententia PROTESTANTIUM potitur in Eccleſiam, eſſet in eo vel tanquam EPISCOPO, vel tanquam PRIMARIO ECCLESIÆ MEMBRO).

181. Addit vero idem BOEHMERUS Tit. 33 annotat. de Majorit. & Obedient. §. 36, eos, qui Imperanti Jus circa ſacra tribuunt tanquam PRIMARIO ECCLESIÆ MEMBRO. " Eccleſiam non aliter quam ut ſpe- „ cialem & ſeparatam REMBUBLICAM concipere, quæ cum republica „ ſeculari nihil commercii habeat, & ab ea nullo modo dirigi debeat; vel „ ad minimum, Eccleſiam reipublicæ qua talis, partem conſtituunt....... „ Sunt ergo duæ ſpeciales reſpublicæ in una republica; civili tantum præeſt „ Princeps, & ſolus ejus jura explicat: ſacra vero gubernantur a Principe, clero

„ clero & populo, nec plus juris in eo habet Princeps, quam clerus & po-„ pulus......, & ita Ecclesia externa a civili nullo modo dependet. Hanc „ HORRIDAM PHILOSOPHIAM peperit potissimum adducta opinio „. (Sed istos sinamus ut disputent inter se, ac se torqueant in errorum suorum fundamentis stabiliendis).

182. Habebunt autem Principes Protestantes sua CONSISTORIA, in quibus judicia ecclesiastica exerceantur, seu caussæ ecclesiasticæ disceptentur ac judicentur. Atque quoad hæc etiam CONSISTORIA a pluribus Protestantium erratum esse, admonet BOEHMERUS in eodem *Jure Ecclesiast. Protestant.* Lib. I Tit. 28 cit. de Offic. Vicar. num. 11 & 14. Qui cum Principem pro EPISCOPO haberent, istiusmodi quoque CONSISTORIA habuerunt tanquam Judicia EPISCOPALIA, quibus præessent Principes, quatenus Episcopi sunt, & quibus item, EPISCOPATUS sui jure, Officiales præficerent; quæ præterea necessario Principes constituere tenerentur ea de caussa, quia ECCLESIASTICARUM rerum tractationem a secularium quæstionum judicio separari oportuit.

183. Hæc repudiantur a BOEHMERO, qui potestatem in sacra Principi non tribuit jure EPISCOPATUS, sed (secutus aliam PHILOSOPHIAM minus HORRIDAM) tribuit tanquam rectori Reipublicæ ac virtute summæ potestatis. *Nata est sententia contraria* (ait §. 15) *ab ERRONEO falsoque principio, Ecclesiæ competere JURISDICTIONEM, quod si verum est, Ecclesia quoque separatam rempublicam constituere debet, id quod nostrates* (velut HORRIDAM PHILOSOPHIAM) *negant.*

184. Hisce explicatis, accedit BOEHMERUS ad suas de CONSISTORIIS positiones. Quarum prima est §. 17 "Consistoria seu ECCLESIASTICA „ judicia non necessario a Principe AUGUSTANÆ CONFESSIONI addicto „ esse constituenda, sed horum dispositionem ab ejus dependere arbitrio. „ Quævis enim judicia (pergit) PRINCEPS TERRITORII pro ratione & „ utilitate reipublicæ ordinat, adeoque eidem integrum esse debet, utrum „ caussis ECCLESIASTICIS forum peculiare attribuere; an easdem aliis tri-„ bunalibus secularibus committere velit „.

185. Altera positio est §. 26: " Consistoria seu judicia ecclesiastica de-„ pendere a solo Principe territorii, minime vero ab Ecclesia, sive tantum, „ quod PONTIFICII urgent, sive conjunctim cum Principe, quod quidam „ ex nostratibus (HORRIDE philosophantes) asserunt „.

186. Aliam positionem habet BOEHMERUS §. 30, qua statuit, " in „ arbitrio Principis esse, qualesne huic dicasterio præficere velit, utrum tan-„ tum laicos, an vero simul etiam politicos. Plerumque THEOLOGI

„ simul

„ simul (ait) ei interesse solent, quod etiam satis conveniens & consultius, „ minime vero simplicis necessitatis . . . . . . Quod quidam ex nostratibus „ absolute requirunt, ut theologi CONSISTORIIS adsideant, erroneo prin- „ cipio, quod consistorium totam Ecclesiam repræsentet, & ab ea quasi de- „ pendeat, adscribendum est „.

187. Item ponit §. 44, " Principem caussas ecclesiasticas ab hoc foro „ ex justa caussa avocare eodem modo posse, quo caussas litigiosas ab aliis „ foris sibi subjectis, urgente juris ratione, avocare potest „. Et §. 47 definit, „ posse Principes Protestantes CONSISTORIO limites præscribere, & de- „ terminare, quænam caussæ ad illud referri, quæ SECULARI JUDICIO „ reservari, quæ ad cognitionem PRESBYTERII, ubi illud constitutum est, „ pertinere, & denique quæ ad RESERVATA sua spectare debeant „.

188. " Hodie (pergit §. 52) ad RESERVATA Principum (Protestantium) „ referri communiter solent potestas legum ecclesiasticarum feren- „ darum, jus disponendi de liturgicis, & reformandi sacra, dispensandi in „ caussis majoribus, uniendi, dividendi, supprimendi & erigendi beneficia „ ecclesiastica, convocandi synodum, dandi licentiam templa aliaque loca „ religiosa ædificandi, confirmandi electos vel postulatos prælatos, jus anna- „ tarum, & circa capitula ecclesiastica, potestas consensum & auctoritatem „ interponendi circa alienationem honorum ecclesiasticorum, dies festos vel „ litanias indicendi, inspectores constituendi etc. quæ omnia vel EPISCOPI, „ vel ipse PONTIFEX ex jure RESERVATO exercere solent, reliquis juri- „ bus sacris judicio ecclesiastico delegatis „.

189. " Atque hæc RESERVATA Principes PROTESTANTES vel in „ CONSILIO SANCTIORI expediunt, vel Senatui ecclesiastico (qui alius est a CONSISTORIO) „ committere possint. Verum extra SAXONIÆ „ Electoratum hujusmodi *Senatus ecclesiasticus* peculiaris vix occurrit, cum in „ aliis locis immediatæ cognitioni Principis RESERVATA hæc reserventur „. (Agnosce in his statum ac mores NOVOS PROTESTANTIUM, neque aliud nunc quæras.

190. Sua vero hæc jura (NOVA) in sacra dum exercebit aut vindicabit Imperans, in partem hujus exercitii minime Theologos vel Ministros admittet. Etenim " si ex præscripto Sacerdotum (inquit BOEHMERUS *Jur. Parochial.* Cap. 2 cit. §. 52) „ omnia Princeps vellet dirigere, sæpe tyranni- „ dis alienæ carnificem ageret, ceu CONCINNE ADMODUM loquitur „ PUFENDORF. de hab. relig. §. 51, ubi adhortatur Principes, ne judicium „ suum resolvant in autoritatem suorum sacerdotum, quantamcunque pieta- „ tem & probitatis speciem præ se ferant „. (Hæc BOEHMERUS forte CONCINNE ADMODUM, sed non perite aut christiane).

191.

191. Quoad constituendos Ministros seu DOCTORES Ecclesiarum, ex eodem BOEHMERO in *Introduct. in jus Publ. Universal.* Cap. 5 alleg. §. 17, pertinet ad Imperantem, quo illa DOCTORUM constitutio tranquillius ac felicius succedat, pertinet, inquam, ad Imperantem, " præscribere certum „ modum, in constitutione observandum, immo & si ne sic quidem tranquil- „ litas illæsa maneat, ad conservandam pacem etiam jure imperii doctores „ constituere potest „.

192. " COLLEGIO quidem (subdit) hoc jus competit, & hactenus illud „ recte exercet, nec Imperans EX JURE IMPERII sibi præcise hoc arrogare „ potest, quatenus pacifice jure suo & non in perniciem reipublicæ utitur, „ sed sæpe ad Imperantem per accidens veniunt, quæ alias ab Imperio non „ per se dependent „.

193. " Hodie in pluribus locis jus constituendi ministros Ecclesiæ ad „ Principes devolutum est, sed hac saltem ratione, quia turbidi subditi tot „ clamores semper excitarunt „. (Fruantur ergo PROTESTANTIUM Ecclesiæ tum aliis multis, tum istis novæ evangelicæ lucis fructibus.

194. Decidere controversias theologicas (inquit idem in *Jur. Parochial.* Cap. 2 allegato §. 61) *non proprie spectat ad officium Principis, interim quando turba & tumultus in hisce litibus metuuntur, decernere potest, quænam doctrina PUBLICE doceri debeat* (verane sit, an falsa, nihil interest) *ut ita pax publica conservetur:* quod ipsum latius explicat Cap. 3 §. 19 - 24. (Justo sane Dei judicio in has salebras conjecti sunt PROTESTANTES, ut ad laicorum quotidiana arbitria fidem ECCLESIARUM suarum revocarent; postquam supremam Ecclesiæ CATHOLICÆ potestatem circa controversias FIDEI negarunt, seu supremum illum controversiarum judicem abjecerunt, quem ad Ecclesiæ suæ UNITATEM ET PERPETUITATEM Deus constituit).

195. Hæc ergo publica doctrinæ approbatio, quæ a Principe fiat, proprie decisio non est; prout jam BOEHMERUS indicavit. *Nam primo* (uti *in Jure Ecclesiast. Protestant.* scribit Lib. 1 Tit. 1 annotato de summa Trinit. §. 32) *hæc approbatio tantum respicit PUBLICAM doctrinam; verum autem a falso non semper dirimit. Unde contingere potest, ut hæc a vero & tramite Scripturæ sacræ sit aliena.*

196. (Ergo Ecclesiis Protestantium id aliquando contingit, ut ea PUBLICE de Deo & divinis profiteantur & prædicent quæ falsa sint, seu quæ Deo & divinis repugnent; & hujusmodi, PUBLICAM saltem, confessionem imperare illis Princeps potest: & hoc non aliam ob caussam potest, nisi *ut ita pax publica conservetur.* Obstupesce, Lector, ad novam Politicen, quæ humanis divina subjicit seu divina humanis servire facit!)

197. *Secundo, hæc approbatio vim non infert conſcientiis, ſed ſingulis relinquit in rebus fidei arbitrium* PRIVATUM *ſalvum* (eo ipſo tempore quo jubet aliena PUBLICE loqui, ſeu repugnantia, ſi opus ſit, de Deo & divinis profiteri)..... *Tertio, hæc approbatio fit a ſolo Imperante, ſine concurſu* NECESSARIO *Theologorum*..... *Quarto, hæc fit intuitu reipublicæ, ne, controverſiis gliſcentibus,* TRANQUILLITAS *ejus turbetur, vel ut turbata reſtauretur* etc.

198. Etſi vero affirmat BOEHMERUS, Theologos ſeu miniſtros Eccleſiæ non eſſe NECESSARIO advocandos in partem PUBLICÆ hujusmodi approbationis doctrinæ; in eo " non quæritur (addit §. 35), an non Princeps „ bene faciat, ſi Theologorum conſilia audiat, vel colloquia hunc in finem „ inſtituat; cum ita, excuſſis diſſentientium fundamentis, eo rectius judicare „ poſſit, quænam opinio ſit alteri præferenda „.

199. Intellexiſti primam cauſſam, cur jus in doctrinam PUBLICAM Proteſtantes Principi tribuant; tranquillitatem nempe publicam. Accipe modo alteram. " Principis quoque eſt (ait §. 50) decernere, quænam do„ ctrina PUBLICE docenda & recipienda ſit, quatenus ipſi jus REFOR„ MANDI exercitium Religionis competit (id eſt, totam ſubvertendi chriſtianam Religionem ac Fidem, & obtentu REFORMATIONIS ſubſtituendi nova LUTHERI, CALVINI, & ceterorum dogmata)..... „ Antea in terris Proteſtantium (quando *CATHOLICI* nominabantur, & erant, non *Proteſtantes*) „ Epiſcopi vel ipſe PONTIFEX pleraque jura circa „ ſacra ſibi vindicaverant, & ita jus circa doctrinas PUBLICAS ſolummodo „ exercuerant. Luce vero Evangelii (novi per LUTHERUM) erumpente, „ Proteſtantes jure ſuo ſe in priſtinam libertatem vindicarunt „. (Vidimus, credo, hactenus, in quam multam lucem Proteſtantes Lutherus protraxerit).

200. " Et quidem hæc REFORMATIO (ait §. 83) eo magis neceſſaria „ erat, quod doctrina vulgaris Cleri Romani adeo STATUM PUBLICUM „ ſuppreſſerat, ut de imperio rerumpublicarum ſummo actum eſſe videretur, „ adeoque eo majori cum alacritate tot Status imperii de reducenda SANA „ DOCTRINA cogitarunt, & jus REFORMANDI ſibi competens, antea „ aſtu Cleri Romani penitus fere ſepultum, priſtino ſuo vigori reſtituerunt „ (& alii quidem unam doctrinam *ſanam;* alii contrariam, item *ſanam;* alii rurſum novam, ſed *ſanam;* alii iterum aliam cum ceteris pugnantem, & tamen *ſanam;* alii pro tempore ac loco diverſam, ſed ſimul *ſanam* reduxerunt).

201. " Cum vero (pergit) a reformatione DOCTRINÆ exercitium „ RELIGIONIS publicum, & plura alia jura dependeant, inde tandem poſt „ tot conflictus & concertationes jus reformandi (modis multis & diſcordibus) „ exercitium RELIGIONIS publicum explicatum, aſſertum, & determinatum eſt, quo hodie utimur „.

202. " Duobus itaque casibus (colligit BOEHMERUS) „ jus hoc reformandi vel definiendi doctrinas PUBLICAS Principes legitime exercent. „ Primo, si per doctrinam vulgatam erroneam jus imperii SUMMUM conculcatur, deprimitur, & arbitrio Cleri subjicitur. Secundo, si ex dissensibus Cleri turbæ publicæ oriuntur, quæ mutuam tolerantiam respuunt, „ & necessario publicam definitionem exposcunt „. (Vides tandem ex istis, quibus ex principiis aperta sit via ad secessionem ab Ecclesia Catholica, & a CHRISTI FIDE, & ad Ecclesias Protestantium constituendas. Discamus ergo, quo tandem BOEHMERI, PUFENDORFII, & similium placita tendant).

203. Ceterum " non potest (ait idem BOEHMERUS Cap. 2 cit. *Jur. Parochial.* §. 68) „ decisio doctrinæ ab altero fieri pro me in rebus fidei. „ Neque Ecclesia (seu universitas Christianorum) „ obligatur ex decisis CONCILIORUM........ Scilicet quia res FIDEI in alterius voluntatem conferri nequeunt, nec decisio in CONCILIIS quoque, obligans reliquos, „ fieri potest „.

204. " Nec si tota Ecclesia esset congregata, singuli suas sententias submittere tenerentur universis; quia hic tale negotium subest, quod singulorum salutem tangit, ergo a singulis quoque approbandum, nec a pluralitate „ votorum dependet „. (Singuli ergo PROTESTANTES sunt supremi suæ FIDEI judices. Justo sane Dei judicio in hoc tenebrarum barathrum conjecti sunt illi qui supremam in definienda fide potestatem Ecclesiæ catholicæ seu Pastorum inficiati sunt, seu qui (ut non semel monui) judicem Religionis ac Fidei DIVINITUS in Ecclesia constitutum abjecerunt).

205. Cum possit quis, de COLLEGII seu Ecclesiæ sententia, ejici Collegio; istiusmodi " excommunicatio (ait BOEHMERUS §. 62) „ non alium „ effectum habere deberet, quam exclusionem ab illo collegio, salva manente dignitate politica & civili. Sed hic quoque in statum CIVILEM „ videtur transiisse ECCLESIA, dum excommunicatio hodie revera infamat, „ & sic effectum civilem habet. Proinde merito quoque Princeps de hac „ excommunicatione cognoscere & præcavere debet, ne quis per injuriam „ Ecclesia ejiciatur „.

206. " Quocirca (ita BOEHMERUS *in Jure Eccl. Protestant.* adnotat libr. 5 tit. 39 de sentent. Excommunic. §. 56) „ etiam major excommunicatio, ubi hodie inter Protestantes exercetur, per CONSISTORIA exercetur, quæ sunt judicia ecclesiastica (quibus tamen laici etiam assident, & quibus ex sententia BOEHMERI, ministri Ecclesiæ minime sunt necessarii) „ a Principe dependentia: suam determinationem, suosque EFFECTUS „ CIVILES, si quos habere debeat, unice a legislatoris civilis disposi-

„ tione accipit: quod reipublicæ magis consentaneum est, quia legislatoris „ & summi imperantis est, statum subditorum integrum conservare, minuere, „ modosque definire, quibus amitti queat „.

207. (Ut de istis recte & sano modo judices, non te remittam ad eos sive Theologos, sive Jureconsultos, qui serviles habentur, sed ad DUPINIUM *de antiq. Eccl. Discipl. Diss.* 3 *Cap.* 3, & ad VANESPENIUM *de Censur. Eccl.* (in parte sexta Oper.) *Cap.* 7 *&* *Cap.* 2 §. 5 *ac Cap.* 8 §. 4 - 6.)

208 Reponit autem BOEHMERUS §. 17 - 22 Excommunicationem ecclesiasticam in *simplici exclusione externa a cœtu ecclesiastico & commercio sacrorum*, seu communione EXTERNA, ita ut ex se ipsa nullum habeat IN QUOSCUNQUE EXCOMMUNICATOS effectum spiritualem; qui illius error fluit ex eo; quia cum Protestantibus suis IMPERIUM SACRUM seu potestatem solvendi & ligandi, id est, verum JUS CLAVIUM, in Ecclesia non agnovit.

209. Hoc idem docuerat jam LUTHERUS in Propositione 18 inter eas quas LEO X damnavit; quæ sic habet: *Excommunicatio est dumtaxat EXTERNA privatio Communionis, non SPIRITUALIUM Ecclesiæ bonorum, communiumque orationum.* Hunc Protestantium errorem refellit LUDOVICUS HABERT *de Sacram. Ordin. Par.* 2 *Cap.* 9 §. 1.

210. Sed & pœna hæc, & similes, ex BOEHMERO heterodoxo, non sunt nisi CONVENTIONALES, seu determinatæ ex mutuo eorum omnium pacto, qui sunt in Ecclesia, non vi JURISDICTIONIS ullius vel imperii sacri. (Hoc dici oportuit ab eo, qui cum suis gregalibus JURISDICTIONEM omnem abjudicat Ecclesiæ, contra perpetuam Patrum fidem).

211. Id BOEHMERUS declarat *in Introduct. in Jus Public. Universal.* part. special. Lib. 2 Cap. 5 citato §. 23 scribens: " Cætibus integrum est censuras quasdam INTER SE PACTO determinare, sed cum ministri sacro- „ rum illis facile abuti possint, Imperans iis modum ponit, ne alicui injuria „ inferatur, vel ipsimet sub illis imperium quoddam vel JURISDICTIONEM „ exerceant „.

212. " Censuræ itaque ecclesiasticæ (pergit) sunt medium quoddam „ coercendi contumaces in Ecclesia. Scilicet omne COLLEGIUM, quatenus „ est SOCIETAS ÆQUALIS, cogendi vim per modum imperii non habet, „ habet tamen EX PACTO, si scilicet pœnam quandam conventionalem „ constituit, ut eo rectius instituta in observantiam deducantur, quo in „ specie exclusio, vel partialis, vel totalis a COLLEGII communione „ pertinet „.

213. Addit vero, exclusionem hujusmodi peragi olim solitam communi Ecclesiæ consensu " cum æquum esset, ut cum quis tanquam membrum puti-„ dum a toto cætu abscinderetur, communis consensus adhiberetur: postea „ hoc jus Episcopos ad se traxisse, excluso collegio ecclesiastico „ etc.

214. Hæc ipsa suo modo explicat latius BOEHMERUS *in Jur. Eccles. Protestant.* Libr. 5 Tit. 37 de pœnis; ubi §. 27 redit iterum ad assignandam caussam, cur Censuræ ecclesiasticæ sint inter pœnas *conventionales* referendæ. Hoc scilicet ex eo manat, quia (ut ex sectæ suæ principiis opinatur) " Ecclesia „ non est respublica, imperio externo & JURISDICTIONE propria „ a Christo haud instructa. Videlicet Ecclesiarum quarumcumque primitiva-„ rum structura & ratio ostendit (Boehmero heterodoxo) „ eas cohæsisse ad „ instar CORPORUM ÆQUALIUM, in quibus imperii & jurisdictionis ex-„ ercitium concipi nequit „.

215. Ex hac igitur caussa VIM COACTIVAM omnem BOEHMERUS abrogat Ecclesiæ; cum ei hoc unum sit permissum, " ut mutua conventione (ait §. 17) „ sese adstringere possit ad quandam pœnam, quo eo rectius finem „ sibi propositum & salutem societatis seu COLLEGII obtineat, quam „ pœnam dum reus subit, CONVENTIONEM implet, ad quod JURE „ NATURÆ obstrictus est „.

216. " Et dum collegium hanc pœnam ab eo exigit, id non jure imperii, „ sed VI PACTI INITI facit, & sic jure suo agit, qualis pœna conventionalis „ etiam inter privatos recepta est, a natura tamen pœnæ proprie dictæ ma-„ gnopere abludit „.

217. Minus absona sunt ea, quæ hac ipsa de re habet SAMUEL BASNAGIUS, vir eidem Protestantium sectæ addictus, in tomo altero *Annalium Politico-Ecclesiasticorum* Dissertat. 3 §. 1-5; quo in loco de excommunicandi jure & de istius juris ORIGINE seu fundamentis contra quemdam suæ partis hominem disputat.

218. Antequam a BOEHMERO discedo, velim iterum consideres, Lector Catholice, errorem illum capitalem, quo ECCLESIASTICA negatur HIERARCHIA, seu quo Ecclesia ad COLLEGII seu CORPORIS ÆQUALIS conditionem dejicitur, serpere per universum ecclesiasticum BOEHMERI ejusdem seu Protestantium systema.

219. Hinc enim sequitur primo, negandos esse Ordinum sacrorum GRADUS seu negandum ORDINIS Sacramentum. Sequitur secundo, neganda jura & prærogativas, quæ HIERARCHIS Ecclesiæ Deus AD UNITATEM & perpetuitatem Ecclesiæ ejusdem concessit; uti est Generalium CONCILIORUM immunitas ab errore in decretis fidei ac morum; quibus acquiescere Christiani & tuto possint & præterea DEBEANT.

220. Sequitur tertio, negandam Præſulum Eccleſiæ JURISDICTIONEM & poteſtatem CLAVIUM. Qua re negata, neceſſe eſt procul ablegare divinum PRIMATUM Petri & Succeſſorum Pontificum Romanorum, necnon præeminentiam Epiſcoporum.

221. Neceſſe eſt item, iisdem Præſulibus Eccleſiæ & Conciliis abjudicari poteſtatem LEGES ferendi de DISCIPLINA eccleſiaſtica politica, ſeu, ut noſtrates quidam appellarunt EXTERNA; item de rebus ſacris ſeu de ſacrorum miniſterio; & de omnibus iis quæ in eccleſiaſticarum & ſpiritualium rerum cenſum referuntur, uti ſunt, exempli gratia, beneficia; vel de iis quæ ad ordinandum Eccleſiæ ſtatum & ad Religionem ac fidem conſtituendam ſeu firmandam faciunt; puta, de Conciliis.

222. Neceſſe pariter, iisdem Præſulibus abrogare poteſtatem concedendi veniam a Legibus eccleſiaſticis. Oportebit eisdem abjudicare VIM COACTIVAM ſpiritualem per cenſuras.

223. Hisce vero poſitis; quia nulla ſocietas, quæ aliquo hominum numero conſtet, poteſt ſalva conſiſtere, quin aliqua regatur poteſtate ſive nativa & propria, ſive extranea; abrogata nativa Eccleſiæ poteſtate, Præſulum nempe eccleſiaſticorum; jam oportuit extraneam adſciſcere, id eſt, temporalem Principis poteſtatem; & ad hanc ea transferre, quæ Eccleſiæ Præſulibus tribuenda eſſent. Inde exiſtunt errores omnes BOEHMERI, ſeu Proteſtantium de jure Principis circa ſacra.

224. Sed errores iidem mirum in modum augentur, quando quis ſemel affirmavit, prout a Proteſtantibus factum; tam abeſſe ut HIERARCHIA ſit in Eccleſia, una cum iis juribus, quæ ex Hierarchia conſequuntur; ut contra, Majeſtatis & ſummi Civilis Imperii ille jura læderet, qui in Eccleſiam tentaret HIERARCHIAM, ejusque jura invehere. Proinde ſpectare ad ſummum Imperantem, ut ab hac parte ſibi attente caveat; &, ſi viderit novatum aliquid fuiſſe, id prorſus & ſine mora tollat.

225. Etenim ab hoc capite aperitur via ad judicium de tota Religione, & de univerſa Eccleſiæ diſciplina, ſeu ad omnis Religionis Eccleſiaſticæ Politiæ everſionem, atque ad univerſos fere BOEHMERI & Proteſtantium errores; &, ut verbo dicam, ad præclarum illud jus REFORMANDI, de quo idem BOEHMERUS, & PUFENDORFIUS locuti ſunt. Hæc quæ ſupra non ſemel tetigimus, non opus eſt amplius explicare.

226. JAM VERO, firmata Patrum Fide de ECCLESIASTICA HIERARCHIA ope ſupra recitati Canonis ſexti Seſſionis 23 Concilii œcumenici TRIDENTINI; totum hoc BOEHMERI ſeu Proteſtantium ædificium corruat neceſſe eſt. Hinc enim JURISDICTIO Præſulum Eccleſiæ reſtituitur; ut BOEHMERUS quoque vidit.

227.

227. Hinc illorum jura ſarciuntur ad paſcendam, & REGENDAM Eccleſiam Dei; ad PASCENDAM, inquam, Doctrina, Sacramentis, & Sacris; ad REGENDAM vero diſciplina EXTERNA, ſeu rerum illarum cura & diſpoſitione, quæ *Eccleſiaſtica* ſunt & nominantur, & quæ EXTERNUM ſeu politicum ſtatum Eccleſiæ reſpiciunt.

228. Hinc LEGISLATIO, hinc vis coactiva ſpiritualis, hinc imperandi & obligandi poteſtas & cetera omnia inſtaurantur ac firmantur.

229. Noſtratibus quibusdam hæc ſerio perpendenda propono, qui contra veritatis, religionis, ac juſtitiæ leges videntur rebus novis hoc tempore ſtudere; non alia de cauſſa, ut credere licet, niſi quia ſcientia theologica deſtituti jurisprudentiam eccleſiaſticam tractare aggreſſi ſunt: qui ſane, THEOLOGICIS DISCIPLINIS non probe imbuti, tutius a jurisprudentiæ eccleſiaſticæ adytis abſtinuiſſent; quoniam ſine Theologiæ principiis eum præſertim frequentius neceſſe eſt errare, ac labi, qui de finibus ſeu limitibus poteſtatum ſcribere, vel docere alios ſuſceperit. Lege & *Caput VII infr. num.* 86 - - 98.

IV. HEINECCIUS.

230. BOEHMERUM & Pufendorfium brevi quidem ſententiarum ambitu, ſed omnibus tamen numeris expreſſit Joannes HEINECCIUS *Element. Jur. Nat. & Gent. lib.* 2 *num.* 183 - - - 187, *tom.* 1 *part.* 2 *Oper. edit. Geneven. noviſſ.* Per ECCLESIAM igitur HEINECCIUS intelligit *ſocietatem ſeu COLLEGIUM, religionis gratia initum.*

231. Rejicit autem & HEINECCIUS eum, quem plures Proteſtantium cogitarant, EPISCOPATUM Principis: ait enim, " jus dirigendi res Eccle-
„ ſiæ competere Imperanti, QUA IMPERANTI, non qua Epiſcopo, quod
„ vulgo ſtatuunt; quorum ſomnium erudite profligavit illuſtris collega Juſt.
„ Henn. BOEHMERUS diſſ. de jure epiſcopali Principum Evangel. Ac
„ proinde otioſam fere eſſe quæſtionem de Epiſcopatu, quem CONSTAN-
„ TINUS M. apud Euſebium in vita IV 24 in convivali ſermone ſibi tribuit,
„ eorum, quæ EXTRA Eccleſiam contingunt „.

232. " Nec magis (addit) rem acu tangunt, qui illud jus circa ſacra
„ Imperanti, vel tanquam PRIMARIO ECCLESIÆ MEMBRO, vel ex ſola
„ conventione vindicant . . . . . . Quum enim Jus ſit MAJESTATIS: non
„ alio titulo indigebit Imperans, quo fretus illud exerceat, quam SUMMI
„ Imperantis „. (Declaratum eſt ante, quod ſit Proteſtantium conſilium, dum Epiſcopatum Principis, aut titulos alios, velut ad jus Principis ejusdem

dem circa ſacra fundandum ineptos rejiciunt; quare nihil eſt, ut ad ea quæ dicta ſunt, alia nunc addamus.)

233. Nititur HEINECCIUS probare jus hoc Imperantis circa ſacra, ſeu circa Eccleſiam; ex hoc capite, *quod Reipublicæ unam eſſe voluntatem oporteat, talis vero non eſſet futura, ſi Eccleſia particularis non ſubeſſet Imperio.* (Quis vero non videat, hoc ratiocinium, ſi ſtaret, urgeri eousque poſſe, ut DIVINAM etiam voluntatem ac Imperium & Legem naturalem a FALSIS Imperii Civilis rationibus tandem excludat? A FALSIS, inquam; ſed quæ a corruptis ingeniis ac pravis haberi nihilominus pro veris conſueverunt.

234. Nonne enim corruptis mentibus perſæpe accidit, ut conflictationem videre ſibi videantur inter Jura DIVINA & naturalia, ac rationes HUMANI Imperii? Quare non & aliquando in ea falſæ Politices principia ſe abripi ſinant, quæ aperte pugnant cum jure naturali & divino? Fruſtra ergo laboraſſent docti Proteſtantes ipſi in HOBBESIANIS errorum monſtris profligandis.)

235. Hisce ſic poſitis; HEINECCIUS in poteſtatem Principis ea omnia confert, quæ Præſulibus Eccleſiæ competunt vi JURISDICTIONIS illius, qua donati a DEO ſunt. Hanc enim ECCLESIÆ Jurisdictionem cum ipſe non agnoſcat; oportuit extraneam poteſtatem ab ipſo ad ea exercenda advocari.

236. Nos vero Catholici, cum HIERARCHIAM Eccleſiaſticam ejusque jura probemus ac profiteamur ſecundum Patrum FIDEM ab Oecumenico TRIDENTINO Concilio firmatam; non cogimur HEINECCII, ejusque gregalium placita adoptare; ſed ſua illis tribuimus, quos *Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos REGERE Eccleſiam Dei.* Actor. 20. 28.

V. BOEHMERUS & alii generatim refelluntur.

237. Hæreticum BOEHMERI & aliorum PROTESTANTIUM ſyſtema ſuperſtructum eſt totum PACI AC TRANQUILLITATI PUBLICÆ, quam BOEHMERUS præſertim ad ſuos errores tegendos advocat paſſim in patrocinium. Sed bene reſpondet in ſimili cauſſa Auctor (Proteſtantium tamen ſectæ addictus) Appendicis ad librum Puſendorfii *de habitu Religionis* edit. cit. Bremenſ. 1687 pag. 203: *Tanti non eſt tranquillitas publica, ut ejusmodi falſis ſententiis procuretur, vel æque aut magis commode per veras obtineri poteſt.* Somniat BOEHMERUS turbas & diſſidia. At anne invertere opus eſt regimen Eccleſiæ a Chriſto conſtitutum, ut ea præcaveantur? Annon potius ad ea ſedanda conſpiret poteſtas utraque, Spiritualis, & Temporalis, unaquæque

pro

pro ſui muneris parte? Videat ſane Imperans, ne quid damni reſpublica ab aliis patiatur; ſed hujus rei cauſſa dominatum Eccleſiæ, contra Chriſti præcepta, ſibi minime uſurpet.

238. An non ſapientiſſime Chriſtus, dum Eccleſiam ſuam conderet, tum Imperio conſuluit, tum Sacerdotio? Ubinam autem in novo Teſtamento mentio facta eſt de Imperantibus, quando de Eccleſia, de Politia eccleſiaſtica, & de doctrina Fidei proponenda præcipitur?

239. Quæri etiam a Proteſtantibus poteſt, an non unquam ex quo eccleſiaſticæ illorum res ad temporales Principes, novo plane ordine, translatæ ſunt, turbata ſit pax & quies publica: an non bella & inteſtina diſſidia (ut infanda alia taceam) inter ipſos exarſerint? Nemo hæc ignorat, qui de hiſtoria vel civili vel eccleſiaſtica noviſſimorum temporum aliquid novit.

240. Ceterum cauſſas, cur Dominus Jeſus poteſtatem utramque, ſpiritualem & temporalem, diviſit, profert nobis antiquitas. Notus eſt locus GELASII I Papæ de Anathem. vincul. Tom. 4 Concilior. col. 1232 edit. Lab. Pariſ. " Chriſtus, inquit, memor fragilitatis humanæ, ſic actionibus „ propriis dignitatibusque diſtinctis officia poteſtatis utriuſque diſcrevit, ut „ & chriſtiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Ponti- „ fices pro TEMPORALIUM curſu RERUM imperialibus diſpoſitionibus „ uterentur; quatenus militans Deo, minime ſe negotiis ſecularibus impli- „ caret; ac viciſſim non ille rebus divinis præſidere videretur, qui eſſet „ negotiis ſecularibus implicatus; ut & modeſtia utriuſque ordinis curaretur, „ ne extolleretur utroque ſuffultus, & competens qualitatibus actionum ſpe- „ cialiter profeſſio aptaretur „.

241. Recitato hoc Gelaſii loco, ſubdit Meldenſis BOSSUETUS *Defenſ. Declar. Gall. Lib.* 1 *Sect.* 2 *Cap.* 34 *edit. recogn.:* " Duas omnino cauſſas memorat „ cur ambæ Poteſtates ſuis finibus circumſcriptæ, ſuis addictæ ſint officiis. Pri- „ mum, ne ſuperbia efferretur in quem congeſta eſſent omnia: tum, ut quis- „ que ſe ad ejus ordinis, quem profeſſus eſſet, actiones eo facilius aptaret, „ quo cujusque actiones diligentius inter ſe diſtinctæ eſſent „.

242. " Addi poſſe videtur & tertia cauſſa: ut, ſcilicet, ſocietas & vin- „ culum eo fortius inter homines conſtitueretur, quando ea, quibus una „ generis humani pars indigeret, in manu eſſent alterius partis: nimirum, „ vita æterna in manu Pontificum; vita temporalis, in manu Imperatorum „.

243. Quoniam vero Proteſtantes memorati, & poſtremus horum HEINECCIUS, ea de cauſſa in unam Principis perſonam ac voluntatem volunt utramque jurisdictionem, Eccleſiæ, & Regni, conferri debere, quia ſecus imperfectum eſſet Principis regimen, utpote in duas voluntates diviſum, ac

F manca

manca esset Societatis felicitas, nec pax tuta; monebimus cum BOSSUETO ibid. cap. 35., " eos suaviter somniare, qui id agunt ut res humanæ nullo „ incommodo laborent, tanquam in cælesti aula versemur inter Angelos. „ Duæ ergo Potestates (pergit multis interjectis) „ sese mutuo non tantum „ adjuvent, verum etiam temperent; neve tu hic mihi cogita eam rerum „ humanarum pulchritudinem, quam res humanæ ferre non possint; ac si duæ „ potestates inter se collidantur, ne propterea putes omnia in incertum flui- „ tare, aut abire in diversa, ut equos raptis habenis; sed intus adesse occul- „ tum moderatorem DEUM, qui sollicitari interdum Ecclesiam suam, non „ tamen dissipari velit „.

244. Quamquam si leges a Deo constitutas istæ potestates tenuerint, nunquam inter se collidentur; sed immo erunt inter se arcto vinculo conjunctæ. Conjunctas scilicet dicimus cum BOSSUETO ibid. " quod, ut ex- „ posuere sancti Pontifices, & mutuam sibi operam debent, præstantque; „ & licet SUPREMÆ invicem, Deo tamen ambæ communiter subsunt: „ quo fit, ut sub binis licet potestatibus, res tamen humanæ minime dis- „ solvantur, quod Deus habenas temperet; atque ita non ad duo principia, „ sed ad unum principium omnia referantur „.

245. Scribebat ista omnia BOSSUETUS in alia caussa, & ea quidem, quæ est hæretico systemati opposita. Sed faciunt hæc tamen æque contra Protestantes ac contra eos catholicos Theologos, qui inconsulte abierant in opposita.

VI. GUILIELMUS BEVEREGIUS
Protestantium cordatissimus.

246. Multo temperatiora, quam Protestantes ceteri, sequutus est superiore inclinante seculo Guilielmus BEVEREGIUS, vir tum doctrina illustris, tum ingenii moderatione commendandus. Etsi enim communionis suæ placitis morem gerens, scripserit in *Prolegomenis ad Synodicon sive Pandectas Canonum ab Ecclesia Græca receptorum* num. 1, *Ecclesiam in Imperio esse, unumque cum eo in singulis Regnis* (quod hæreticis tantum placet) *caput commune habere;* interesse tamen multum docet Ecclesiam inter & Imperium tum natura, tum muniis; sicut *Cap.* 2 videndum est.

247. Tum ad specialia descendens ea docet, quæ Catholicos etiam Doctores nonnullos audaciores rubore suffundere merito debeant. " Si de fide „ loquamur christiana (ait num. 2 eorumdem Prolegomenor.) „ & legibus „ ad ECCLESIASTICAM spectantibus DISCIPLINAM, ipsi etiam Impe- „ ratores christiani ingenue multoties professi sunt, nihil sibi juris in istius-

„ modi

„ modi ſanciendis rebus tributum eſſe. Sic Conſtantinus Magnus, Valentinianus, Marcianus, Theodoſius, aliique „.

248. " Quin ipſe etiam omnium peritiſſimus legum Imperator JUSTINIANUS in ea fuit ſententia, leges nempe civiles non præcedere debere, ſed ſequi eccleſiaſticas, idque ſine dedignatione „: Secundum ſacras, *inquit*, & divinas regulas, quas etiam noſtræ ſequi non dedignantur leges. *Novell.* 83.

249. " Hinc eſt, quod etiamſi Imperatores multa de eccleſiaſticis perſonis & rebus in conſtitutionibus ſuis ediderint; nihil tamen DE NOVO conſtituerunt, ſed ea tantum, quæ ab eccleſiaſticis Synodis prius conſtituta fuerant, ipſi ſua etiam auctoritate confirmarunt: adeo ut quæcunque in CODICE, aut in NOVELLIS, de perſonis, cauſſisve eccleſiaſticis afferantur, ab eccleſiaſtica aliqua POTESTATE antea ſancita fuerint, quam illuc relata; ut ex ſingulorum iſtiusmodi locorum inductione cuivis canonici pariter atque politici perito juris facile patebit „.

250. " Quod etiam ex eo ulterius eluceſcit, quod ad eccleſiaſticas, quæ emerſerunt, dirimendas lites, & leges inſtituendas, ipſi etiam Imperatores Concilia eccleſiaſtica convocare ſoliti fuerunt „ (ſcilicet quæ lites dirimerent, & leges inſtituerent proprio jure, & ex officio: ita enim interpretari Beveregium oportet, ad hoc ut iſta cum ſuperioribus conſentiant & cum iis quæ exſcribenda mox erunt). " Sic enim Nicænum primum Oecumenicum a Conſtantino Magno etc. „.

251. Pergit BEVEREGIUS enumerans Conſtantinopolitanum, Epheſinum, & Chalcedonenſe, ab Imperatoribus congregata (approbatione tamen & aſſenſu Eccleſiæ & Romani Pontificis). Tum addit: " Neque ullus ex hisce Imperatoribus cauſſam aliquam a Synodo, quam convocavit, diſcutiendam prius determinavit, quam ab ipſa Synodo judicata eſt „.

252. " Quidquid autem a Synodis eccleſiaſticis decretum eſt, a civili etiam poteſtate confirmari ſolenne fuit (non ut ab ea poteſtate vim eccleſiaſticam ſumeret, ſed ut facilius, & ſine contumacium repugnantia mandaretur executioni, vel alias forte ob cauſſas; quas indicamus Cap. 10). „ Unde & omnes propemodum canones qui hoc libro continentur, ab Imperatore Juſtiniano Rhinotmeto iis ſubſcribente corroborati ſunt „ (poſtquam confirmatio præiverat Synodi Trullanæ, quæ *Can.* 2 corpus juris canonici Græcorum approbaverat, ac immotum fore juſſerat: quod corpus Canonum Græcorum una cum Commentariis Balſamonis, Zonaræ, & Ariſteni magnam partem occupat *Synodici ſive Pandectarum Canonum ab Eccleſia Græca receptorum*, duobus Tomis a BEVEREGIO comprehenſi).

253. " Nimirum Principes chriſtiani, ut ad Eccleſiæ præſidium, æque ac „ ad Imperii regimen civilem ſibi commiſſam habentes poteſtatem, ea eccle- „ ſiaſticam per Imperii ſui provincias ſtabilire autoritatem, canonicas tueri „ leges, & cavere ut Eccleſia pace ſub ſuo fruatur patrocinio, & autoritatem „ ipſi concreditam libere exerceat, ex officio ſuo tenentur; ut veteres etiam „ Eccleſiæ PATRES docuerunt „.

254. " Et idcirco, etiamſi ipſi Imperatores inconſulta Eccleſia eccleſia- „ ſticas NUNQUAM ferant leges; ut latæ tamen in Imperio cujuſque con- „ ſerventur, ipſis etiam per CIVILEM ſuam AUTORITATEM providere „ incumbit „.

255. " Sed dicet forſitan nonnemo (pergit BEVEREGIUS num. 3 ex „ ſententia Hæreticorum ſibi objiciens) „ ſacras Scripturas Eccleſiæ regendæ „ ſufficientes eſſe, ac propterea aliis ei non opus eſſe legibus „. Concedit autem, ex ſectæ ſuæ placitis, clariſſima omnia in ſacris eloquiis eſſe. At in iis, de diſciplina eccleſiaſtica " generalia tantum axiomata, *ait*, propo- „ nuntur, e quibus ut particulares determinationes deducantur, ibidem „ præcipitur . . . . . „.

256. " Hæc itaque ECCLESIÆ determinanda perſpicue relinquun- „ tur . . . . Et ubi iſta eccleſiaſticas ſanciendi leges poteſtas reſideat (ait num. 4) „ & quomodo ab ea ſanciendæ ſunt, ab ipſis ſacris Scripturis „ haud obſcure indigitatur „. Proſequitur autem referens ex Actis Apoſtolo- rum, quomodo dirempta fuerit quæſtio de Circumciſione & lege Moſayca quoad Gentiles; affirmatque Apoſtolos in methodo, quam tenuerunt " in „ edendo de ea re ſtatuto, cælitus directos fuiſſe, ut futuræ Eccleſiæ inno- „ teſceret, quo pacto LEGES in ea ferendæ ſunt. Nimirum ut ii quibus in „ Eccleſia animarum cura committitur, ... illud pro lege ſtatuant, „ quod in Dei gloriam & animarum ſibi commiſſarum ſalutem magis con- „ ducere viſum fuerit . . . . „.

257. " Hæc itaque forma eſt, *concludit BEVEREGIUS*, „ atque ordo, (quem exemplo ſuo nos Apoſtoli docuerunt) „ in controverſiis definiendis, & „ ECCLESIASTICIS condendis LEGIBUS DIVINITUS præſcriptus, & ab „ Eccleſia propterea perpetuo obſervandus „. De exemplo per Concilium iſtud Hieroſolymitanum propoſito ſucceſſoribus Apoſtolorum pro eccleſia- ſticis negotiis tractandis, legatur D. PETRUS COUSTANT *Epiſtola Pontif. Tom.* 1 *Præfat. num.* 33.

258. " Hac ipſis Apoſtolis (progreditur BEVEREGIUS num. 5 Pro- legomenor.) „ præmonſtrata via itum eſt etiam ab Apoſtolica ipſa & pri- „ mitiva Eccleſia, licet diris adhuc perſecutionibus exagitata. Namque &

„ tri-

„ tribus prioribus a Chrifti nativitate feculis, frequentia paffim celebrata „ fuerunt Epifcoporum Concilia ..... Et his quidem temporibus CANO- „ NES, qui APOSTOLORUM dicuntur ....., conftituti funt „. Concilia deinde eadem multo frequentiora fuiffe poft datam Ecclefiæ pacem, monet Beveregius num. 6. Et ibi Conciliorum generalium, & particularium difcrimen ponit; in hoc uno a vero aberrans, quod ad Oecumenicum Concilium conftituendum non modo præfentia quinque Patriarcharum, Romani, Alexandrini &c. opus effe *afferat;* qui nempe " five per fe, five per ency- „ clicas Epiftolas interfint; *verum etiam tuto doceat*, „ nullum effe generale „ Concilium, quod non Imperatoris juffu, tam ex orientali, quam occiden- „ tali Ecclefia congregatum fit .... „.

259. " Particularia autem, *ait*, quæ dicuntur Concilia, in duas claffes „ diftribuuntur. Sunt enim vel Provincialia, vel Diœcefana (hoc eft, veteri notione, ex pluribus Provinciis) .... „ In cujusque enim Metropo- „ litani poteftate fitum eft, omnes Provinciæ fibi fubjectæ Epifcopos ad Con- „ cilium convocare: qui etiam ad locum quem Metropolitanus elegerit, con- „ venire tenentur, ex undevicefimo Synodi Chalcedonenfis, aliisque Cano- „ nibus hoc opere divulgatis. Concilia Diœcefana ea vocamus, quæ poft „ Patriarchas conftitutos a quovis illorum ex omnibus Diœcefeos fuæ Provin- „ ciis coacta funt. .... Et ad hanc fere claffem reducantur, quæ Nationa- „ lia dicuntur Concilia „.

260. Vide fis cetera. Ego enim ea huc retuli, unde BEVEREGII fententia clare conftaret, nec omifi quidquam, unde viderer velle mentem illius occultare.

261. Omnibus autem inter fe collatis; fi latens commune Proteftantium principium ejusque confequtiones fepofuerimus, videre unusquisque poteft, magis Ecclefiæ rebus commodam, & ad quotidianos ufus opportuniorem fore BEVEREGII fententiam, quam novorum quorundam hominum, qui fe Catholicæ Ecclefiæ filios profitentur. Et de Hæreticis quidem hactenus.

VII. Schifmaticorum GRÆCORUM Sententia.

262. Ero brevior in fententia Schifmaticorum GRÆCORUM labentis ævi narranda de jure Imperatorum in res ecclefiafticas. Temporibus Palæologorum Græci nonnulli eo adulatione fua devenerant, ut Principibus fuis totius ecclefiafticæ difciplinæ fummam deferrent.

263. Extat in JURE GRÆCO-ROMANO Leunclavii *Lib. 5 pag. 316 &c. Tomi* 1 responsum Demetrii Chomateni, seu Chomatiani, Archiepiscopi Bulgariæ, ad Constantinum Cabasilam Archiepiscopum metropolis Dyrrhachii datum, ubi ita pronuntiat: " Imperator, ut communis Ecclesia-
„ rum ἐπιςημονάρχης (Epistimonarcha; id est *præsidens scientiæ* & cognitioni Ecclesiarum; seu præsidens Ecclesiis cognoscendis; sive primas tenens partes in cognoscendis ac ordinandis rebus Ecclesiarum) " existens & nomi-
„ natus, synodalibus præest sententiis, & robur tribuit, ecclesiasticos ordi-
„ nes componit, & legem dat vitæ politiæque eorum, qui altari serviunt:
„ hoc amplius, judiciis Episcoporum clericorumque, & vacantium Eccle-
„ siarum suffragiis „.

264. " E minore etiam honore ad majorem reducit, ab episcopo vide-
„ licet in metropolim ...... Et (ut uno verbo dicam) solo sacrificandi
„ excepto ministerio, reliqua Pontificalia privilegia Imperator repræsentat,
„ quando legitime CANONICEQUE facit „. Hæc ibi Demetrius pag. 317 ex versione Leunclavii.

265. Theodorus BALSAMON in Canonem 16 Carthaginensem, *pag. 538 Tomi 1 Synodici Beveregii*, post recitatas plures Ecclesiasticas Leges, quæ sacratos viros secularibus negotiis & officiis interdicunt, subdit; " Di-
„ cunt autem quidam, hæc locum habere, quando sine jussu Imperatoris sa-
„ cratus quispiam seculare ministerium exercuerit: si enim ex dispensatione
„ Imperatoris quis hoc ministerium susceperit, a dictis Canonibus non
„ prohibebitur, nec lædetur „.

266. " Et adjiciunt, quod Imperator nec Canonibus nec legibus subji-
„ citur: Et ideo est in ejus potestate Episcopatus in Metropoles erigere.....,
„ & de novo Episcopos & Metropolitanos constituere; & jubere Episcopos
„ in alienis Diœcesibus .... sacrificare præter sententiam Episcoporum illius
„ regionis, & alia ejusmodi episcopalia jura exercere. Utuntur autem
„ etiam XII, & XVII Canone Chalced. Syn. & XXXVIII Canone Synodi
„ in Trullo, qui eadem præcipiunt, „ (seu potius Imperatori concedunt. Sed lege eos Canones).

267. Quid vero ad ista BALSAMON schismaticus Seculi XIII Antiochenus Patriarcha? Non improbat: pergit enim eo loco ista scribens: " Mihi
„ autem videtur, quod ex IV Canone Chalced. Syn. Imperatori vel maxi-
„ me concessum est secularium munerum functiones sacratis & Monachis, ex
„ ratione dispensationis quæ illi videtur, tribuere. Si enim hoc potest re-
„ gionis Episcopus (cui a Canone IV Chalcedonensi conceditur), „ multo
„ magis Imperator, qui non cogitur sequi Canones, decernentes, Episcopo-

„ rum

„ rum electiones a provincialibus Episcopis fieri, non autem a magistratibus (vide qui nexus rerum inconditus), „ & qui exinde, nulla facta electione, „ Patriarchas & Episcopos provehit „.

268. Postremo Lectorem BALSAMON remittit ad ea quæ in illum Canonem IV Chalcedonensem scripsit. Habet autem in hunc Chalcedonensem Canonem pag. 117 tomi cit. Synodici: " Nota quod ex permissione „ Episcopi possunt Monachi non solum Ecclesiastica negotia administrare, „ sed ea etiam quæ ad vitam pertinent, hoc est, civilia. Si autem hoc potest „ facere episcopalis permissio, id multo magis faciet potestas imperialis, „ quæ etiam Episcopos promovet „.

269. Non soli tamen privati GRÆCIÆ homines fœdissima hac assentatione peccarunt; sed & ipsæ Græcorum Synodi ætatis Mediæ permittebant Imperatoribus Episcopos dare Ecclesiis vacantibus, METROPOLES erigere, nulla habita Canonis XII Chalcedonensis ratione, per quam antiquis Metropolibus consultum fuerat.

270. Istius adulationis Synodorum Græciæ testem habemus Balsamonem, ubi agit de Alexio Comneno, qui Sæculo XI exeunte imperavit. Narrat ergo Balsamon *pag.* 131. *Tomi* 1 *juris Græco-Romani per Johannem LEUNCLAVIUM collecti;* cum Metropolitani, Heracliensis & Ancyranus impetere cæpissent jura duarum Metropoleon novarum, Basilæi & Madytorum, maxime jus & modum electionis in locum defuncti Metropolitani; cumque Heracliensis & Ancyranus " canone duodecimo synhodi Chalcedonensis usi „ essent, quo decernitur, ut salva sint veræ Metropoli jura . . . .; promul„ gatam esse imperatoriam (Alexii Comneni) „ sententiam, præsente SY„ NODO, communique tunc suffragio decernente, ut imperatori permissum „ sit præsidentiæ thronum Ecclesiis largiri & tam episcopatus, quam archie„ piscopatus in metropoles erigere: quæque pertineant ad electiones in his „ faciendas, ceteraque recte constituenda, pro libitu suo disponere citra „ ullum canonis illius impedimentum, qui decernit, ut salva sint metropoli „ jura sua, quæ in episcopatum honore auctum jam pridem habet „.

271. Recitat ista brevius Ludovicus THOMASSINUS *Discipl. Part.* 1 *Libr.* 1, *Cap.* 42, *num.* 11, ac assensum a Synodo illa imperatoriæ legi præbitum, tribuit " fœdissimæ assentationi, nec enim eam, *ait,* fas est dispen„ sationem interpretari „. Totus locus Balsamonis, cujus partem modicam exscripsimus, relatus a Leunclavio in *Jus Græco-Romanum,* extat in Commentario Balsamonis in Canonem 38 Concilii Trullani *pag.* 201, *tomi* 1 *Synodici Græcorum BEVEREGII.*

272. Ceterum duo oportet hoc loco animadvertere: primum est, hanc imperatoriam quamcunque potestatem vel ab Imperatoribus ipsis derivari a sacrorum Canonum permissu & gratia: id enim videre licet in commemorata Alexii Comneni sententia a Balsamone recitata: " Majestas mea, *ait*, „ quæ sibi concessum a sacris CANONIBUS privilegium neglectui haberi „ non vult „ etc. ita legit ac vertit Leunclavius pag. 131 cit. Apud Beveregium vero pag. 202 tomi 1 cit. Synodici ita lego: " Imperium meum „ ex imperiali sua potestate, quod a divinis Canonibus ei datum est privile„ gium, neglectui haberi non sinens „ etc.

273. Secundo vero scire juvat, obtestatos aliquando esse coram Imperatoribus Patriarchas, & in his Nicolaum Patriarcham Constantinopolitanum, hujus nominis tertium, coram laudato Alexio Comneno, haberi ab Imperatore debere rationem Sanctionum Canonicarum, & ipsarum Legum Imperatoriarum; ADVERSAS CANONIBUS LEGES NULLIUS ESSE ROBORIS, idque IMPERATORES ipsos FASSOS esse; ideoque statutis Principum instituta Ecclesiæ convelli minime posse: consuetudinem tandem, etsi longam, nullis morum aut disciplinæ corruptelis posse patrocinari.

274. " Neque sacra pragmatica sanctio adversus divinos Canones vale„ bit . . . . ; neque scriptum a constituta divinitus Majestate tua subnotatum „ . . . . . leges atque canones evertere potest, & veritatem succutere . . . . „ Nec longa consuetudo efficiet unquam, ut id, quod ab initio subsistere „ non potuit, locum habeat. Tunc enim longa quoque consuetudo vim „ legis obtinet, quando præterquam quod cum ratione non pugnat, nec „ legem evertit „. Hæc ex versione Leunclavii in primo tomo Juris Græco-Romani pag. 279. Extat scilicet ibi hæc synodalis epistola Patriarchæ Nicolai ad Alexium Comnenum pag. 271 - 281, omni sapientiæ ac religionis decore referta.

275. Hanc ipsam constantiam nonnullorum Episcoporum Orientis adversus injustas Imperatorum occupationes & illegitimos conatus, testatam facit & PETRUS DE MARCA *pag.* 61 *Prolegomenorum ad libros de Concord. Sacerdot. & Imper. edit. Paris.* 1704. Postquam enim effusam nonnullorum Orientis Episcoporum assentationem in Imperatores suos notavit, Palæologis imperantibus; subjungit: " Quamvis, ut verum fatear, non omnes ea tempe„ state Orientis Episcopi in libertatis ecclesiasticæ perniciem conspirarent „.

276. " Extat enim in Regis Christianissimi Bibliotheca manuscriptus liber „ temporibus Palæologorum publicatus, quo PROVINCIARUM ALI„ QUOT EPISCOPI graviter expostulant de retractato ab Imperatore „ judicio synodali, quo Patriarcha Constantinopolitanus, qui erat *trisepisco„ pos* . . . . , dignitate sua dejectus fuerat „.

277.

277. " Conftanter ajunt *Epiftimonarchiæ* poteftatem AD QUÆSTIO-
„ NES CANONICAS dirimendas non porrigi, permiffumque Principibus „ Canonum præfidium, non autem dominium „. Hæc fatis de GRÆCIS Schifmaticis.

VIII. Sententiæ CATHOLICORUM variæ. PRAGMATICI GALLICANI.

278. Ad varias CATHOLICORUM de externæ Ecclefiæ cura fententias narrandas nunc eft veniendum. Quos inter videtur primus locus tribuendus PRAGMATICIS GALLICANIS, qui, fi Petrum de MARCA audimus *in Prolegom. ad libros de Concordia pag.* 58 *edit. cit.*, " a fidei quidem „ definitionibus Principum cognitionem fubmovent, fed difciplinæ curam „ propemodum omnem ad ejus imperium revocant „. Vix ergo funt ifti a GRÆCIS Schifmaticis memoratis diffimiles.

279. Inter ceteras autem " Sedi Apoftolicæ CONTUMELIOSAS „ definitiones, (ut eas MARCA iterum iterumque in iisdem Prolegomenis appellat), quas „ docent celeberrimi apud Gallos auctores Romanæ Com- „ munionis, non folum Carolus ille Molinæus, fed præterea clariffimi viri „ Fauchetius, Pafquierius, Pithæus, Hotmannus, Servinus, aliique liberta- „ tum Gallicanarum confarcinatores, „ ait pag. 56; non infimum locum iftæ obtinent:

280. " I. Pontificem Romanum nullam auctoritatem in Galliis exercuif- „ fe ante fextum feculum. II. Toto illo fexcentorum fere annorum inter- „ vallo Regem folum, poft Principes Romanos exactos, Ecclefiæ Gallicanæ „ ut Caput præfuiffe, non autem Papam. III. Non competere Papæ extra „ Concilium, ut leges ecclefiafticas condat, quæ Gallos obligent. IV. Papam „ a fede & dignitate fua dejici poffe, fi graviffimum fcandalum Ecclefiæ inferat. „ V. Nulla in fpecie licere Pontifici aliquid ftatuere adverfus canones gene- „ ralium Conciliorum. VI. Libertates Ecclefiæ Gallicanæ confiftere in ufu „ antiqui juris comprehenfi canonibus veteris Ecclefiæ, & ad Curias fupre- „ mas pertinere, ut eum ufum fenatusconfultis fuis paulatim reftituant. „ VII. Gallis competere jus conftituendi fummum aliquem Patriarcham, fi „ Pontifex regiis rationibus fefe non accommodet. VIII. Regi liberum effe, „ ut conftitutiones ferat in rebus ecclefiafticis, quæ fint ejufdem roboris ac „ leges de rebus civilibus latæ. IX. Curiis fupremis jus competere in diri- „ mendis appellationibus ab abufu, de principali negotio decernendi; quem- „ admodum fæpe ufurpatur in foro „. His ergo verbis Pragmaticorum Gallicanorum decreta exhibet Petrus de MARCA.

281. Sed videtur mihi iſte nimia illis adſcribere: & certe non tam multa extant in iis ſaltem Pragmaticorum ſcriptis, quæ unum in corpus collegit ac edidit Petrus PUTEANUS ſub hoc titulo: *Traitez des Droits & Libertés de l'Egliſe Gallicane.* Hæc ego ſola in Tractatibus illis invenio: ſcilicet propoſitio VII. de jure conſtituendi Patriarchæ, proſtat in Opuſculo Jacobi CAPELLI num. ultimo: Propoſitio I contra auctoritatem Pontificis in Gallicanas Eccleſias, adeſt in Tractatu Claudii FAUCHETII. num. 8, 12, ac 13: Propoſitio V contra poteſtatem Pontificis in Canones Conciliorum generalium, latet forte in Tractatu de Libertatibus Gallicanis Petri PITHÆI, & in Commentario Petri PUTEANI in illum Tractatum num. 42.

282. Propoſitiones autem ceteras in nullo eorum Tractatuum, a Puteano collectorum inveni. Immo & tres iſtas, quas notavi, ſi in fonte ac in locis ſuis expenderis, agnoſces & mitiores eſſe & molliores.

283. Non nego tamen, in Opuſculis illis multa eſſe loca, quæ cenſuram mereantur ob propoſitiones alias aut falſas aut ſuſpectas. In primis enim in Joanne TILLETIO non poſſum non vehementer reprehendere, quod Regem evehat quaſi ad dignitatem Primatis Epiſcoporum, loco Romani Pontificis; ſimulque de ejusdem Romani Pontificis Primatu ambigue longeque imprudentiſſime loquatur: vide num. 1, 5, 9.

284. Claudius etiam FAUCHETIUS ambiguus eſt, immo magnopere ſuſpectus, dum in eumdem Primatum ſermo incidit; de quo vix ſibi perſuaſus fuiſſe videtur: & ſuſpectus eſt præterea contra præeminentiam Epiſcoporum ſupra Presbyteros: vide num. 2, 6, 13, 14, 23, 36.

285. Carolus FAYUS quoque de Primatu eodem ambigue loquitur; ſimulque Capitularibus abutitur ad regiam poteſtatem in res eccleſiaſticas ampliandam ultra quam fas eſt: vid. num. 37, 39, 42.

286. Antonius autem HOTMANNUS, etſi ſcriptor ſit æquus, ac jurisdictioni eccleſiaſticæ, præcipue vero juribus Romani Pontificis faveat; minus tamen accurate num. 3 de eccleſiaſtica jurisdictione loquitur. At Guido COQUILLE in commune ceterorum vitium incidit, dum in Romani Pontificis Primatu vacillat: vid. num. 6, 7, in fin. & 8.

287. Benignus vero MILLETOT in eo reprehenſione eſt dignus, quod rationem habeat illius falſæ Græcorum Schiſmaticorum doctrinæ, qua traditum eſt, licere Imperatori tum Metropoles erigere tum Epiſcopatus: vid. num 71 *Tractatus de Delicto Communi & caſu privilegiato.* Tandem Jacobus DU-HAMEL ſub initium ſui Opuſculi falſa ſcribit de jure Eccleſiarum ad fundos & reditus poſſidendos.

288.

288. Hæc ergo ſola animadverti notanda in commemoratis *Libertatum Gallicanarum conſarcinatoribus* a Puteano collectis & editis. Erunt fortaſſe in iis alia, quæ notationem mereantur; ſed, ſi quæ ſunt, me certe fugerunt.

289. A Pragmaticis iſtis, propter ſimilitudinem argumenti, quod tractat, non eſt ſejungendus Renatus CHOPPINUS, qui de Sacri Politia libr. 1 tit. 7 § 9 *penes Reges ſacrorum poteſtatem eſſe* ſcribit. " Exin (ſequitur) Ægydius „ Romanus libris editis aſſeruit, ſacrorum beneficiorum erogationem ad Re- „ ges ac Cæſares pertinere Philippi IV Regis temporibus „. Etſi Choppinus iſta temperat in illis quæ ſequuntur: eſt enim is Scriptor varii ingenii, & in ſententiis fluctuantis; ſed eſt tamen vir ſatis probus & religioſus. Alios ordinis hujus Scriptores non opus eſt commemorare.

IX. Petrus DE MARCA.

290. Ceterum ſententiis, quas ſub nomine Pragmaticorum Gallicanorum Petrus de MARCA nobis antea recitabat, has ipſe oppoſuit in Opere ſuo de Concord. Sacerd. & Imper.

291. " I. Supremam in rebus eccleſiaſticis poteſtatem per Gallias exer- „ cuiſſe Romanum Pontificem ab eo tempore, quo Fides Chriſtiana in Gal- „ liis floruit. II. Generalia decreta a Romanis Pontificibus in Gallias æque „ ac in reliquas provincias miſſa; ac a Regibus ſuſcepta eſſe. III. Nullum „ eſſe crimen, cujus ratione Papa deponi poſſit, excepta hæreſeos publice „ profeſſæ cauſſa. IV. Papam ſolvere poſſe & diſpenſare a canonibus Con- „ ciliorum generalium. V. Libertates Eccleſiæ Gallicanæ non veteribus „ tantum, ſed recentioribus etiam canonibus & decretalibus contineri. „ VI. Regibus non competere jus aliquod Epiſcopatum vel Metropolim in- „ ſtituendi, multo minus Patriarchatum. VII. Regibus a Deo commiſſam „ eſſe tutionem Eccleſiæ, ut edictis ſuis decretorum & canonum promulgato- „ rum executionem urgeant, non autem ut arbitratu ſuo leges condant in iis, „ quæ fidem aut ECCLESIASTICAM DISCIPLINAM reſpiciunt. „ VIII. Appellationes ab abuſu ob canones violatos, locum habere tantum „ ad ſcandalum impediendum. Attamen Curiis ſupremis non licere, ut de „ negotio principali, quod eſt mere eccleſiaſticum, pronuncient „. Hæc MARCA iiſdem fere verbis pag. 57 Prolegomenor. ad Concord.

292. Ad Regum vero auctoritatem uberius explicandam, hæc inter cetera poſuerat ibid. pag. 55: " Conſtitutiones eccleſiaſticas in provinciis pu- „ blicandas eſſe, & tacito conſenſu recipiendas, æque ac conſtitutiones re- „ gias; ſed Concordatis initis inter Sedem Apoſtolicam & Regnum Franco- „ rum confirmatam eſſe Regibus Francorum auctoritatem recipiendarum in

„ regno legum ecclesiasticarum, dum consultum fuerit, & inde tranquillitas „ civium non lædatur „.

293. Ad universalia deinde præcepta hujus rei accedens, docet MARCA pag. 59 & seqq., constare inter Catholicos omnes, " Principes Christianos „ de rebus fidei controversis leges ferre non posse „; sed hoc unum, ut exemplo Constantini adsint Conciliis, ubi de fide tractatur, datum ipsis esse; ideo scilicet, " quia fides, ut est in epistola Nicolai I ad Michaelem Imp., „ universalis est, & omnium communis, quæ non solum ad Clericos, verum „ etiam ad Laicos, & ad omnes omnino pertinet Christianos „.

294. " At si agatur de DISCIPLINA CANONICA, *ait MARCA*, „ ejus cognitio synodis debetur, NON autem magistratibus, vel etiam ipsis „ PRINCIPIBUS. Hæc est sententia rescripti a Valentiniano editi, cujus „ verba Ambrosius refert; (scilicet in Epistola XXI col. 860 tomi 2 Operum edit. Benedictin.), „ in caussa fidei vel *ecclesiastici ordinis* judicium com- „ petere Sacerdotibus, id est, in fidei & DISCIPLINÆ negotiis. Caussæ „ enim ecclesiastici ordinis ad eas quæstiones pertinent, quæ canonicæ di- „ cuntur, ut constat ex HINCMARO, qui locum Leonis, ubi eadem verba „ usurpantur, egregie interpretatus est in opusculo quinquaginta quinque „ capitum capite decimo . . . . . „.

295. " Hinc est, quod de ritibus, cerimoniis, Sacramentis, cleri fun- „ ctione, conditionibus, censura & disciplina canones a Conciliis, & decreta „ a Pontificibus Romanis, tanquam de materia sibi subjecta frequentissime „ edantur, & vix ulla proferri possit constitutio veterum Principum, quæ „ hac de re lata fuerit ex mero secularis potestatis imperio „.

296. " Secutas quidem hac in parte leges publicas videmus, sed non „ antecessisse . . . . TUITIO autem, canonum sententiam aliquo pacto „ egredi non debet. Alioqui IRRITUM est & inane quodcunque Principis „ EDICTUM ADVERSUS CANONES in rebus ecclesiasticis latum „.

297. " Dissimulandum non est in variis causarum figuris cognitionem „ adversus clericos a regiis magistratibus suscipi, lites de possessione benefi- „ ciorum & jurium ecclesiasticorum motas ab iisdem dirimi, & alia quædam „ nonnulla in foro disceptari, quæ jure communi ad jurisdictionem ecclesia- „ sticam pertinent. Sed eam potestatem usurpant, tum EX PRIVILEGIO „ atque ex indulgentia Sedis Apostolicæ, tum EX PACTIS cum eadem Sede „ initis; quam alioqui, quatenus decretis & canonibus esset contraria, sine „ dubio abjicerent „.

298. En paucis, sed dilucidis verbis, explicatam Illustrissimi viri PETRI DE MARCA sententiam de Finibus Potestatis Utriusque; ad quam exigenda ne-

necessario sunt, si quæ forte aliter aut non eadem cum perspicuitate scripsit in libris *de Concordia Sacerdotii & Imperii.*

299. Quamquam hoc affirmo, novum nihil hoc loco haberi, quod scilicet non scripserit antea in memoratis libris *de Concordia*, immo in solis capitibus sexto, septimo, & undecimo libri secundi. Vagatur equidem, ut ipsi mos est, in hisce capitibus, nec tam aperte suam e vestigio sententiam aperit; sed veritas erumpit tamen aliquando, ac animum suum illustris Scriptor aperit sine fuco ac fallaciis. Confer ergo tria hæc capita cum illis, quæ in laudatis prolegomenis habentur; & cognosces sine dubio, paria utrobique haberi, & hoc tantum inter hæc & illa interesse, quod in his principia supra posita, se invicem ordine consequantur ac nuda sint & sine ornamentis; in tribus vero illis capitibus magis sint invicem disjuncta, ac vario artificio ornata, unde fiat, ut minus etiam animum tangant. Norunt periti, hæc a me moneri non sine caussa.

X. VANESPENIUS.

300. Apud studiosos Juris Canonici, una cum Marca celebrari solet Bernardus VANESPEN. Præstat ergo hunc quoque audire, de jure Principis in res ecclesiasticas statuentem. Hic *in Tractatu Historico-Canonico Part.* 9 *Cap.* 2 §. 2, de Edictis Principum agens pro re ecclesiastica editis, scribit: " Tametsi Ecclesiastico Magistratui præcipue incumbere videatur decernere „ ea quæ disciplinam Ecclesiæ, aut res ecclesiasticas spectant; tamen ni „ Principes sua auctoritate Ecclesiæ decreta suffulciant, vix Ecclesiasticorum „ ordinationes effectum sortientur; præsertim si circa RES TEMPORALES, „ aut personas LAICAS versentur „.

301. " Hinc frequentissimæ per omnem Europam Regum atque Prin- „ cipum ordinationes & edicta in materia ecclesiastica, quæ pro legibus ob- „ servantur „. Ut vero pateat, de quibus edictis ipsi sermo sit; speciminis loco allegat inter cetera edictum Caroli V, quo novarum decimarum exactioni modus imponitur; edicta quæ *manibus mortuis* inhibent bonorum immobilium acquisitionem sine venia ac permissu Principis; & edictum de reparandis & reficiendis Ecclesiis. (Non video tamen quam cum Decretis Ecclesiæ conjunctionem habeat edictum illud de bonis immobilibus).

302. Sed clarius mentem suam aperit VANESPENIUS *in Commentario ad Gratiani partem primam Dist.* 10, explanans Distinctionis illius Proœmium, in quo Gratianus asserit, " Constitutiones Principum ecclesiasticis constitu- „ tionibus non præeminere, sed obsequi „. Affirmat ergo Vanespenius id, quod hoc Proœmio dicitur, " nec simpliciter, nec generaliter verum esse;

„ ſed reſtringi debere ad eccleſiaſticas conſtitutiones de rebus *mere* ſpiri-
„ tualibus ad directionem animarum directe & unice ſpectantibus; non autem
„ de rebus TEMPORALIBUS; aut his quæ regimen reipublicæ ſpectant, ad
„ ipſius populi & reipublicæ pacem & tranquillitatem conſervandam vel pro-
„ curandam „.

303. Addit deinde, “ & Romanos Pontifices agnoviſſe, ſe ſubjectos „ legibus & conſtitutionibus Imperatorum, non tantum externum, tem- „ porale, ac politicum regimen reipublicæ concernentibus, ſed etiam EX- „ TERNAM ET CANONICAM ECCLESIÆ DISCIPLINAM ſpectanti- „ bus „. Id vero Eſpenius ſibi videtur probaſſe ex vulgato loco epiſtolæ Leonis IV ad Lotharium Auguſtum, quo Leo profitetur, ſe Capitularia Regum Francorum religioſe ſervaturum. Sed ignorare non debuit, Capitularia hæc, qua parte res eccleſiaſticas diſponunt, profecta eſſe ab auctoritate eccleſiaſtica. Oportet enim hoc loco meminiſſe rationem & ritum, ſecundum quem *in mixtis* Regni & Imperii Francorum conventibus edita ſunt Capitularia; oportet, inquam, capitularium originem ac indolem noſſe, ſeu auctores eorum ac fontes. Tum vero intelliges, quam parum pro Eſpenio Capitularia faciant. Lege *caput hujus commentarii decimum*, ubi hanc rem explanamus accuratiſſime.

XI. Andreas DUVALIUS.

304. Eccleſiaſticæ poteſtati magis favit Andreas DUVALIUS, Gallus gente, & Doctor Sorbonicus. Hic *de Rom. Pontif. Poteſt. Part.* 1, *quæſt.* 1 *Bibliothecæ Pontific. tom.* 3 *pag.* 427 *ſeq.*, ante omnia, ad poteſtatem eccleſiaſticam pertinere docet, ut de Sacramentorum adminiſtratione & ſuſceptione decernat, de ordinis, & matrimonii impedimentis, de cultu Dei, & Sanctorum, de feſtis, jejuniis, officio divino, peccatorum pœnis; de teſtamentis & legatis ad pias cauſſas; de contractibus nonnullis, ut de cambiis, & uſuris.

305. Poſſe eandem pœnas irrogare in foro interno, & externo. Sunt autem hæ, excommunicatio, ſuſpenſio, interdictum, beneficiorum & dignitatum eccleſiaſticarum ablatio. Statuere præterea ſine erroris periculo fidem, & morum regulas; ſimiliterque Sanctos declarare, Ordines Regulares probare; licere eidem concedere veniam ab eccleſiaſticis legibus.

306. Ejuſdem Eccleſiæ eſſe, in variis humanarum rerum figuris declarare jus divinum circa vota, juramenta, matrimonia rata non conſummata; pœnas peccatorum temporales per Indulgentias relaxare; Evangelium ubique terrarum promulgare.

307. Eam tandem jus habere leges civiles abrogandi (melius dixiſſet, curandi ut ab ea poteſtate abrogentur, a qua fuerunt conditæ: *vid. infra Cap.* 12 *num.* 105 -- 107), ubi ſaluti animarum obſtent, aut ratione latæ non ſint; multoque magis leges eccleſiaſticas condendi, etiamſi nihil includant juris divini.

308. Hæc autem omnia ita eccleſiaſticæ Poteſtatis propria eſſe, ut ab iis ſit laica repellenda; neque hæc poſſit ex proprio & inſito ſibi jure Leges de Eccleſiaſtica Diſciplina condere.

309. Poteſtatis equidem laicæ muneris eſt (ut explicat ibidem DUVALIUS *Par.* 3 *q.* 2 *pag.* 497 *& ſeqq.*), mandatorum utriuſque tabulæ executionem urgere, pœnis ad id corporalibus intentatis; Religionem tueri; judicia eccleſiaſtica, manu Regia defendere ac corroborare.

310. At juriſdictionis eccleſiaſticæ actus; quales ſunt, Epiſcopos & Clericos deponere, de cauſſis Clericorum cognoſcere & judicare, Eccleſias gubernare, leges pro ejus diſciplina ſancire, Concilia indicere, & hujuſmodi exequi cetera; non ejus eſt ſibi aſſumere.

311. In cauſſa quidem temporali ſummi momenti poterit Laicus Princeps contra eccleſiaſticos Viros gladium diſtringere; at in ſpirituali, nullo modo. Sic Rex in Epiſcopos perduelles jure animadvertet; quoniam " nul-
„ lum eſt (ait Duvalius pag. 501 col. 2) „ privilegium, quod perſonas eccle-
„ ſiaſticas a Regum, & Principum poteſtate in hoc caſu eximat „.

312. Atque Duvalii ſententiam recitavimus hactenus. Nihil autem mihi viſum eſt animadvertere circa aliquos cauſſarum *mixtarum* aut ſimilium articulos, qui a Duvalio abſolute aſſeruntur Eccleſiæ; etſi non omnes hoc tempore in idem aſſenſuros videam. Nihil, inquam, in eos viſum eſt mihi animadvertere, quia nullum nunc eſt periculum ne hujus Viri auctoritate, nimia tribuantur Eccleſiæ.

XII. Thomas CACCIARI,
in Diſſertatione lecta coram Benedicto XIV.

313. Petrus Thomas CACCIARI Carmelita *Exercitat. de Eutychiana Hæreſi & Hiſtoria Lib.* 2 *Cap.* 4 *num.* 14 *pag.* 473 *tomi* 1 *editionis Operum S. LEONIS Magni*, ſatis clare ſententiam ſuam de vi legum Laicarum in DISCIPLINAM Eccleſiæ externam promit: & quidem cum recitata ſententia Petri DE MARCA plane conſentit.

314. Agit ſcilicet P. Cacciari de controverſia, quæ in quarta Concilii Chalcedonenſis actione agitata fuit ac definita, inter Photium Tyri Primæ Phœniciæ Metropolitam, & Euſtathium Beryti Epiſcopum, Tyri ſuffraganeum, qui, Pragmatico typo, ſeu reſcripto a Theodoſio juniore obtento, ſe item in Metropolitam erexerat, variis a Tyro ſubductis Eccleſiis, ſibique CONTRA CANONES addictis.

315. Occaſione igitur hujus contentionis, in eo Capite 4 P. Cacciarius quærit tum alia, tum hoc: *Utrum in cauſſis eccleſiaſticis judicandum ſit ſecundum Canones, an etiam ſecundum Pragmaticam ſanctionem.* Et illud quidem Caput 4 in forma Diſſertationis exaratum, fuit ab eo lectum coram BENEDICTO XIV in Pontificia Conciliorum Academia A. D. 1747.

316. Reſpondet autem, " eccleſiaſticas cauſſas ſecundum Canones eſſe „ tractandas. Principum vero leges minime eſſe ſpernendas: ſed ad eas re- „ ſpicere oportere; ſi in Canonum executionem, præſidium, munimen, at- „ que tutelam datæ ſint, & ſacrorum Canonum vigorem aut non lædant, aut „ non obruant, & aboleant. In ſimilibus enim circumſtantiis Hierarchici or- „ dinis jura non læduntur: ſed ad tuendas Sacerdotii & Imperii poteſtates „ conveniunt. Quod ſexcentis exemplis, *ait,* mutuatis ex legibus Conſtantini, „ Theodoſii ſenioris, & Valentinianorum, aliorumque explicare poſſem „.

317. " Secus vero ratiocinari oportet, cum pragmaticæ leges Canoni- „ bus regugnant, cum eos obruunt atque ſubvertunt. Tunc enim pragmati- „ cis inſiſtere, & ab iiſdem judicandi formam, & rationes mutuari, prorſus „ ab Eccleſiæ uſu, privilegiis, & juribus alienum eſt; atque ſi eas ſequere- „ mur, eccleſiaſticum ordinem ad exitium perduceremus „.

XIII. Sententiæ CATHOLICORUM illuſtrantur exemplis aliquibus, ex VANESPENIO præſertim & BENEDICTO XIV deſumptis.

318. Ea, quæ ex Pragmaticis Gallis, & ex Petro de Marca, Vaneſpenio, Duvalio, ac Thoma Cacciari, generatim fere propoſuimus, placet modo exemplis aliquibus illuſtrare.

319. Erit autem mihi commodus, ipſe VANESPENIUS *Jur. Eccleſ. Univerſal. Par.* 3 *Tit.* 2 *Tit.* 4. Hic *Cap.* 1 *Tit.* 2. Cauſſas equidem *mere* eccleſiaſticas, ſive cauſſas Sacramentorum, cultum divinum, & ſimiles, judici eccleſiſtico omnino reſervatas vult, quantum ad ſubſtantiam; *nihilque circa Sacramentorum validitatem, vel invaliditatem judicem ſecularem poſſe decernere.*

320.

320. " Quapropter licet ſenſim in Gallia, & etiam in his Provinciis Bel-
„ gii cauſſæ plures, quæ inſpecto jure communi erant eccleſiaſticæ cogni-
„ tionis, devolutæ ſint ad judices laicos, ſive tribunalia regia; nihilominus
„ cauſſæ Sacramentorum & ſimiles mere ſpirituales reſervatæ manſerunt
„ judicibus eccleſiaſticis, etiam per ipſas Principum ordinationes, & Parla-
„ mentorum Arreſta „.

321. Loquitur tamen hoc loco VANESPENIUS de ſola Sacramentorum & cultus divini ſubſtantia. " Certum eſt enim, (inquit num. 4) „ quod
„ circa modum, tempus, locum ea exhibendi aut celebrandi, necnon horum
„ miniſtros plurima intercurrere queant externam politiam ſpectantia, & ad
„ quæ Principum eorumque Magiſtratuum cura, & authoritas ſe extendere
„ poſſit, quin & ſubinde debeat; utpote quibus incumbit externæ politiæ
„ curam habere, atque curare, ut omnia recto ordine etiam in Eccleſia
„ agantur „.

322. " Verum ſuper valore (pergit num. 10) „vel nullitate Sacramento-
„ rum nullæ hodie ad forum contentioſum quæſtiones deferri ſolent, niſi ſu-
„ per Matrimonio; ideoque ſolæ cauſſæ matrimoniales fere ſunt inter cauſſas,
„ circa quas hodie Jurisdictio ECCLESIASTICA verſatur, & ratione qua-
„ rum LAICI ad forum eccleſiaſticum citari ſolent „.

323. " Quin inter cauſſas eccleſiaſticas reputandæ ſint (inquit num. 30)
„ cauſſæ BENEFICIORUM eccleſiaſticorum; uti & DECIMARUM, præ-
„ ſertim ad Eccleſiaſticos ſpectantium, nec non JURIS FUNERANDI, &
„ ſimilium, nemo dubitat. Cauſſa JURIS PATRONATUS ſpiritualibus
„ cauſſis quoque accenſetur. Verum Jus Patronatus Laicis ratione feudi aut
„ alicujus rei patrimonialis competens, non ſpirituale, ſed quodammodo
„ profanum, ſaltem quoad competentiam judicis habetur „.

" Verum hodie raro admodum de his cauſſis ſive Beneficiorum, ſive De-
„ cimarum vel Juris Patronatus coram Judice Eccleſiaſtico agitur; quia quæ-
„ ſtiones vel cauſſæ hæ rariſſime in PETITORIO aguntur; ſed dumtaxat
„ in POSSESSORIO, quod ex notoria praxi coram ſolis Regis Conciliis
„ agitari poteſt „. Vid. inf. num. 328.

324. " Inter cauſſas profanas (inquit Cap. 2 ejuſdem Tituli 2) „ quæ
„ jampridem Juriſdictioni ECCLESIASTICÆ ſubjectæ fuere, una eaque e præ-
„ cipuis fuit cauſſa TESTAMENTORUM, cujus cognitio & executio ſpecia-
„ liter Eccleſiaſticis competiiſſe videtur. Conſtat quoque, Imperatores Chri-
„ ſtianos curam teſtamentorum ſpecialiter Epiſcopis demandaſſe, ac voluiſſe,
„ ut invigilarent, ſi ſuprema voluntas defuncti executioni mandaretur. Unde

„ & Christianis usitatum fuit, Episcopis sua testamenta consignare, eisque „ executionis curam committere „.

“ Ex hac porro consuetudine Fidelium consignandi tabulas testamentarias inter manus Sacerdotum, earumque executionem ipsis demandandi, „ verisimilter fluxit, quod testamentorum executio, & difficultatum super „ his exorientium discussio, & decisio ad Ecclesiasticos, quorum prudentiæ, „ & religioni sui ultima elogia defuncti commiserant, transierit „.

Etsi autem hodie alicubi res mutatæ sunt, etiam quoad Testamenta *ad pias caussas*, etiam Clerici, “ nihilominus nemo dubitat (inquit ibid. num. 32) „ quin saltem Judicibus Ecclesiasticis incumbat pro paterna sua sollicitudine „ invigilare, ut defunctorum pia voluntas observetur; ipsaque pia legata suo „ tempore solvantur, & secundum voluntatem defunctorum impendantur „. (Nec plus postulat Benedictus XIV de Syn. Diœces. Lib. 13, Cap. ult. num. primo).

325. “ Sicuti Ecclesiastici (pergo nunc ex Capite 3 Vanespenii Tit. 2 cit.) „ sive Clerici fori privilegio gaudent; ita quoque bona vere ecclesiastica, qualia hodie sunt bona amortizata, a Jurisdictione seculari inspecto jure communi (Decretalium, ut mox declarat Vanespenius) „ exempta esse, unanimi consensu docent Canonistæ; quod & hic in Belgio „ etiamnum HODIE fere obtinet „.

“ Si autem laicus (inquit num. 9) „ actione personali, ex contractu per „ ecclesiasticam personam conveniatur ratione bonorum mere ecclesiasticorum, ut puta decimarum, vel oblationum, vel ratione bonorum amortizatorum, poterit laicus in jus trahi coram Officiali (Episcopi), vel Judice seculari: ita quod talis actio erit *mixti* fori „.

326. “ Præter duas has caussas (prosequitur num. 14) „ civiles & profanas, „ scilicet testamentarias, & bonorum amortizatorum, Judici ecclesiastico „ permittitur tertia, nimirum DOTIS, sive contractus antenuptialis „. Hæc Vanespenius secundum mores ac leges Belgii.

327. Pronunciatum illud Doctorum, “ quod causæ etiam civiles, & profanæ viduarum, & miserabilium personarum pertineant ad Judicem ecclesiasticum, ita ut hujusmodi personæ debitores suos laicos coram tribunali „ ecclesiastico citare possint; explosum est „: inquit ESPENIUS num. 20.

Ceterum “ si viduæ aliæque personæ miserabiles (ait num. 27) justitiam „ contra potentes consequi non possint, merito Episcopi, & Pastores opera, „ & consilio ipsis assistent; etiam instando apud Judices regios, ut justitia iis „ administretur; aut etiam Principem interpellando, si opus sit, ut judicibus „ injungat justitiam administrare. Ita jampridem JUSTINIANUS sanxit „.

328. Venio ad Caput 4 Vanefpenii Tituli illius fecundi. " Non tan-
„ tum petitorium, ait, fed & poffefforium in CAUSIS BENEFICIALIBUS
„ aliifque, de jure communi fpectare ad Judicem ECCLESIASTICUM, ex-
„ clufo Judice feculari, unanimis eft Canoniftarum fententia „.

" Cauffam tamen POSSESSORII (fubdit num. 11) „ affumpferunt Judices
„ regii vel hoc titulo, quod poffeffio in facto, & non in jure confiftat. Quæ
„ autem facti funt, non fpiritualia, fed potius temporalia cenfentur. Poffeffio
„ enim non dicitur fpiritualis, ut ipfa proprietas, fed potius temporalis „.

Ex hoc autem evenit, " ut omnes paffim cauffæ ecclefiafticæ (ut ait num.
46) „ titulo manutenentiæ feu poffefforii (id eft, retinendæ poffeffionis) „ ad
„ tribunalia regia traherentur, ipfaque tribunalia ecclefiaftica iis privaren-
„ tur „. (Dignus eft qui de hac re legatur Antonius Dadinus ALTESER-
RA Vindiciar. Ecclefiaft. Jurifd. Lib. 3, Cap. 8 & 9).

329. Hæc ex variis ac diftantibus locis tituli illius fecundi Bernardi
VANESPEN exfcribenda duxi ac in unum conjungenda, omiffis reliquis
omnibus, fed religiofe fervata fententia Auctoris. Verba etiam illius retinui,
cum brevis fit ac perfpicuus; etfi multum a cultu fermonis abeft.

Aliquot ex articulis cum Vanefpenio indicatis, verfat & Claudius
FLEURY *Inftit. Juris Eccl. Par.* 3 *Cap.* 5.

330. De cauffis etiam criminalibus feu de ecclefiafticis DELICTIS agen-
tem videamus eundem VANESPENIUM in Parte illa tertia Juris Ecclefiaft.
Univ. Tit. 4 indicato: & primo de crimine Hærefis. " Quia nulla hærefis
„ eft (inquit cap. 2, num. 34. &c.) „ nullufque judicari poteft hæreticus, nifi
„ a judicio catholicæ religionis, five dogmate Ecclefiæ cum pertinacia rece-
„ datur, hinc apud omnes in confeffo eft, crimen hærefis effe crimen eccle-
„ fiafticum; ipfifque Epifcopis de hærefi cognitionem primario competere „:
Cum eorum fit minifterii de dogmatibus judicare, ait S. Ambrofius *Epift.* 32.

Ceterum " non immerito diftinguitur crimen hærefis, in quantum con-
trariatur fidei catholicæ, & in quantum fcandalum publicum, commotionem
„ populorum, feditionem, aliave fimilia Rempublicam & Ecclefiam turbantia
„ inducit: ut fcilicet judicium de hærefi, quatenus contraria eft dogmatibus
„ fidei, deferatur Ecclefiæ; in quantum vero populos turbat, & fcandalum
„ parit, coercitioni Principum fubdatur, ut fcilicet Ecclefia de doctrina de-
„ cernat: Principes vero eorumque Magiftratus fua auctoritate hæreticos
„ jam declaratos compefcant; ipfamque Reipublicæ quietem & tranquillita-
„ tem procurent, & veritatem religionis declaratam tueantur „.

331. " Schifma (inquit num. 52) „ fi herefim conjunctam habeat, atque
„ in hærefi fundetur; crimen erit mere ecclefiafticum, ad folius Judicis ec-

„ clesiastici judicium spectans. Si autem sit merum schisma sine hæresi, tunc „ Judex secularis poterit cognoscere; uti distingunt Concordata Brabantiæ „ inter Carolum V & Episcopum Leodiensem „.

332. Crimen Sortilegii, Magiæ, & similia Interpres Gratiani existimavit esse crimina ecclesiastica. Sed quoad hæc, varia obtinuit Disciplina, modo cognitionem hoc de crimine exercentibus Episcopis, modo Judice civili; „ nisi quando prædicta crimina fierent per invocationem dæmonum, aut „ abnegationem fidei, quo casu cum sapiant hæresim, Episcopus aut Inquisitor cognoscet „. Vid. Espenium Cap. 3, num. 49 -- 52.

Sed " quamvis crimen sortilegii (ait num. 54) „ hodie fere sit cognitio- „ nis Judicis secularis, atque ad Judicem secularem ejus punitio spectet; ni- „ hilominus certum est, Episcopos & Pastores non tantum posse, sed & te- „ neri de hoc crimine, omnique superstitione inquirere, solliciteque exami- „ nare omnia, quæ aliquam superstitionis speciem præferunt; populumque „ sibi creditum sollicite instruere „.

333. " Crimen adulterii (pergo nunc ex Cap. 4 Espenii num. 10 -- 15) „ esse delictum ecclesiasticum, communiter docent Canonistæ. *Jodocus Dambou-* „ *derus in Praxi rerum criminalium cap.* 91, *num.* 17 *notat,* „ *quod Judices ecclesiastici* „ *adulterii notitiam & punitionem sibi peculiariter reservent, & vindicent Curiæ* „ *spirituales & Jura Canonica: quia adulterium directe concernit & spectat ad Eccle-* „ *siam, aut ad violationem Sacramenti Matrimonii* „.

At lapsu temporis crimen hoc in Gallia & alibi ad tribunal laicum devolutum est, ipsarum personarum caussa, quæ profanæ sunt, ideoque laico foro obnoxiæ. " Si tamen non criminaliter (subdit Vanespenius) seu ad „ pœnam proprie agatur, sed ad solam separationem thori; cognitio erit „ Judicis ecclesiastici „.

334. *De crimine lenocinii* (ait idem num. 28) *dicitur in Concordatis Brabantiæ tit.* 9, *art.* 23: De crimine lenocinii notorii, ubi quis est leno suæ uxoris, uterque Judex cognoscet, secundum qualitatem suæ jurisdictionis; extra illum autem casum Judex secularis solus cognoscet & puniet.

335. " Concordata Brabantiæ evincunt (inquit num. 51 ejus Capitis 4) „ crimen incestus esse crimen *mixti* fori, sed propter concurrens crimen ra- „ ptus aut oppressionis, sive violentiæ, reddi mere seculare: eo quod tunc „ fiat crimen capitale: qualia crimina solent spectare ad cognitionem & puni- „ tionem Judicis secularis „.

336. " Crimen concubinatus juxta hæc Concordata similiter mixti fori „ est, saltem quando concubinatus est notorius.

337. De Sacrilegio seu *de crimine incontinentiæ cum Moniali cognoscet uterque Judex seclusa alia qualitate delicti, vis, raptus vel simili, quia tunc solus secularis Judex cognoscet*: dicitur in Concordatis Brabantiæ tit. 9, art. 24. Vid. Espenium num. 68.

338. Sed jam rem absolvamus cum Capite 5 Vanespenii tit. ejus. 4: " Crimen Blasphemiæ (ait num. 16) „ esse mixti sive communis fori; ita „ ut laicus de eo convictus possit per Judicem tam laicum, quam ecclesia- „ sticum puniri, post Canonistas notat Julius Clarus„. Sed hoc tempore in Galliis, & in Belgio crimen Blasphemiæ ad tribunal laicum transiit.

339. " Crimen perjurii (pergit num. 21) est quodammodo mixti fori; „ uti & in Gallia observari tradit Carolus Fevretius de Abusu lib. 8, cap. 2, n. 4, „ aitque, *laicum ratione perjurii non posse conveniri coram Judice ecclesiastico, nisi* „ *perjurium a laico coram judice ecclesiastico in caussa ecclesiastica esset commissum*„.

340. " Crimen falsi est fori mixti eatenus, ut si falsum sit commissum „ coram Judice ecclesiastico, puniri possit per Judicem ecclesiasticum, etiam „ in laico: si vero coram Judice laico, puniendum sit per Judicem laicum, „ etiam in Clerico „.

341. Turbatio Officii divini, est item mixti fori: " ut nimirum laicus „ coram laico, & Clericus coram ecclesiastico Judice conveniendus sit,„ ait Espenius num. 32; licet soli ecclesiastico Judici crimen hoc fuerit quandoque reservatum.

342. " Julius Clarus scribit, quod crimen laici percutientis Clericum, „ sit mixti fori, nimirum ut Judex ecclesiasticus procedat ad pœnas eccle- „ siasticas; Laicus vero ad pœnas fisco applicandas „.

343. " Crimen usurarum (concludit Vanespenius num. 36 Capitis ejus quinti) „ esse mixti fori, si agatur criminaliter, docet Julius Clarus, eatenus „ nimirum, ut laicus Judex agat adversus laicos, ecclesiasticus vero contra „ Clericos usurarios„.

" Similiter potest Judex laicus cognoscere, an contractus sit usurarius „ vel non, si id *incidenter* coram eo incidat; si nimirum reus conventus ex „ contractu dicat, illum esse usurarium: secus vero si *principaliter* quæratur, „ num contractus sit usurarius. Hanc enim quæstionem esse fori ecclesiastici, „ post alios Canonistas asserit Julius Clarus „.

Ista ex VANESPENIO sint collecta & in unum quasi fasciculum compacta. Hæc tamen omnia juvabit contulisse cum iis quæ damus Cap. XIX, & præsertim XVIII.

344. Ea ipſa fere, quæ Vaneſpenius, percurrit quoque Michael ROUSSELIUS in *Hiſtor. Pontific. Jurisdict. Lib.* 6, *Cap.* 1, agens de Juriſdictione Eccleſiaſtica *contentioſa* in laicos & res temporales, quoad prima Eccleſiæ Secula. Nam proximis quinque Capitibus Libri ejusdem ſexti Cauſſas easdem expendit ex Diſciplina Seculorum reliquorum. Cum quibus ea conjungenda ſunt quæ de eccleſiaſtica Juriſdictione *contentioſa* in Eccleſiaſticos diſſerit *Libro* 4, *Cap.* 3, 4, *& quinto.*

345. De iiſdem illis cauſſis criminalibus, & de ceteris eccleſiaſticis cauſſis, quas attigit hoc loco Bernardus VANESPEN, agit ALTESERRA in quarto & ſexto ſuarum *Vindiciarum* libro, & quidem non ex unius aut alterius Gentis moribus, ſed ex generalibus Juris regulis ac principiis. Quo factum eſt, ut plerumque ex parte aut in totum diſcordet ab iis, quæ audivimus ex VANESPENIO.

Alios pro hac re Jureprudentes jam non commemoro; quos in Præfatione recenſebam.

346. Modo enim, ut promiſi, videndum eſt quid de Jurisdictione Eccleſiaſtica contentioſa, in laicos præſertim, traditum reliquerit BENEDICTUS XIV in Opere, prudentiæ ac ſapientiæ luminibus referto, quod conſcripſit *de Synodo Diœceſana.* Verſat ibi hoc argumentum Lib. 9, Cap. 9; ex quo eodem Capite diviſionem *Cauſſarum eccleſiaſticarum* dabimus ad Caput noſtrum quintum.

347. Docet ergo Pontifex primo, ex Chriſti inſtitutione deſcendere, ut ſola poſſit Eccleſia judicium ferre de Fide, de Sacramentis, de Religione ſeu cultu divino. Ceterum, etſi Matrimonium Sacramentum ſit; videndum eſt tamen Epiſcopis, ne ſibi adjudicent quicquid Matrimonium tangit. Initi conjugalis fœderis firmitas; validitas ſponſalium, & divortium, pertinent ad forum eccleſiaſticum.

348. Lites vero ſuper DOTE, donatione propter nuptias, hereditaria ſucceſſione, alimentis, & ſimilibus; ad Judices ſeculares pertinent. Et, ſi horum articulorum aliquis incidat, dum coram Epiſcopo de ſpirituali diſceptatur; in Gallia, etſi Jus commune repugnet, uſus tamen invaluit, ut ejuſmodi acceſſoriæ controverſiæ de re mere temporali a Judice eccleſiaſtico ad laicum illico remittantur; ſi vera narrat Fevretius de abuſu lib. 5, cap 5, ait Pontifex.

349. "Idem accidit (ait idem Benedictus XIV num. 6) „ in aliis pleriſ-
„ que cauſſis, quæ licet vere, & proprie ſpirituales non ſint, ob connexionem
„ tamen, quam habent cum re ſpirituali, a Jure communi foro eccleſiaſtico
„ addicuntur; & nihilominus alicubi ſive ex privilegio, ſive ex conſuetudine
„ in-

„ inductum est, ut in tribunali feculari discutiantur „. Ejufmodi eft, causfa exempli, JURIS PATRONATUS laicalis judicium tam poffefforium, quam petitorium; poffefforium in DECIMIS, in BENEFICIIS, ac fimilibus.

350. "Ob adjecti quoque jurisjurandi religionem (inquit num. 8) „ cauf- „ fæ reales, quæcunque forent, & quafcunque refpicerent perfonas, ad Ju- „ dicem ecclefiafticum olim fpectarunt. Quo titulo omnes fere quæftiones „ fuper civilibus contractibus ad Judicem ecclefiafticum olim devolvebantur. „ Et nihilominus fancte hæc difciplina pluribus feculis retenta eft „.

351. " Non folum, fi Jus commune infpiciamus (pergo cum Benedicto „ num. 9) „ folus Epifcopus eft judex competens in quibuslibet Clericorum „ cauffis, fed ejufdem tribunal adire permittuntur etiam laici in controver- „ fiis, cujufcunque generis fint, inter eofdem exortis; idque non tantum de „ communi litigantium confenfu, fed etiam, altero eorum refragante „. Hæc facultas perfeverabat intacta adhuc Seculo XIV ineunte.

352. " Potiori jure (ait deinceps) ad tribunalia ecclefiaftica provocare „ permittuntur viduæ, orphani, pupilli, aliæque miferabiles perfonæ „. Id vero confirmat Pontifex ex Canonibus; quos, addit non meram tuitionem & protectionem fignificare, uti nonnullis placuit; fed conjunctam cum tuitione Jurifdictionem. " Nam tuitio, ait, & defenfio, ne fit inefficax, debet effe „ conjuncta cum Jurifdictione: quamobrem, cum Patres Concilii Carthagi- „ nenfis V Imperatores rogarunt, ut Ecclefiis darent Defenfores adverfum „ potentiam divitum, nomine Defenforum veros intellexerunt Judices cum „ poteftate coercitiva „. Eadem poteftas conceditur confervatoribus, qui a Pontificibus dari Cætibus nonnullis confueverunt. Tranfit deinde Pontifex ad expendenda verba Canonum, ut iis veram Jurifdictionem fignificatam oftendat, imprimis in Canone Concilii Matifconenfis II habiti anno 585. Tum pergit:

353. " Eandem Jurifdictionem Epifcopis vindicarunt pofteriores cano- „ nes, quibus libertas data eft prædictis miferabilibus perfonis declinandi fo- „ rum feculare, vetitumque fecularibus judicibus, ne illas coram fe fiftere „ cogerent. Quare Innocentius III &c. „.

354. Finem facit Pontifex num. 11 dicendo, fe ifta fimul collecta Epifcoporum oculis fubjeciffe, " ut priora tempora cum hodiernis conferentes, „ videant, & doleant gravia vulnera fuæ antiquæ Jurifdictioni inflicta „. Ceterum hæc, ex BENEDICTO XIV prolata, multo intelliges melius, expendendo ea, quæ ponimus Cap. XVIII memorato.

355. Revocanda modo eft memoria eorum, quæ ex titulo fecundo Partis tertiæ VANESPENII proferebamus num. 319--329, ac conferenda cum iftis, quæ nobis Benedictus XIV commendata voluit.

356.

356. Sed jam in immenſa exemplorum ſegete, quæ, uti in *Præfatione* admonuimus, cauſſarum tum eccleſiaſticarum tum *mixtarum* regnum conſtituunt, pauca hæc decerpſiſſe, inſtituto noſtro ſufficiat.

CAPUT II.

De natura & muniis Poteſtatis utriuſque, Spiritualis, & Temporalis.

1. UT de finibus Poteſtatis utriuſque ſtatuere tuto valeamus; neceſſe eſt primum cognoſcere utriuſque naturam; tum videre, quænam ſint cauſſæ eccleſiaſticæ, quænam laicæ. De primo ordimur dicere hoc capite; alterum explicabimus deinceps.

2. Joannes DOMAT Jurisconſultus præclarus, Cap. 10 aurei Tractatus de Legibus, patria lingua ſcripti, quem *Legibus Civilibus ordini ſuo naturali redditis* praefixit, naturam Poteſtatis utriusque ſuis a fundamentis exponit acute & docte. Religionis indoles eſt (ait) deducere hominem ad Deum per lucem veritatis, & revocare ab erroribus amoris ſui ipſius; & ideo ad Religionem ſpectant interna ſpiritus & cordis humani; *e quorum recto habitu ordinem etiam Societatis externum profluere oporteret* (dont les bonnes diſpoſitions devroient étre le principe de l'ordre exterieur de la ſocieté.

3. Cum vero Religionis dictata non omnes ſequantur, ſed multi externum Societatis ordinem perturbent; indoles Politiæ eſt, tranquillitatem publicam tueri, hominesque in ordine continere, *etiam invitos* (indépendentement de leurs diſpoſitions dans l'interieur), vim etiam adhibendo & pœnas, quoties oportuerit.

4. Quia igitur diverſæ ſunt naturæ Religionis & Politicæ; ideo Deus eas Poteſtates utrique præfecit, quæ potirentur vi proportionata finibus & indoli utriuſque. Hinc Poteſtati, quæ Religioni præeſt, contulit auctoritatem ſpiritualem, *ſine temporali exteriori coactione* (ſans l'uſage d'aucune force temporelle ſur l'exterieur): Poteſtati vero, quæ Politiam curat, tribuit coactionem ac vim externam. Poteſtates Spirituales docent, hortantur, ligant, ſolvunt in foro interiori; *& alia exercent munia miniſterii iſtius propria* (& exercent les autres fonctions propres à ce miniſtere): Poteſtates vero temporales præſunt ordini exteriori: ſua cujuſque jura tuentur adverſus uſurpatores; & reos puniunt per pœnas & ſupplicia quatenus ad quietem publicam opus eſt.

5. Etſi

5. Etſi autem Religio & Politia diſcrepant indole; & alia ſunt munia poteſtatis ſpiritualis, alia temporalis: fœderatæ tamen ſunt ac ſociæ; cum ad ordinem conſervandum ſimul conſpirent, & ſe mutuo adjuvent. Ad munus enim Religionis & poteſtatis ſpiritualis pertinet, ut inculcet obtemperandum poteſtati temporali *non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam*. (Plena ſunt doctrinæ ac pietatis, ea quæ ad hanc rem fuſe diſſerit Jacobus Joſephus DUGUET *de Inſtitution. Princip. Par.* 4, *Cap.* 3, *art.* 8). Politiæ vero & poteſtatis temporalis eſſe præcipuum debet, Religionis exercitium adverſus perturbatores ordinis defendere, gladio exerto.

6. Diſtinctis igitur Poteſtatibus Deus diverſa munia commiſit; quia diviſa etiam ſunt *media*, per quæ utraque agere debet: qua ratione ſpiritualis poteſtas ſpiritualia ſibi ſemper vindicavit, nunquam vero temporalia; ita ut eo ipſo tempore quo ſpirituales Poteſtates miniſterium ſpirituale implebant, nulla habita ratione poteſtatum temporalium, quæ id vetabant; ſimul docerent & exequerentur ipſæ, quidquid intra temporalium poteſtatum fines eſſet.

7. Jam tandem ex his principiis colligas, ad poteſtates ſpirituales ſpectare ordinem rerum ſpiritualium, ſine ullo in temporalia jure; ad ſeculares vero poteſtates ſpectare ordinem rerum temporalium, ſine ullo jure in ſpiritualia: ambo hæc miniſteria Deum ipſum conſtituiſſe per ſe ſeu immediate, ut ajunt: & eos qui in alterutro horum miniſteriorum poteſtatem exercent, *ſubjacere iis qui poteſtatem exercent in alio, quatenus ad hos pertinet* (ſont ſoûmis à ceux qui exercent la puiſſance de l'autre en ce qui en dépend.)

Hactenus ſumma capita dedimus eorum, quæ a Joanne DOMAT loco memorato prolixa oratione explanantur.

8. Ex quibus hoc intelligimus, poteſtatis eccleſiaſticæ finem, eſſe vitam æternam; poteſtatis vero civilis finem, eſſe pacem & tranquillitatem Reipublicæ: ad hos vero diſparatos fines, diverſa item media ac quaſi inſtrumenta fuiſſe a Deo conſtituta: excommunicationem ſcilicet & alias ſpirituales pœnas eſſe in poteſtate Eccleſiæ; ſupplicia vero & mortem etiam eſſe in manu Reipublicæ: hortamenta & præcepta ſpectare ad Eccleſiam; vim exterius adhibitam, ſpectare ad Rempublicam: ſeu Eccleſiæ auctoritatem ad animos totam ſpectare; Societatis vero civilis poteſtatem extendi in corpora: uno verbo, poteſtatem Eccleſiæ totam eſſe ſpiritualem (id quod amplius & data opera explicabo *Capite* 3); poteſtatem terrenam totam eſſe temporalem. Legum itaque eccleſiaſticarum non alium eſſe finem, quam doctrinæ & diſciplinæ chriſtianæ ſanctitatem & purita-

tem ſervare illibatam; leges autem civiles, Reipublicæ tantum bonum & tranquillitatem reſpicere.

9. Locuti autem ſumus modo de fine *proximo* tantum *ac primo* utriuſque poteſtatis: neque enim ea ſunt nobis incognita, quæ *de fine alio* proximo poteſtatis eccleſiaſticæ, & de fine *ultimo* poteſtatis politicæ diſputantur inter Theologos & Jureconſultos. Sed hæc non tanti nobis ſunt, qui ſimpliciora ac prima & extra omnem ambiguitatem poſita ſequi ſtudemus. In quo quidem auctorem habemus Andream DUVALIUM Doctorem Sorbonicum, cujus Tractatus *de Romani Pontific. Poteſt.* locum meruit in *Bibliothecæ Maximæ Pontificiæ tomo* 3.

10. DUVALIUS itaque *part.* 1. *illius Tractatus Quæſt.* 1, *pag.* 425 *tomi cit.* hæc de fine utriuſque Poteſtatis habet: "Poteſtas eccleſiaſtica vel „ ad Dei cultum, vel ad alterius vitæ felicitatem: civilis vero ad præſentis „ vitæ beatitudinem, quæ in civium pace ſita eſt, refertur: cum enim bona „ ad quæ homines promoveri debent, & mala a quibus deterreri, non ſolum „ ſint ſupernaturalia, ſed etiam temporalia, & naturalia, vitaque fidelium „ in finem, & ſtatum civilem, & maxime in bona perpetua referatur; debuit „ una poteſtas, ſcilicet eccleſiaſtica, de mediis ad æternam felicitatem ſta- „ tuere: altera vero, nempe civilis de iis, quæ ad temporalem conferunt, „ leges ſancire, & præſcribere „.

11. Explicat vero Duvalius quoque *ibid. Par.* 3, *Q.* 2, *pag.* 496 *Tomi ejusd.*, quænam ſint officia in Societate civili ſervanda, ut habeatur præſentis vitæ pax & beatitudo; & quibus mediis procuretur felicitas vitæ alterius. Officia igitur in Societate civili ſunt, *neminem lædere, jus ſuum cuique tribuere, honeſte vivere, ſeu rectæ rationis regulam in agendo ſequi*: & quoad hæc occupantur Principes & Magiſtratus. Officia vero poteſtatis eccleſiaſticæ ad alterius vitæ felicitatem procurandam ſunt, *pœnas peccantibus comminari atque imponere, & præmia ſupernaturalia bene operantibus promittere.* Ex his vero clarius natura Poteſtatis, præcipue civilis, intelligitur. Legas quoque eminentis ſcientiæ Virum Jacobum Joſephum DUGUET *de Inſtitution. Princip. Part.* 4, *Cap.* 3, *art.* 4 & 5.

12. Illud tamen non eſt hoc loco omittendum (quod Joannes DOMAT ſupra monebat), politicæ poteſtatis munus eſſe in Eccleſia catholica, gladium exerere adverſus perturbatores Religionis, & contemptores eccleſiaſticæ Poteſtatis. Illud etiam non eſt repudiandum, quod Petrus DE MARCA *Concord. Lib.* 2, *Cap.* 10, *num.* 2 docet, ad munus terrenæ Poteſtatis pertinere non modo ut "reipublicæ pacem & ſingulorum civium, qua- „ tenus ſunt partes reipublicæ, promoveant, verum etiam ut cultum Chriſto „ debi-

„ debitum generaliter ſanciant, ſeu defendant, pœnis in contumaces latis; „ unde per conſequentiam amotis impedimentis felicitas æterna ſingulorum „ civium procuretur„.

13. Ea quæ hactenus dicta ſunt ad explicandam naturam Poteſtatis utriuſque, fere omnia complexus eſt paucis verbis Michael ROUSSELIUS Hiſtor. Juriſd. Pontif. Lib. 7, Cap. 5, num. 5 -- 7. " Duas eſſe Poteſtates, ait, „ proindeque duos gladios in Eccleſia nemo neſcit: ſed Eccleſiam intelligere oportet, eam non quæ ſolis Sacerdotibus ſit compoſita: at omnium „ fidelium cætum. Corpus autem totius hujus Eccleſiæ in duas eximias „ perſonas dividi, in ſacerdotalem, & regalem„.

14. " Utrique vero poteſtati ſuus gladius adtributus eſt: Eccleſiæ videlicet, ſpiritualis; Principi ſeculari materialis, quo in corpora impiorum „ hominum ſæviat.

15. " Sunt igitur iſti duo gladii diviſi: ordinati vero ut ambo concurrant in illius corporis tutelam, & defenſionem; ſicque ſacerdos temporalem gladium invocare poſſit, vel Princeps eum ſtringere debeat pro illius „ defenſione, etiamſi a ſacerdote non invocetur (hoc vero explicabitur Cap. „ XI): ac temporalis etiam Princeps exigere a ſpirituali viro queat, ut, cum „ opus erit, ſuum mucronem exerat, verum ita ut uterque Princeps & ſacerdotalis & temporalis liber ſit in uſu gladii„.

16. Illuſtriſſimus de MARCA *de Concord. Sacerd. & Imper. Lib.* 2 *cit. Cap.* 1 multa congerit ad diſcrimen utriusque Poteſtatis explicandum, & ad ſuos utrique fines adſcribendos. Primo enim num. 4 generatim ait: " Regium „ Imperium quietem publicam, Epiſcoporum ſollicitudo felicitatem æternam hominibus procurat. Reges ſecularibus, Pontifices ſpiritualibus ordinandis ſe impendunt„.

17. Deinde num. 6 ex Gelaſio I in Epiſtola ad Anaſtaſium Imperatorem recte infert, "Imperatorem præſidere humano generi dignitate, ſed in „ perceptione Sacramentorum ſacerdotibus ſubdi; legibus Principis, quantum attinet ad ordinem publicæ diſciplinæ, parere religionis antiſtites, „ ſed in erogandis myſteriis & in cæleſtibus ſacramentis Principem ordine religionis a ſacerdotum judicio pendere„.

18. Ex his vero non difficile eſt intelligere (quod MARCA dicit num. 5) " parem eſſe utramque poteſtatem in imperandi jure, ſed imparem in „ mandatorum dignitate; duo eſſe & diſtincta imperia, ſed nobilitate imparia; neutrius vero libertatem ab altera infringendam. *Scilicet* auctoritatem Regiam (*ut inquit Cap.* 2, *num.* 10) in rebus humanis adminiſtrandis nec ipſius eccleſiaſticæ poteſtatis conſortium admittere, quæ ita rebus

„ ſpiritualibus eſt addicta, ut ſine injuria Regum res temporales attingere non „ poſſit „. Huic vero rei lumen afferet Caput XII.

19. Quemadmodum ergo eccleſiaſtica poteſtas non ſubditur temporali; ita neque temporalis ſubjacet ſpirituali. Sunt equidem nonnulli qui non intelligant, qui fieri queat, ut poteſtates laicæ chriſtianorum regnorum, non ſubſint poteſtati eccleſiaſticæ & ſpirituali; cum Chriſtianos omnes oporteat ſubeſſe Eccleſiæ & ejus imperata facere.

20. Verum neceſſe eſt, iſtos, qui ſic hæſitant, conſiderare cum DUPINIO de Ant. Eccl. Diſcipl. Diſſ. 7 in præloquio, " magnum eſſe diſcrimen „ inter ipſam poteſtatem & eum qui poteſtate utitur, ita ut fieri poſſit, ut „ is qui poteſtate utitur, ſit ſubjectus alteri poteſtati, quamvis poteſtas illa „ quam exercet, nulli poteſtati ſubjecta ſit „.

21. " Sic Epiſcopi ſubjecti quidem ſunt regiæ poteſtati, ſed in CIVI„ LIBUS, ita ut poteſtas Epiſcoporum non ſit ſubjecta poteſtati civili: „ unde non poteſt Rex aut Imperator Epiſcopos conſtituere aut deponere „ vi & auctoritate civili „.

22. " Ita etiam Reges ſubjecti quidem ſunt Epiſcopis ac ſummo Pon„ tifici & ſpirituali poteſtati, ſed in ſpiritualibus tantum, ita ut poteſtas „ eorum temporalis quam habent ut Reges, minime ſubjecta ſit poteſtati „ ſpirituali „.

23. " Ambæ igitur poteſtates ſunt penitus diſparatæ & a Deo ſolo a „ quo ſunt inſtitutæ dependent, ita ut neutra illarum in alteram quidquam „ poſſit, quamvis tamen ſpiritualis ſit temporali nobilior „.

24. Sapienter & acute iſta Dupinius; ex quibus intelligis, Principes Chriſtianos ſubeſſe Eccleſiæ quatenus Chriſtiani ſunt, non vero quatenus ſunt Principes; ſeu, eos eccleſiaſticæ poteſtati ſubjici quoad ſpiritualia; & quoad hæc eſſe Eccleſiæ filios & oves: minime vero eidem poteſtati ſubeſſe quoad temporalia, ſibi a Deo commiſſa adminiſtranda, ſeu quoad poteſtatem quam ſuper regnum ſuum exercendam acceperunt a Deo.

25. Hoc ipſo plane modo dubitationem memoratam diſſolvit immortalis Jacobus Joſephus DUGUET in nobiliſſimo opere *de inſtitutione Principis Part.* 4, *cit. Cap.* 3, *art.* 7. Monet enim " diſtinguendum eſſe Regem a fideli, „ ſeu (quod ad idem redit) poteſtatem ipſius temporalem, ab ipſius per„ ſona. Scilicet Eccleſiam poteſtatem habere ſuper fidelem, minime au„ tem ſuper regiam auctoritatem: & poſſe interdicere Principem uſu rerum „ ſanctarum; ſed nullam unquam poſſe vim inferre poteſtati quam non tenet „ niſi a ſolo Deo „ (mais de donner jamais aucune atteinte a un pouvoir qu' il ne tient que de Dieu ſeul.

26 " Ita-

26. " Itaque potest Ecclesia, (dicam cum memorato DUPINIO loc. ,, cit. Cap. 2, §. 1 in fin.) regem tyrannice imperantem, aut veræ religionis ,, hostem, monere & adhortari, ut rectius imperet, vel ut religionem tuea- ,, tur, & ad summum aliquibus...... in casibus (*si id publice profuturum* ,, *sit*) ipsum communione Ecclesiæ privare. At inde minime sequi- ,, tur, eum regno aut bonis temporalibus privatum esse, cum Ecclesiæ po- ,, testas nullos alios, sive proximos, sive remotos effectus habeat præter ,, spiritualem ,,.

27. Non erat igitur quod ANTONIUS CHARLAS *de Libert. Gallic. Lib.* 7, *Cap.* 3, *num.* 3 *edit recogn.* timeret, ne summa ac plena potestatum distinctione posita, quispiam forte inde colligeret, "non posse Christi Vica- ,, rios, & Apostolorum successores Reges, & Principes, præsertim cum jam ,, per characterem baptismalem Ecclesiæ filii facti sunt, eique subditi, si ,, Fidei, ac Religioni perniciem afferunt, monere, compescere, ac modis ,, congruentibus, & efficacibus impedire, ne potestate temporali abutantur ,, contra supremi Regis cultum, & obsequium ,,. Nulla, inquam, erat caussa cur hos sibi timores fingeret; quoniam hanc in Ecclesia potestatem agnoscunt vel ipsi acriores Propositionis primæ Gallicanæ vindices.

28. Ceterum si contingat, Sacerdotium inter & Imperium exoriri querelas de egressis finibus, seu de invasis juribus non suis; inscite quis confugerit ad hanc Sacerdotii & Imperii distinctionem solutamque potestatem; dicendo, potestatem Principis, exempli caussa, ab ecclesiastica non pendere, ac Regi liberum esse id in suo regno decernere, quod publico bono vel utile vel necessarium judicaverit; eundem proinde minime teneri rationem de sua Regni administratione Ecclesiæ reddere.

29. Inscite, inquam, quis ad hæc cavilla confugeret. Nam vel querelæ essent de occupatis iis juribus, quæ CHRISTUS Dominus soli Ecclesiæ commisit, & quæ ad Ecclesiam pertinere declarant sacra Oracula, vel divina & apostolica Traditio. Vel dissidium esset circa eas res mixtas & temporales, quæ longæva possessio vindicavit Ecclesiæ. Si primum; debet Rex Ecclesiam audire, eique tanquam Magistræ Veritatis fidem habere: tunc enim Ecclesia agit in re sua seu in re sibi divinitus demandata; cui proinde velut ovis ac filius Rex subest; cum Regis non sit judicium ferre de rebus divinitus revelatis.

30. Si vero vetustæ possessioni illata sit vis; postulant justitiæ leges, Ecclesiam audiri, ac sua illi a Principe sarciri jura; sicuti alii supremæ temporali Potestati Rex jura dimitteret, quæ contra fas occupasset; neque hoc tamen agendo, ecclesiasticæ potestati suam potestatem regiam substerneret; uti nec subjiceret alii Imperanti, suas illi res dimittendo.

31. At si forte ambigatur, invasa sint necne jura Ecclesiæ, neque finiri quæstio possit vel ex doctrina divina, vel ex jure possessionis; tunc oportebit mutuis colloquiis ac conventionibus rem componere; sicuti, salvis summæ potestatis juribus, cum supremo alio temporali Principe fieret: neque enim Ecclesia inferioris est conditionis, quam summus quisque Imperans.

32. Quocunque igitur modo dicantur turbati fines alterutrius potestatis; non licebit uni partium allegare potestatem suam plenam & ab omni extraneo jugo solutam. Sicuti enim lex naturalis vult, privatum quemque audiri ab alio privatæ conditionis homine, eique id restitui quod forte fuerit injuste occupatum; ita lex eadem jubet, summæ potestati cuilibet satisfieri ab alia, quando hæc de suis violatis juribus conqueratur. Atque ista quidem, quæ modo dicta sunt, erunt fundamentum gravis quæstionis solvendæ, quam *Cap. XIII* in medium ponemus.

33. Jam ex iis, quæ in hoc Cap. proposuimus, omnes vident, neminem esse Catholicorum, qui in hoc generale principium non consentiat, temporalia, tranquilitatem publicam Regni, pœnas corporeas ac supplicia pertinere ad Imperium: spiritualia vero, felicitatem hominum æternam, & spirituales pœnas commissa esse sollicitudini Ecclesiæ. Hanc potestatum distinctionem omnes agnoscunt ac fatentur; parum enim, hanc fateri, affert incommodi: & Carolus FEVRETIUS *de Abusu Lib.* 1, *Cap.* 7, *num.* 1 ceteros omnes in hoc forte superavit; utramque potestatem tum perspicue discernendo, tum luculentis ac multis probationibus hanc potestatum distinctionem confirmando ac illustrando.

34. Summa vero rei est, quando ad singularia descenditur. Unusquisque enim partis, quam sequitur, protendere fines studet, & quod alias luculenter distinxerat, fœde postea confundere non dubitat; ita ut vel ipsi ex Protestantibus aliqui videantur mihi in hac re fuisse magis constantes ac religiosi; qui, vera inter Sacerdotium & Imperium distinctione constituta; ab hujus distinctionis consecutionibus non recesserunt tam longe & tam fœde. Quos inter sufficiat commemorare Guilielmum BEVEREGIUM Ecclesiæ Anglicanæ hodiernæ Presbyterum; quem cum jam Cap. superiori audiverimus de aliquibus Juris ecclesiastici Principiis sapienter ac juste decernentem; modo præstat audire de generali potestatum distinctione differentem.

35. BEVEREGIUS itaque num. 1 & 2 Prolegomenorum ad suum *Synodicon* jam laudatum, etsi principio hæreticum quid ponat; in ceteris tamen accurate ac perspicue Sacerdotium & Imperium discernit; in hoc laudandus supra Catholicos nonnullos, quod distinctionis istius fines servaverit,

verit, ubi poftea ad fpecialia defcendit: " Etiamfi Ecclefia, ait, in Imperio „ fit, unumque cum eo, in fingulis regnis caput commune habeat (hic latet virus hæc hærefis Proteftantium); „ reapfe nihilominus ab eo diftinguitur, „ non fecus atque anima a corpore; hoc enim medici, illa Theologi curæ „ committitur: proinde homo ex duabus iftis conflatus partibus, commune „ eft utriusque regiminis fubjectum, fub diverfo tamen refpectu. Imperii „ quidem quatenus animal politicum feu civile eft, Ecclefiæ autem quatenus „ animal immortale, fempiternæ fcilicet felicitatis, vel miferiæ capax..... „ Imperium externis tantum hominum actionibus, per corporea fcilicet exer- „ tis organa, advigilat: ut quifque fe, & fuis, & aliorum etiam focietate, „ quiete & tranquille gaudeat.......„.

36. " Cum autem homo veram erga Deum pietatem, & fuam in eo bea- „ titudinem neglectui habere plus nimio propenfus fit; imprimis neceffarium „ eft, ut harum etiam rerum cura ei habeatur. Hæc autem Ecclefiæ con- „ creditur: cui propterea, quoad ejus fieri poteft, cavere incumbit, ut & „ debitus Deo omnipotenti honor a fingulis exhibeatur, & ipfi fuprema illa „ quibus nati apti funt gaudia confequantur „.

37. " Imperium igitur externis tantum hominum erga fe invicem actio- „ nibus Ecclefia omnibus eorum erga ipfum etiam Deum geftibus intenta „ eft. Chriftiani, fateor, cives utrique fubjiciuntur, fed ei quatenus CIVES, „ huic quatenus CHRISTIANI.......„.

38. " At Ecclefia (pergit Beveregius) „ præftitutos fibi fines nunquam „ affequetur, nifi fuas habeat Leges, quibus omnes teneantur, qui in fpiri- „ tualem iftam focietatem admiffi funt. Et quidem inter ecclefiafticas hafce „ & civiles leges, non minus quam inter Ecclefiam ipfam & Imperium in- „ tereft. Primo enim quantum ad pœnas iis annexas, leges civiles morte „ fæpe puniunt, ecclefiafticæ nunquam, ut quibus vitam non eripere, fed „ fervare propofitum eft „.

39. " Corpora ab utrifque caftigantur, fed ab illis externe, per verbera, „ ab his interne, per jejunia & luctus. Quin etiam leges politicæ per pu- „ blicam bonorum confifcationem in delinquentes animadvertunt; ecclefia- „ fticæ autem per depofitionem, fi Clerici fint, a gradu fufcepto; fin Laici, „ per fegregationem a fpirituali cætu; & per anathemata iis inflicta: quæ „ fane talia funt fupplicia, quorum exigendi poteftatem nullus unquam Im- „ perator fibi arrogavit; nec jure arrogare potuit; fiquidem omnis ifta li- „ gandi & folvendi poteftas, in Apoftolis folis & ipforum Succefforibus ab „ ipfo Deo, a quo OMNIS AUTORITAS derivatur, fita fit, uulla Regum „ mentione facta „.

40. "Si

40. " Si autem de Fide loquamur Chriſtiana, & LEGIBUS AD ECCLE-
„ SIASTICAM ſpectantibus DISCIPLINAM, ipſi etiam Imperatores Chri-
„ ſtiani ingenue multoties profeſſi ſunt, NIHIL ſibi JURIS in iſtiuſmodi ſan-
„ ciendis rebus tributum eſſe „. etc. etc.

41. Omitto ea quæ ſequuntur; quoniam allata jam fuere Cap. 1, ut diximus, num. 247 - - 259; & ſunt conſectaria iſtorum, quæ modo, veluti illorum fundamentum, protulimus.

Sed veniendum eſt jam ad Caput 3, unde naturam ac limites Poteſtatis eccleſiaſticæ diſtinguere cuique liceat clarius.

CAPUT III.

Quænam Eccleſiæ Paſtoribus JURE DIVINO competat Vis Coactiva.

1. QUANDO quæritur, an in Eccleſiæ Paſtoribus JURE DIVINO ſit vis coactiva; non unus eſt quæſtionis ſenſus. Vel enim inquiritur, an illis jure divino competat vera Juriſdictio ſpiritualis, ſeu poteſtas exigendi a Fidelibus obedientiam per pœnas ſpirituales & cenſuras. Et hoc juriſdictionis genus competit Eccleſiæ jure divino, non autem eam precario a ſummis Imperantibus accipit, uti adverſus Fidem catholicam ſenſit HUGO GROTIUS ſupra Cap. 1.

2. Vel inquiritur, an Eccleſiæ ſit a CHRISTO conceſſa poteſtas cogendi in foro exteriori ad vindictam publicam per pœnas corporales, carcerem, exilia, fuſtigationes, & ſimilia. Hæc vero poteſtas minime competit Eccleſiæ jure divino, ſed competit ſolum uſu antiquiſſimo & tacito Principum conſenſu.

3. Quod tamen non ſic velim intelligi, quaſi ab eodem conſenſu & uſu derivandum exiſtimem jus imperandi pro foro interiori pœnas pœnitentiales, jejunia, vigilias, cilicia, eleemoſynas, aliaſque tum privatas, tum publicas, ad carnem macerandam, & ſpiritum Chriſto ſubigendum comparatas. Jus enim iſtas pro foro interno imponendi accepit ab eodem, a quo jus ſanandi animas & remittendi peccata. Jus etiam ſemper habuit Eccleſia invocandi brachium ſeculare, ut loquimur, adverſus inquietos & contumaces chriſtianos.

4. Nulla

4. Nulla igitur de istis est quæstio, sed tantummodo de pœnis corporalibus pro externo foro & ad publicam vindictam, seu de carceribus, exilio, fustigatione, & aliis hujusmodi. Hæc vis est coactiva, de qua nunc quæritur.

5. Et ista ita oportuisset distingui a nonnullis recentioribus, ceteroqui doctissimis Viris, antequam statuerent, Pastoribus Ecclesiæ jure divino competere vim coactivam: inter ceteros, a Thoma MAMACHIO in opere *Del Diritto Libero Lib.* 2, *Cap.* 3, §. 3, *num.* 7, *tom.* 3, *pag.* 126 - - 130; & a Laurentio BERTI *de Theolog. Disciplin. Lib.* 20, *Cap.* 16, *Prop.* 3, qui conjungit pœnas corporeas per potestatem extraordinariam illatas & per potestatem miraculorum, cum excommunicatione, & segregatione ab Ecclesia, atque inde transit ad potestatem deponendi Reges; mira sane rerum permixtione & absurda.

6. Atque hoc loco liceat mihi commemorare argutum responsum Claudii FLEURY *Discours septieme sur l'Histoire Eccl. num.* 14, per quod occurrit Cardinali BERTRANDO, vim coactivam conanti attribuere Ecclesiæ ab exemplo Apostoli Petri, qui Ananiam & Saphiram conjuges, ob fraudatum pretium agri, verbo prostravit. Respondet enim FLEURYUS, utique, si Episcopus facinorosum aliquem verbo prostraverit, se assensurum eam potestatem non esse nisi a Deo: cavendum tamen ne hanc miraculorum potestatem trahamus ad ordinariam in hoc genere jurisdictionem stabiliendam (*pour établir une jurisdiction ordinaire*).

7. Jus itaque carceris, fustigationis, exilii, mulctæ, & pœnarum similium, in foro externo ad vindictam publicam imponendarum, non aliunde accepisse Ecclesiam puto, quam ab antiqua consuetudine ac præscriptione, tacito Principum consensu nixa. Hæc est vis coactiva, quam a jure divino minime derivandam puto. Quam ad rem laudatus FLEURYUS *Institut. Jur. Eccl. Par.* 3, *Cap.* 18 satis accurate dividit pœnas canonicas in eas, quæ mere sunt spirituales, ut depositio & excommunicatio; & in eas, quæ aliquid seculare involvunt, ut mulctæ, fustigatio, carcer.

8. " Prioris generis pœnæ, *ait*, ita propriæ sunt Ecclesiæ, ut eas semper exercuerit, etiam in maximo persecutionum æstu. Posterioris generis pœnæ, quæ coactionem quandam involvunt, pariter ANTIQUIS AUCTORITATIBUS nituntur," pergit FLEURYUS; atque etsi inter has posteriores pœnas minus accurate annumeret pœnas pœnitentiales supra memoratas; fustigationum tamen exempla vetusta non omittit, itemque carceris ad tempus, vel perpetui; & exilii, opitulante tamen brachio seculari.

9. Finem vero enumerationis facit, dicens: " Hæ sunt pœnæ in tribunali sacro usitatæ, quarum mitiores salutarem correctionem continent;

„ acerbiores eo tendunt, ut REI FIDELIBUS NOCERE nequeant, ſalva „ converſionis via „. Lege ſis & Antonium Dadinum ALTESERRA Vindiciar. eccleſiaſt. juriſdiction. Libr. 9, Cap. 3, 5, 14 & 15.

10. Narrat vero FLEURYUS num 3, quis iſtarum pœnarum locus ſit adhuc in Galliis in foro eccleſiaſtico. " Noſtris moribus, inquit, Judex ec„ cleſiaſticus injungere poteſt pœnam pecuniariam non mulctæ nomine, ſed „ eleemoſynarum; ubi opus pium, cui applicandæ, exprimendum. Injungere „ poteſt flagellationem, remotis arbitris; non fuſtigationem publice manu „ carnificis infligendam. Injungere poteſt clerico extraneo emigrationem „ e diœceſi; non vero exilium imperare. Injungere poteſt carcerem per„ petuum, & ob crimina leviora ſeceſſum in monaſterium vel ſeminarium „.

11. Quod ad tempus attinet, quo vis hujuſmodi coactiva exerceri ab Eccleſia cœpit per pœnarum irrogationem in foro externo ad vindictam publicam; hoc tunc VANESPENIUS *Jur. Eccl. Univ. Par.* 3, *Tit.* 11, *Cap.* 1, putat fieri cœpiſſe, quando forum externum a foro interno ſeu pœnitentiali ſeparatum eſt. Hanc vero utriuſque fori ſeparationem credit factam eſſe circa Seculum XII; in qua re Vaneſpenio conſentientem habeo Joannem MORINUM *Commentar. Hiſtor. de Pœnitent. Lib.* 1, *Cap.* 9 *&* 10.

12. " Scilicet primitus Eccleſia (ait ESPENIUS ibid. num. 2), ejuſque „ Miniſtri adverſus ſceleratos & peccatores non procedebant, niſi cum re„ ſpectu ad forum pœnitentiale; ut proinde undecim circiter ſeculis pœnæ „ eccleſiaſticæ potius habuerint rationem pœnitentiarum, quam pœnarum; „ eo quod vindictam criminum per pœnas ſive pecuniarias ſive corporales „ ſcirent pertinere ad jus *gladii*; huncque non Eccleſiæ ſive Prælatis eccleſia„ ſticis, ſed Principibus eorumque Magiſtratibus a Deo datum „.

13. " Cum autem circa Seculum XII (pergit num. 3) forum externum „ & judiciale ſeparari cœpit a foro interno & pœnitentiali; illudque exerceri „ ad normam judicii forenſis & ſecularis; cœperunt quoque illa, quæ pridem „ ad correctionem dumtaxat & in pœnitentiam pro delictis ab Epiſcopis & ſa„ cerdotibus fuerant injuncta, eiſdem in foro judiciali ad modum judicii „ forenſis per modum pœnæ ad vindictam publicam per ſententiam imponi, „ & per Miniſtros publicos juſtitiæ forenſis infligi, ſeu executioni mandari „.

14. Hac ratione, ex VANESPENIO, antiquorum eleemoſynæ mutatæ ſunt in pœnas pecuniarias; recluſioni pœnitentium in Monaſterium ſe adjunxerunt etiam carceres epiſcopales. De receſſu a patria, & de exilio; nec non de virgarum pœna, & de fuſtigatione publica non licet mihi uno verbo tranſigere; ac proinde legendum relinquo Vaneſpenium ipſum.

15. Non facile tamen alii diligentiores antiquitatis investigatores acquiescent VANESPENIO existimanti, pœnas corporales in foro exteriori ad vindictam publicam adhiberi ab Ecclesia cœpisse circa Seculum XII.; sed affirmabunt, hujusmodi vim coactivam multo esse eo seculo antiquiorem. Quos inter Jo. Antonius BIANCHI *Della Podestà, e della Polizia della Chiesa contra Petrum Giannone Lib.* 1, *Cap.* 5, §. 6, *in tomo tertio, & Lib.* 2, *Cap.* 4, §. 9, *num.* 6-9, *in tomo quarto* vim hanc coactivam derivabit ex *Traditione Apostolica.*

16. Multo certe antiquiorem Seculo XII, vim eam coactivam demonstrari a P. BIANCHI, non dubito. Sed illud interim adnotare debeo, pœnas corporales in foro externo, ab eo confundi cum pœnis pœnitentialibus pro interno foro; & nonnulla præterea, quæ ab eo proferuntur, facere solum ad tuendam jurisdictionem ecclesiasticam spiritualem; quam nullus tamen Catholicus negat: alia tandem ex iis esse, quæ promanarunt ex potestate seu virtute extraordinaria & mira.

17. Ceterum sciendum; distingui a P. BIANCHI §. 9, *cit. num.* 3, inter jus damnandi, exempli gratia, ad carceres, & ipsam conjectionem in carcerem. Et jus quidem damnandi, semper in Ecclesia fuisse affirmat; conjectionem vero executioni aliquando mandasse Ecclesiam ope laicæ potestatis seu invocato, ut ajunt, brachio seculari. " Et Principes quidem, „ (inquit) sacerdotum sententias executioni mandando seu eos in vincula „ dando vel in exilium agendo quos Ecclesia damnasset, fatebantur esse illi „ potestatem hisce eos pœnis addicendi „.

18. Sciendum etiam, eundem Jo. Antonium BIANCHI §. 6, *memorato num.* 11, fateri (id quod etiam VANESPENIUM dicentem supra audivimus), " in locum pœnarum corporalium ab Episcopis primorum seculorum „ impositarum, diuturnorum scilicet & gravium jejuniorum, asperrimarum „ corporis afflictationum, macerationum, eleemosynarum, & similium, „ successisse postea carceres, mulctas, aliasque pœnas hodie usitatas „; etsi vult, hanc rerum conversionem tunc accidisse, quando Principes seculi Christo nomen dederunt.

19. Ego vero paucis verbis hanc rem transigam, admonendo, superesse nobis monumenta multa Seculi minimum sexti, quibus certi reddimur, tunc in foro ecclesiastico consuevisse non raro adversus reos decerni pœnas CIVILES corporales, & temporales, non solum in pœnitentiam & ad sanationem animarum, verum etiam ad vindictam publicam & in foro externo.

20. Quod ut nobis persuadeamus, sufficit vel solas GREGORII M. epistolas percurrisse. Si non vacat plura perquirere; habes indicia eorum, quæ dico, Capite XIX istius *Commentarii* num. 58 & seqq.

21. Ac per ea quidem emendare licebit Petrum GIANNONE *in Histor. Civili Regni Neopolit. Lib.* 3, *Cap. ult.* §. 6, *& Lib.* 6, *Cap. ult.* revocantem initia juris Ecclesiæ quoad illius generis pœnas ad Seculum nonum seu ad tempora Caroli Magni: *tom.* 1. *pag.* 236 *&* 422, *edit.* 1723.

22. Genus illud vis coactivæ, de qua modo agimus, non esse tributum Ecclesiæ JURE DIVINO, vidit & Joannes GERSONIUS *de Potest. Ecclesiast. Considerat.* 4, *col.* 230, *tomi* 2, *Oper. edit. Du Pinii.* Principio vero ponit quid sit jurisdictio ecclesiastica in foro exteriori, scribens: "Potestas „ ecclesiastica jurisdictionis in foro exteriori, est potestas ecclesiastica coer- „ citiva, quæ valet exerceri in alterum, etiam invitum, ad dirigendum „ subditos in finem beatitudinis æternæ „.

23. Hujus autem jurisdictionis ecclesiasticæ in foro exteriori partes sunt, "definire, decernere, constituere præcepta, leges, & canones, (ait idem GERSONIUS) „ procedere denique contra non obedientes, usque „ ad sententiam excommunicationis inclusive, immo secundum Canones „ nunc institutos, usque ad invocationem brachii secularis „.

24. "Addita est vero (inquit) pro inobedientium coercitione, pœ- „ nalis excommunicatio. Et sunt qui dicunt pœnam hanc esse ultimam, „ quam infligere possit ecclesiastica potestas jurisdictionis, ex institutione „ CHRISTI sola primaria, sic quod non extenditur ad incarcerationem, „ nec ut aliquis adjudicetur morti vel flagello corporali, sed facit hoc ec- „ clesiasticus, dum facit EX CONCESSIONE PRINCIPUM; quemadmodum „ multam, ob eorum donationem jurisdictionis TEMPORALIS autoritatem „ clerus accepit, quæ nihilominus jurisdictio vel censura dicitur spiritualis, „ sicut & ecclesiasticorum bona temporalia propter dedicationem & appli- „ cationem ad eos qui ministrant Ecclesiæ „. Ista Gersonius.

25. Ad vim coactivam supra descriptam Ecclesiæ asserendam ex jure DIVINO allegatur a MAMACHIO, a Laurentio BERTI, & a P. BIANCHI Constitutio Joannis XXII, edita adversus errores Marsilii de Menandrino Patavini, & Joannis de Janduno Perusini, quæ allata est a Raynaldo ad annum 1327, num. 28, etc. Extat pestilens liber Marsilii, de jurisdictione Imperiali & Pontificia scriptus anno 1324, in gratiam Ludovici Bavari, sub titulo *Defensoris pacis;* & typis editus est primum anno 1522, opera hæreticorum, loco Typographi minime annotato; *cui etiam consarcinando damnatissimam operam Jandunum impendisse*, scribit Natalis ALE-

ALEXANDER in Hist. Eccl.; & consentit FLEURYUS *Hist. Eccl. Lib.* 93, *num.* 19.

26. Istorum ergo errores damnati sunt a Joanne XXII, *velut S. Scripturæ contrarii & fidei catholicæ inimici, hæretici, seu hæreticales, & erronei.*

27. Quorum errorum postremus est, *quod Papa, vel tota Ecclesia simul sumpta nullum hominem quantumcunque sceleratum potest punire punitione COACTIVA, nisi Imperator daret eis auctoritatem.*

28. Merito autem hanc Joannis S. Pont. constitutionem allegant Berti, Mamachius, & Bianchi, dum velint, per illam vindicari jurisdictionem ecclesiasticam SPIRITUALEM; aut defendi jus Ecclesiæ ad exercendam vim coactivam ad publicam vindictam per pœnas civiles corporales & temporales in foro exteriori; quatenus eo jure fruebatur jampridem ex legitima præscriptione seu ex longa possessione.

29. Sed immerito ab iis allegata est, si forte velint, vim coactivam externam, de qua sermo est, attributam esse Ecclesiæ jure DIVINO. In Joanne Antonio BIANCHI res mihi expedita est; qui scilicet *Lib.* 1, *Cap.* 5, §. *6, num.* 3, - *6*, - *9*, & 10, *in Tomo* 3, *cit.* satis aperte indicat, esse sibi in eo loco sermonem de jurisdictione ecclesiastica spirituali seu de vi coactiva SPIRITUALI.

30. Objicit insuper sibi P. BIANCHI simulque respondet num. 10 alleg. " Dicet Petrus Giannone, hanc esse coactionem spiritualem. Sane; & hoc „ sufficit ut jure possimus asserere, esse in Ecclesia ex decreto DIVINO „ potestatem coactivam, & multo quidem validiorem ac fortiorem illa, „ qua Principes seculi a Magistratu potiuntur; quoniam reus & laica potestate „ damnatus, si e manibus judicis elabatur, a pœna simul se liberat; non sic „ vero reus, quem Ecclesia condemnaverit; quocumque enim gentium se „ conferat, comitatur eum pœna, donec absolvatur„.

31. Et ipsam vero Joannis XXII constitutionem legenti perspicuum fiet, errorem MARSILII Patavini impetere jurisdictionem ecclesiasticam spiritualem. Ubi enim errorem illum confutat Pontifex, totus est in asserenda hac jurisdictione seu potestate cogendi per excommunicationis sententiam. Lege numerum 33 Raynaldi ad annum citatum; unde ista solum Joannis Pont. verba exscribere placet.

32. " Adhuc constat, sicut legitur in Matthæo, quod si aliquis damnum „ alicui indebite dederit, illudque ad mandatum Ecclesiæ noluerit emendare, „ quod Ecclesia per potestatem a Christo sibi concessam ipsum ad hoc per ex- „ communicationis sententiam compellere potest: quæ quidem potestas est „ utique coactiva„.

33. " Circa quod eſt attendendum, *ait,* quod cum excommunicatio major „ nedum excommunicatum a perceptione Sacramentorum removeat, ſed „ etiam a communione Fidelium ipſum excommunicatum excludat; corpo„ ralis eſt a CHRISTO coactio Eccleſiæ permiſſa „.

34. In eo itaque ſenſu error ille damnatus eſt, quaſi jurisdictio eccleſiaſtica ſpiritualis, ſeu poteſtas exigendi a fidelibus obedientiam per pœnas ſpirituales & cenſuras derivaretur ex conceſſione ſummorum imperantium; qui eſt error Hugonis GROTII, uti dicebamus in principio iſtius Capitis.

35. Hoc ſane indicat etiam error, qui in conſtitutione Joannis XXII præit illi, quem nos retulimus; & ita ſe habet: " Quod omnes ſacerdotes, „ ſive ſit Papa, ſive Archiepiſcopus, ſive ſacerdos ſimplex quicumque, „ ſunt æqualis auctoritatis & jurisdictionis ex inſtitutione Chriſti; ſed quod „ unus habet plus alio, hoc eſt ſecundum quod Imperator conceſſit plus „ vel minus; & ſicut conceſſit, revocare poteſt „.

36. Atque ſic explicata propoſitione MARSILII; clarum eſt, nihil opus eſſe confugere ad reſponſionem, qua uſus eſt Claudius FLEURY *Diſc.* 7 *ſur l' Hiſt. Eccl. num.* 14. *cit.* Hic enim cum putaverit, per propoſitionem illam hoc unum voluiſſe Marſilium, vim coactivam in foro externo ad vindictam publicam non competere Eccleſiæ jure divino, & exiſtimaverit, hoc ſolum nomine fuiſſe hujuſmodi propoſitionem a facultate theologica Pariſienſi damnatam, facultatem hac in ſententia erraſſe pronuntiat; quod damnaverit propoſitionem *veriſſimam* (trés-veritable): conſtare ſcilicet, poteſtatem, quam Eccleſia a Jeſu Chriſto accepit, eſſe pure ſpiritualem & ſibi ſemper ſimilem: at reliqua ex conceſſione Principum profecta eſſe; quorum diverſus eſt ſtatus ſecundum tempora & loca. Clarius adhuc mentem ſuam aperuit FLEURYUS in ipſa Hiſt. Eccl. Lib. 93, num. 39, verba faciens de memorata Joannis XXII conſtitutione.

37. Nos, inquam, non opus habemus hujuſmodi reſponſione, quæ a Fleuryo allata eſt. Ceterum non repugnabo, ſi quis forte velit cum Jacobo GRETSERO *Conſiderat. ad Theol. Venet. de Immunit. Lib.* 2, *Conſider.* 7 *prope fin.*, Marſilium Patavium ita eſſe intelligendum, ut agnoſcat equidem, poteſtatem excommunicandi competere Eccleſiæ jure divino, ſed ita, ut nihil aliud a ſacerdotibus agendum cenſeat, " quam ut judicent & cognoſcant, „ quis excommunicationis pœna plecti debeat; & poſt cognitionem magiſtra„ tui, & quidem civili pœnam excommunicandi, hoc eſt, a fidelium cætu „ ſegregandi relinquant, quemadmodum Medici eſt judicare & cognoſcere, „ quis lepra laboret; at a conſortio communi aliorum non medicus, ſed ſo„ lus Magiſtratus leproſum per vim coactivam expellere poteſt „.

38.

38. Ita Marſilium GRETSERUS intelligit; cujus interpretationem adjuvant quoque illa Joannis XXII verba: *circa quod eſt attendendum* etc.; quæ habes num. ſuperiori 33. Mihi vero otium non eſt nec voluntas, MARSILII volumen non modicum & ſatis inſulſum expendendi diligentius; præcipue cum ſciam, eos ſæpe operam perdere, qui in Novatorum dictis apertam ſententiam, & conſtantiam ac tenorem unum quærunt.

39. Errorem ſupra prolatum, facere contra ſolam eccleſiaſticam SPIRITUALEM jurisdictionem, ſenſit etiam Jacobus ALMAINUS Doctor Pariſienſis *de Poteſt. Eccleſiaſt. & Laica Quæſt.* 3, *Cap.* 2, *ad calcem tomi* 2 *Operum Gerſonii editionis Dupinii col.* 1105.

40. " Marſilius de Padua (ait ALMAINUS) ponit, quod Papa nullam „ habet poteſtatem coercitivam, ſive coactivam ex inſtitutione Chriſti, & „ quod nullus habet poteſtatem excommunicandi, niſi ex beneplacito po„ puli, aut Principis: ſed iſta opinio eſt damnata & ſcandaloſa; quod patet „ per uſum contrarium; nam excommunicare poteſt Papa, & quotidie facit, „ ſine conſenſu populi „.

41. Subdit vero Almainus, " Papam, quantum ad ſpiritualia, habere „ poteſtatem coactivam per cenſuras ſpirituales, puta per excommunicatio„ nem, ut in peccatis contra Sacramenta, & contra Evangelium; ſed eſſe pro„ babile, quod in temporalibus nec habet regulariter, nec caſualiter pote„ ſtatem coactivam, ex inſtitutione CHRISTI, ſed ſi habeat, hoc eſt a Prin„ cipe, vel populo „.

42. Immerito ergo ſententiam a Joanne XXII contra Marſilium Patavinum & Joannem Jandunum prolatam allegaverit quiſpiam pro aſſerenda Eccleſiæ, tanquam jure divino conceſſa vi illa coactiva, quæ pœnas corporales in foro externo ad publicam vindictam adhibet.

43. Etſi vero a Chriſto Domino non fuerit Eccleſiæ Paſtoribus conceſſa poteſtas cogendi per pœnas corporales, carceres, exilia, fuſtigationes, & ſimilia, ad vindictam publicam; ſed hujuſmodi vis coactiva competat ipſi ſolum uſu antiquiſſimo & tacito Principum conſenſu: non eam tamen poteſt Princeps ab Eccleſia auferre, & nec valet pro voluntate & arbitrio minuere; quoniam leges præſcriptionis ac longævæ poſſeſſionis poſtulant, ut in hoc etiam articulo ſua Eccleſiæ jura ſerventur religioſe; ſicuti Eccleſia non ea Principibus adimit, quibus ipſi ex ſola illius indulgentia & conceſſione a multo jam tempore potiuntur. Sed de præſcriptionis immemorabilis ſeu longævæ poſſeſſionis vi, pro juribus tum Sacerdotii tum Imperii, explicanda erunt multa *Cap. XII*, quæ quidem in omni diſceptatione de juribus poteſtatis eccleſiaſticæ & laicæ locum habent; & ſunt ſane ſedulo ubique attendenda, niſi volumus rerum alienarum iniqui uſurpatores fieri.

CA-

CAPUT IV.

De Poteſtatis CIVILIS fonte & origine. Rejicitur primigenia hominum æqualitas.

1. DE Poteſtatis CIVILIS origine dum quæritur, multis ac variis formis ſententiam ſuam Scriptores ſtabilire ſolent. Quod non aliunde profectum eſt, quam ex diverſa ratione, ſub qua rem intuiti ſunt, ſeu ex diverſo fundamento, cui ſententiam ſuam ſuperſtruunt.

2. Nam primo alii de ea origine ſententiam dicturi, conſiderarunt, e quonam fonte proficiſcatur poteſtas gubernandi generatim ſumta. Et hanc oportet omnes fateri, derivatam eſſe a DEO; cum, docente nos Spiritu ſancto per Apoſtolum ad Rom. 13, *non ſit poteſtas, niſi a Deo.*

3. Secundo alii expenderunt, cuinam hominum fuerit primitus poteſtas iſta a Deo commiſſa. Et poſitam primitus fuiſſe in tota multitudine affirmat BELLARMINUS *de Laicis Cap. 6;* quoniam id poſtularet naturalis hominum æqualitas. Sed pareſne fuerint unquam homines, quæremus in poſtrema iſtius Capitis parte.

4. Tertio, alii pro fundamento ſumunt originem dominii politici, ubi alii imperant, parent alii. Et hoc loco Scriptores dividuntur; quoniam ii, qui poteſtatem primitus repoſitam fuiſſe in multitudine dicunt, dominium politicum derivant a libero conſenſu multitudinis, & a pactis mutuis inter hanc & Imperantes: quæ ſententia eſt BELLARMINI *loc. cit.*, PUFENDORFII & Juſti Henn. BOEHMERI *locis inferius indicandis*, Conſtantini RONCAGLIA *in Animadverſ. in Natal. Alexandr. Hiſtor. Eccleſiaſt. ſeculi XIII & XIV, Cap.* 9, *Art.* 5, & Antonii CHARLAS *de Libert. Eccleſ. Gallic. L.* 7. *Cap.* 4, *edit. recogn.* Roncalia autem expilavit Charlam; & ſufficit alterutrum legiſſe.

5. Contra vero ſapientiores viri cum Meldenſi BOSSUETO & cum Natali ALEXANDRO dominium politicum dicunt eſſe a Deo, " non tan„ tum eo nomine (ait Boſſuetus Defenſ Declar. Gallic. L. 1, Sect. 2, Cap. 3, edit. recogn.) „ quod Imperium nemo capeſſat, niſi providentia divina duce,

„ &

„ & auctore; verum etiam duplici alio titulo, primum, quod legitima Im- „ peria sint exorta natura ipsa duce, hoc est, auctore DEO naturæ condi- „ tore. Habent enim homines hoc a natura inditum, ut ordinem colant, „ quo eis incolumitas & tranquillitas constat: qui ordo nullus est, si desint „ legitimæ potestates „.

6. " Secundo, quod ad legem naturalem haud dubie accesserit doctrina „ per manus jam inde ab initio hominibus tradita, qua legitimis imperiis „ coerceri se necessarium ducerent, cum genus humanum statim atque post „ diluvium per terras fuit diffusum, se ultro in regna, civitatesque „ redegerit; quod tantum generis humani bonum, nonnisi a DEO traditum, „ inspiratum, propagatumque esse Patres docent .... „.

7. "Hæc ad formam paterni imperii facta esse creduntur; nec imme- „ rito: ab ipso enim generis humani exordio Reges parentum loco habiti „ sunt ...... certumque est omnino eam legem, qua res humanæ ordinan- „ tur, tam sanctam, tam necessariam, tanta consensione generis humani ab „ initio inolitam, & ubique diffusam, non nisi divina auctoritate fuisse con- „ stitutam „. Paria habet Natalis ALEXANDER loco infra allegando.

8. Quarto, alii intuiti sunt varietatem Regiminis, seu particulares modos regiminis ejusdem, Aristocraticum, Democraticum, Monarchicum per electionem vel per hæreditariam successionem; tandem mixtum. Et hoc certum est ortum suum debere temporibus, factis, & judicio ac electioni hominum; dum unum eorum potius adoptarunt quam alium; vel dum unum potius coacti fuerunt recipere, quam alium. Ex quo tamen non erat, quod quidam colligerent, potestatem Imperantium proxime fluere a populorum consensu.

9. Quinto tandem alii generatim investigant, quis proxime & immediate Regnanti cuique conferat potestatem & jurisdictionem; an populus vi pactorum aut in præsens aut olim tacite vel aperte initorum; an vero potius DEUS ipse dominationis omnis auctor.

10. In qua quidem quæstione nihil refert, quod sit genus Regiminis, aut qua ratione ineatur Imperium; electione, an hæreditaria successione, an alio modo; cum non sit necesse, eos qui Regiminis modum constituunt, esse etiam auctores potestatis & jurisdictionis.

11. Obiter admoneo, hanc quæstionem non esse mere theoricam; prout videri alicui posset. Nam contra esse, ii intelligunt, qui pervolutarunt Defensores Propositionis primæ inter eas quatuor notissimas, quas Clerus Gallicanus sancivit Anno 1682, ad ecclesiasticam potestatem spectantes. Quos inter Defensores primum ac potissimum locum obtinet tum mode-

ſtiæ tum ſcientiæ nomine, magnus Meldenſis Epiſcopus BOSSUETUS. Omitto DUPINIUM; ac potius commemorabo auctorem *Remonſtrantiæ Hibernorum* P. CARON, qui ante Boſſuetum & antequam Declaratio Cleri Gallicani prodiit, in eadem vindicanda Propoſitione verſatus eſt non modo acute, ſed etiam erudite & docte.

12. Hanc eandem Quæſtionem non eſſe mere theoricam, ii quoque intelligunt, qui Scriptores *de jure Naturæ & Gentium* legerunt, ubi agunt de officiis ſubditorum erga Imperantem. Sed ad rem accedo.

13. Quæritur igitur, an novi Regnantis poteſtas a populo immediate proficiſcatur, an vero potius Imperium ſummum ab ipſo Deo immediate in principes conferatur, neque ad id producendum ab hominibus proficiſcatur quidpiam; adeo ut liberi etiam populi, dum Regem ſibi ultro eligunt, non conferant in ipſum majeſtatem, ſed tantum deſignent perſonam, in quam illa DIVINITUS conferatur.

14. Primam ſententiam tuentur Samuel PUFENDORFIUS *de jure Nat. & Gent. Lib.* 7, *Cap.* 3; cui Joannes BARBEYRACIUS aſſentitur *in Not.* Juſtus Henn. BOEHMERUS *Jur. Publ. univerſal. part. ſpecial. Lib.* 1, *Cap.* 2, *num.* 24 *&c.* BELLARMINUS & RONCAGLIA *locis alleg.*; & valde in eam propendent Ignatius SCHWARZ *Jur. Publ. Univerſal. Nat. & Gent. tom.* 2, *pag.* 113 *ſeqq.*, & Andreas DUVALIUS *de Poteſt. Pontific. Part. I, Qu.* 1, *pag.* 425 *tomi* 3 *Biblioth. Pontificiæ.* Proferuntur autem pro hac ſententia nonnulla PATRUM loca.

15. Sed multo ſunt ea PATRUM loca clariora, quæ pro alia ſententia faciunt (ut illi manifeſtum fiet, qui ea diligenter utrinque conſideraverit); cui proinde ego adhæreo; cavillationibus ac fallaciis Aquilonarium novorum ingeniorum, præſertim PUFENDORFII, neglectis. Quam quidem optime illuſtrarunt Natalis ALEXANDER *Diſſ. 6 in H. E. Sec.* 15 *&* 16, *art.* 2, *num.* 18, Petrus DE MARCA *de Concord. Sacerdot. & Imper. Lib.* 2, *Cap.* 2, P. CARON *in Remonſtrantia Hibernorum Par.* 2, *Cap.* 3, §. 1, in tom. 2 Tractatuum de Libert. Gallic. a Petro Puteano collectorum, & DUPINIUS *de Ant. Eccleſ. Diſcipl. Diſſ.* 7, *Cap.* 2, §. 1; ut eos multos prætermittam, quos loco ſupra citato Andreas DUVALIUS recenſet.

16. Neque enim eſt cur ii, qui populo favent, electionem populi vel hæreditariam ſucceſſionem commemorent; quaſi inde colligi debeat, aliunde immediate eſſe poteſtatem Imperantium, non vero a DIVINA immediata collatione. Non, inquam, eſt cur iſta comminiſcantur; quoniam aliud eſt, ſi quæras qua via quove medio quis ad thronum perveniat; aliud, quis huic

ma-

majeſtatis jura conferat. Electio igitur & ſucceſſio pertinent ad media, per quæ aſcenſus fit ad thronum; ſed ſummum imperium novo cuique Regnanti proxime & immediate DEUS confert. "Sane dubitandum non eſt (dicam „ cum Petro DE MARCA loc. cit.) quin Regum perſona vel ſuffragiis popu- „ lorum ſpecialiter eligatur, vel generaliter translato regnandi jure hæredi- „ tario in aliquam generoſam ſtirpem, natalium ſorte, in regium culmen aſſur- „ gat. Sed certum & conſtantiſſimum eſſe debet, unicuique Regum poteſta- „ tem regiam immediate a DIVINO Numine conferri „.

17. Vel DUVALIUS ipſe in oppoſitam ſententiam valde propenſus, faſſus eſt tamen loc. alleg., " electionem populi, aut hæreditariam ſucceſſio- „ nem non impedire, quominus dici poſſit poteſtatem ſecularem Regum, „ & Principum a Deo eſſe immediate „.

18. " Ratio vero, cur hæc dicantur non impedire, quominus poteſtas „ Regis a Deo ſit immediate; eſt a ſimili: ſicut enim ex electione Pontificis, „ quæ fit per Cardinales totius Eccleſiæ nomine, non ſequitur Pontificem „ a Cardinalibus, vel ab Eccleſia ſuam mutuari poteſtatem; ita nec ex ele- „ ctione populi in prima Regum inſtitutione ſeu origine ſequitur, Reges „ ab illo, & non a ſolo Deo ſuam tenere poteſtatem; ideoque deſignant „ quidem electores perſonam regiam, cui tamen ſupremam politicam po- „ teſtatem nullo intermedio Deus ipſe confert „. Perſpicue hactenus DUVALIUS.

19. Addo aliud exemplum deſumptum ex municipiis, ubi electio Magiſtratuum eſt penes Ordines Civitatis; & illi tamen poteſtatem non ab Ordinibus, ſed a ſummo Imperante obtinent. Utamur etiam exemplo e media natura deſumpto: ad creationem animæ rationalis præcedant neceſſe eſt generatio, conceptio, organizatio fœtus, tanquam conditiones præviæ ac neceſſariæ; anima tamen rationalis immediate a Deo creatur. Aliis prolatis exemplis illuſtrat hanc rem Auctor Remonſtrantiæ Hibernorum loc. indicato: ac demum colligit: " Quod ergo Reges a populo eligan- „ tur, a Pontifice vel Propheta inungantur, nihil intereſt, quo minus Im- „ peria & Regna a Deo immediate accipiant „.

20. Hoc loco igitur diſtinguenda eſt deſignatio novi Imperantis ab Imperantis ipſius poteſtate, quæ jus vitæ & necis complectitur, & plenam adminiſtrandæ reipublicæ auctoritatem. Primum ſolet eſſe proxime ab hominum facto & opere; alterum eſt proxime a ſolo Deo.

21. Sed quoniam noſtris hodie hominibus magis placet ſuo ingenio ratiocinari, quam veteres ſolidæ ſapientiæ fontes adire; obſequamur tantiſper novo huic, ſæpe tamen fallaci genio.

22. Jus vitæ & necis esse inter præcipua politici regiminis jura, omnes agnoscunt. Scire jam velim, quis hoc jus Imperantibus concesserit. Populus certe non concessit, aut transtulit; cum homines vitæ suæ dominium nullum habeant; solusque Deus vitæ nostræ summus sit Dominus. Necesse est ergo, ut Deus solus (quemadmodum ait DUPINIUS) potestatis hujus partem contulerit iis, qui Societates civiles regunt; ac proinde, sive Reges, sive Magistratus, sive Principes, sive Populus universus potestatem illam exerceant, necesse est eam a DEO, qui solus illam hominibus concedere potest, in ipsos immediate derivari. Igitur potestas temporalis sive Regum, sive Magistratuum est a Deo, qui illam ipsis commisit. Altius repetit, ac urget fortius hæc ipsa insignis vir Petrus NICOLE *de l'Unité de l'Eglise Lib.* 3, *Cap.* 10, *pag.* 398 - - 400 *edit.* 1729.

23. Neque juvabit reponere cum HERTIO *in Pufendorf. loc. cit. num.* 4, homines quidem singulos sui corporis & vitæ potestatem non habere; at habere Societatem universam in corpus & vitam singulorum. Hoc vero jus suum Regi ac Principi populum cessisse; adeoque a populo regiam potestatem proxime esse, non autem proxime a Deo.

24. Hoc, inquam, reponere non juvabit. Etsi enim liberaliter concesserimus (id quod tamen laudato NICOLIO non valde videtur veritati consonum), Societatem totam *jure Naturæ* habere potestatem in corpus & vitam singulorum; inde effici id nondum poterit, quod isti postulant. Constat enim, a Regibus non singulos homines tantum, sed totum etiam aliquem populum coerceri opportunioribus ac gravioribus modis posse, cum res postulat; uti in defectione aut seditione manifestum est. "Princeps, (ait Dominicus SOTO de Justit. & Jure Lib. 4, Qu. 4, art. 1 versus fin.) „ potestate fungitur ferendarum legum, quibus rempublicam coerceat: nec „ solum singulis reipublicæ membris superior est, verum & totius collectim „ corporis caput; totique adeo sic eminens, ut TOTAM etiam SIMUL „ PUNIRE valeat„.

25. At hujusmodi potestate Societas non potitur, ut se perimere ipsa valeat. Eam ergo neque transcribere in Principes potuit. Restat igitur ut eam Principes a Deo immediate acceperint. Adeoque Principes summo imperio a solo Deo proxime donati sunt.

26. Atque huc facere item posse videntur ista Friderici GRONOVII in Not. 85 in GROTIUM de jure B. & P. Lib. 1, Cap. 3, num. 8: "Po„ pulus Regi non amplius potest dare, quam ipse habet. Non autem po„ pulus habet jus se ipsum extinguendi, aut in corpus suum injuste sæviendi. „ Ergo neque Regibus dare hoc potuit„. Dedit igitur Deus jus in populum, INTEGRIS tamen justitiæ ac paternæ pietatis legibus.

27. Scilicet non hoc loco a Deo derivamus usum iniquum potestatis, neque etiam dicimus, illum a Deo mitti, aut donari parte eximia potestatis divinæ, qui per fraudes & facinora pessima sibi viam vel ad Imperium, vel ad dignitates ecclesiasticas stravit. Sed recolas hic regulas eas juris publici tum civilis tum ecclesiastici, quæ locum habent erga invasores hujusmodi. " Etsi potestas Principum (ait recte Dominicus SOTO loc. cit.) „ ordinatio „ Dei sit, usurpatio tamen rerumpublicarum, quando violato jure fit, non „ est a Deo præcipiente; sed tamen id in punitionem subditorum permit- „ tente. Quemadmodum & potestatis usus quando legitime fit, inspiramen „ Dei est.... nam de aliis lamentatur Isaias Cap. 10 ubi ait: *Væ qui condunt* „ *leges iniquas;* quæ revera Deo non auctore, sed permissore instituuntur „.

28. Hæc eadem jam multo antea tradiderat Concilium VI. PARISIENSE anno 829 ab Episcopis quatuor Provinciarum celebratum *Lib.* 2, *Cap.* 5, *Tom.* 9, *Concilior. col.* 754 *edit. Venet. Colet.* " Quisquis ceteris mor- „ talibus (ajunt Concilii Patres) temporaliter imperat, non ab hominibus, „ sed a Deo sibi regnum commissum credat. Multi namque munere divino, „ multi etiam DEI PERMISSU regnant „.

29. " Qui pie & juste & misericorditer regnant, sine dubio per Deum „ regnant: qui vero secus, non ejus munere, sed PERMISSU tantum regnant. „ De talibus Dominus per Prophetam (Osee 13): *Dabo*, inquit, *tibi regem in* „ *furore meo.* Et Job. 34: *Qui regnare facit hypocritam propter peccata populi.* Ut „ enim Isidorus exponit, irascente Deo talem rectorem populi suscipiunt, „ qualem pro peccato merentur „.

30. Hæc si præ oculis habueris, commodior tibi aderit via ad interpretenda loca PATRUM, quæ prima fronte videntur pro opinione adversa facere.

31. Post hæc recte colligemus cum viro summo Petro NICOLE *de l'Unité de l'Eglise adversus illum Petrum Jurieu Lib.* 3, *Cap.* 10, *cit. pag.* 399, populum non esse, qui illis, quos eligit, tribuat gubernandi auctoritatem, vel jus vitæ & necis; sed Deum hæc jura supremis Imperantibus immediate conferre. Et ex hoc fluere quod Reges non sint tanquam populi ministri; sed sint, secundum Apostolum, ministri DEI; quare & is qui potestatibus resistit, resistat divino decreto ac dispositioni: *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* Rom. XIII. 2.

32. Et hinc consequi, quando placet Deo Regem populis per se ipsum designare, uti Saulem & Davidem Israelitis cunctis dedit, Jeroboamum & Jehu decem Tribubus, Azaelem Syris; hoc facto populos nullo suo spoliari

jure quo potiantur; sed ea potestate Deum uti per se, quæ sua propria est. Sed legas ipse integrum spectatissimi viri locum.

33. Veretur Antonius CHARLAS *Lib.* 7, *Cap.* 4 *cit.* ne ii, qui Principum potestatem Deo tribuunt tanquam proximo auctori, æqualem facere velint potestatem civilem cum ecclesiastica. Verum hunc illis scrupulum eximet laudatus BOSSUETUS *loc. alleg.* qui ad quatuor capita discrimen revocat sacerdotalem inter & civilem potestatem. Quorum primum est, quod " sacerdotalis potestas in Lege & in Evangelio a Deo ipso præsente „ atque conspicuo fuerit instituta: civile autem imperium, quamquam suo „ modo a Deo vel inditum, vel institutum sit, haud pari præsentia divinæ „ Majestatis „.

34. Alterum est, quod " sacerdotalis Principatus forma & regimen ex„ presse sunt a Deo instituta: civile imperium generatim tantum traditum „ est, & hominum arbitrio forma relicta, sive illa monarchica, sive aristo„ cratica, sive popularis foret „.

35. Tertium autem, quod " verum sacerdotium, illiusque potestatis „ legitima administratio cum vera Religione conjuncta est: Imperia vero „ legitima & apud infideles vigent „.

36. Ultimum discriminis caput est, quod " ritus consecrandi Sacerdo„ tes omnino divinus, atque inter Sacramenta a Deo instituta numeratur, „ valetque interventu proprio & expresso divini Numinis, ac Spiritus: at „ Regum consecratio neque a Deo est universim instituta; neque huic „ officio absolute necessaria, sive, ut ajunt, essentialis est „.

37. Intra hos igitur fines docent nostræ partis Theologi & Jurepruden tes, potestatem civilem æque a Deo institutam fuisse, ac spiritualem, eamque singulis Principibus a Deo proxime conferri; nominatim vero Petrus de MARCA, quem quoad hoc caput Antonius CHARLAS carpit immerito; cum & ipse MARCA fateatur, " spiritualem potestatem in se digni„ tate præcellere, & ejus originem conceptis verbis in Evangelio a CHRI„ STO sancitam esse „.

38. Sed suspicatus est iterum CHARLAS, " plurimos regiam auctori„ tatem nimis extollendo hoc tantum sibi proposuisse, ut ecclesiasticam „ dignitatem tantundem deprimerent, ac Principum ecclesiastica jura inva„ dentium injustitiam ideo excusarent „. Malum certe consilium; quod utrum illis insederit, locus erit cognoscendi ex iis, quæ deinceps explicabimus.

39. Sic vindicata & exposita hac sententia, jure ac merito dicemus cum eodem Illustriss. de MARCA, " non esse quod aliquis ea opinione se

„ im-

„ implicet, principatum politicum seu auctoritatem regiam a Deo per insi-
„ tam naturæ legem manasse quidem, sed ita ut populo & universitati conce-
„ deretur primum, & eorum deinde suffragiis in Reges conferretur, qui ple-
„ num Imperii sui beneficium non Deo tantum sed populis accepto ferre
„ debeant „.

40. Hac equidem opinione impliciti sunt tum interpretes juris naturalis nonnulli, tum theologi aliqui, uti vidimus, & in istis BELLARMINUS, qui scribit loc. alleg., "politicam potestatem, a Deo positam imme-
„ diate esse tanquam in subjecto in tota multitudine; quoniam, sublato jure
„ positivo, non est major ratio cur ex multis æqualibus unus potius, quam
„ alius dominetur: deinde hanc potestatem translatam esse a multitudine in
„ unum vel plures „.

41. Hinc vero PUFENDORFIUS & BOEHMERUS comminiscuntur pacta & conventiones, quæ intercesserint in translatione dominii politici a populo ad electos imperantes.

42. Sed nimium isti proprio ingenio indulgent, dum antiquitatem, & historiam sacram serio consulere negligunt. Quam si animo libero consuluissent; poterant sane intelligere, ridiculos esse eos, qui primigeniam aliquam hominum æqualitatem sibi fingunt, aut qui potestatis politicæ quasi semina (ut PUFENDORFIUS loquitur), e quibus postea imperii potestas coaluerit, in singulis de multitudine sibi videntur dispersa videre.

43. Æqualitatem hanc forte invenirent, si e gremio terræ homines subito extitissent. At cum sacra historia doceamur, primos homines ab uno primum parente esse progenitos, atque ex his ordine natos esse alios, & ita deinceps; æqualitatem illam inter somnia febricitantium reponendam puto. Secus enim paternam auctoritatem contra naturæ leges evertimus.

44. Et in paterna quidem hac auctoritate primorum hominum ac Patriarcharum agnoscenda est prima civilis societatis & dominii politici forma. Hinc sapientissime, ut semper solet, BOSSUETUS Meldensis initia ac prima fundamenta potestatis civilis repetit *ab Imperio paterno, id est, a natura humana;* & addit, *cum homines omnes sub potestate nascantur, & assuescant subesse imperio paterno; inde adduci ad caput politicum libenter agnoscendum.* Legas sane nobile BOSSUETI opus, quod inscribitur *Politique tirée de l'Ecriture Lib.* 2, *Art.* 1, *Propos.* 3 - - 8.

45. "Regii, ac supremi Imperii (ait idem BOSSUETUS in Defens. Declar. Gallic. Lib. 1, Sect. 1, Cap. 10 edit. memor.), „in ipsa PATRIA
„ POTESTATE, forma præcessit primos inter homines, quorum familiæ

per

„ per LONGISSIMAM Parentum VITAM, in quædam veluti modica ac „ modeſta regna ſuccreſcerent„. Dixerat paulo ante, " primum Nemrod „ nominari, qui vicinas civitates, utique jam per legitima imperia conſtitu- „ tas, invaſerit„; cujus tamen peſſimum exemplum non effecerit, quominus diutiſſime poſtea apud multas gentes mos probus & antiquus permanſerit. qui ferebat, Juſtino hiſtorico teſte, ut *intra ſuam cuique patriam regna finirentur.*

46. Eoſdem, quos nos modo ponebamus, DOMINII POLITICI ortus agnoſcit etiam Franciſcus JACQUIER *Ethicor. Par.* 2, *Sect.* 5, *Cap.* 2, *Art.* 1, *in reſp. ad object.* 1. Sed confer ſane cum noſtris ea, quæ Joannes HEINECCIUS *de Jur. Nat. & Gent. Lib.* 2, §. 92, *ſeq. (tom.* 1, *Oper. par.* 2, *edit. Genev. noviſs.)* habet de *FAMILIA in ſtatu naturali*, & de poteſtate patrisfamilias in eadem: unde illud etiam intelliges, opponi nobis hoc loco non poſſe illas juriſtarum diſtinctiones, ſocietatis minoris, majoris, & maximæ; ac poteſtatis politicæ, & *æconomicæ.* Lege ſis & Ignatium SCHWARZ *Oper. memorat. tom.* 1, *pag.* 25 -- 28, *&* 38 -- 43.

47. Hæc tamen pertinere volo ad ſolam dominii politici originem, adverſus primigeniam illam hominum æqualitatem, quam ſibi nonnulli finxerunt. Neque enim ad inſtitutum meum pertinet dicere de primis majorum veterum regnorum originibus; quoniam hoc ad facta hominum pertinet; quæ, quocunque tandem ſe habuerint modo, non mutant originem dominii politici, quam nos ſelegimus tanquam veriorem; nec eam hominum æqualitatem adſtruunt, quæ a nobis rejecta eſt. De iſtorum imperiorum ortu quærunt BOEHMERUS & HEINECCIUS *locis mox allegandis.* Sed longe hos ſuperat BOSSUETUS *art.* 1, *cit. Libri* 2 *Politices.*

48. Illud vero ex iis, quæ ponebamus de dominii politici origine, & de primæva hominum inæqualitate, ſit manifeſtum, inutile ac vanum fore quærere, quæ cauſſa moverit homines ad coeundum in civitates ſub certa regiminis forma: de qua re, in gratiam eorum qui quæſtionibus ſolidioribus ac utilioribus minime delectantur, late diſputant PUFENDORFIUS *Lib.* 7, *cit. Cap.* 1, *præſertim num.* 5 *&c.*, BOEHMERUS *Jur. publ. univerſ. loco cit. Cap. I, & BARBEYRACIUS in not.* . . . . Agit de hac ipſa re HEINECCIUS *loc. memorat.* §. 100 -- 107, ubi & a Pufendorfio diſcedit, ſicut abſceſſerat Boehmerus; & tum brevi tum dilucida oratione plauſibiliora proponit. In hoc eodem argumento brevis pariter eſt; & forte utilis erit Antonius GENUENSIS *de Officiis hominum Cap.* 13, *num.* 1 -- 4, *in quarto Metaphyſicor. tomo.* Omitto Ignatium SCHWARZ *Oper. ſupra cit. tom.* 2, *pag.* 45 -- 48. Sed jam ad noſtra redeamus.

49. Cum

49. Cum igitur conſtans ſit, homines in primævo ſtatu minime fuiſſe inter ſe æquales; conſtans ſimiliter eſſe debet, poteſtatem politicam non fuiſſe primum a DEO poſitam in multitudine ſeu in ſingulis de populo; a quo translata poſtea fuerit in Imperantes; qui proinde imperii ſui beneficium non Deo tantum ſed populis accepto ferre debeant.

50. Sed etſi hujuſmodi æqualitatem concederemus; ſequereturne inde, Principes, non a Deo proxime, ſed a populo accepiſſe poteſtatem & juriſdictionem? Minime prorſus. Hoc enim unum inde conſequeretur a populo fuiſſe deſignatos Imperantes, quibus Deus per ſe, nullo medio, conferret poteſtatem, qua idem populus munere divino potiebatur ex parte, antequam per novi Principis electionem ea ſe abdicaſſet.

51. Vides jam, rem eodem ſemper recidere, quicquid tandem cogites de medio, quo imperantes facti ſunt compotes poteſtatis illius, qua potiuntur.



CAPUT V.

Quænam ſint CAUSÆ ECCLESIASTICÆ, ſeu Cauſæ de quibus judicium eſt penes SOLAM Eccleſiam.

1. ROBERTUS Card. BELLARMINUS *de Clericis Cap.* 28 cauſſas ECCLESIASTICAS, in quibus liberi ſunt Clerici JURE DIVINO a ſecularium Principum poteſtate, hiſce verbis deſcribit: *Vocantur cauſæ eccleſiaſticæ, quarum cognitio non pendet a legibus civilibus, ſed ab Evangelio, vel a CANONIBUS Pontificum, aut Conciliorum, quales ſunt controverſiæ de fide, de Sacramentis, & aliæ id genus.*

2. Ne quid autem ambiguum aut incertum hoc loco relinquatur; animadverto cum Epiſcopo Meldenſi BOSSUETO in Opere *la Politique tirée de l'Ecriture Lib. 7, Art. 5, Prop.* 11, judicium Eccleſiæ eſſe non modo in cauſis fidei, ſed etiam DISCIPLINÆ eccleſiaſticæ; prout ex antiquitate diſcimus. "Non „ ſolum, ait, in negotiis fidei, ſed etiam DISCIPLINÆ eccleſiaſticæ de- „ finitio pertinet ad Eccleſiam; penes Principem autem eſt protectio, defen- „ ſio, executio canonum & regularum eccleſiaſticarum. Hæc eſt indoles „ Chriſtianiſmi (c'eſt l'eſprit du Chriſtianiſme), Eccleſiam regi debere per „ CANONES (que l'Egliſe ſoit gouvernée par les Canones)„.

3. " In Concilio Chalcedonensi cum nata esset quæstio de cujusdam Me-„ tropolis jure; & quoad hoc leges imperiales non viderentur cum CANO-„ NIBUS consentire; judices hoc legum dissidium Patribus indicarunt. Isti „ vero extemplo in communem hanc vocem eruperunt: *Vincant CANO-„ NES; Regulæ Patrum teneant;* quo responso demonstrarunt, si Ecclesia „ ex indulgentia & AMORE PACIS, in quibusdam rebus ecclesiasticum re-„ gimen respicientibus, seculari potestati cedit; ejus tamen spiritum, quo-„ ties sua LIBERTATE potitur, esse ut per suas proprias regulas regatur, „ & ut ubique sua decreta prævaleant „. Hæc BOSSUETUS.

4. Non minus perspicue Petrus DE MARCA *Lib.* 2, *cit. Cap.* 7 causarum ECCLESIASTICARUM naturam explanat. Nam in ea quæstione, an censura Clericorum legibus & judiciis Principum subjaceat; ita distinguit: " Aut enim, ait, de Titio movetur quæstio sub ea ratione qua clericus est, „ aut sub ea qua inter cives recensetur. Si de Clericorum gradibus, ordi-„ nibus, muneribus, & conditionibus, quæ ordinandos decent, & de vitio „ ordinationum agatur, aut de judiciis, quæ ob violatos CANONES insti-„ tuuntur, quæ criminis ECCLESIASTICI nomine comprehendi solent (vide quomodo MARCA similiter causas ecclesiasticas substernit canonibus); „ eo casu, cum ipsum Clericorum ministerium jure divino sit institu-„ tum, quæ necessaria sunt ad illud explicandum aut vindicandum, ei po-„ testati commissa censentur, quæ jus imponendarum manuum a Christo Do-„ mino nostro accepit „.

5. " Res ergo, quæ crimini ECCLESIASTICO materiam præbent, „ canone perstringi debent, non autem lege publica, nisi in subsidium: „ quemadmodum nec judicium publicum de iis exerceri debet, sed tantum „ ecclesiasticum „.

6. Pergit vero MARCA hæc illustrans ex variis antiquitatis ecclesiasticæ locis. Tum addit: " Valentinianus senior rescripto suo apud Ambro-„ sium relato (in Epistola 21 ad Valentinianum juniorem col. 860. tomi 2 Oper. edit. Monach. S. Mauri) „ hanc sententiam sancivit, cum in causa „ *fidei vel ECCLESIASTICI alicujus ordinis eum judicare debere statuit qui nec* „ *munere impar sit nec jure dissimilis;* id est, cognitionem SYNODIS deberi, si „ de Clericis, QUA CLERICI SUNT, quæstio instituatur „.

Igitur Petrus de MARCA hanc ex antiquitate eruit sententiam, causas ecclesiasticas esse in sola Ecclesiæ potestate: has vero causas esse, quæ tum a lege CHRISTI, tum a CANONIBUS regulam accipiunt.

Facile etiam eſt ex his videre, crimen ECCLESIASTICUM in Clericis, eſſe crimen perpetratum in re Clerici propria ſeu contra officium CLERICALE & DISCIPLINAM eccleſiaſticam: at crimen civile Clerici, eſſe crimen admiſſum in re tum Laicorum tum Clericorum communi, ſeu adverſus politiam CIVILEM & publicas regni ſanctiones.

7. Paullo adhuc ſunt ea clariora, quæ ſcripſit MARCA *in Interpretatione Capitis* Clericus 3, q. 4; quæ *Interpretatio* extat inter ejus Opuſcula, & cum Antonio Auguſtino BALUZII: " Clerici (ait MARCA num. 4 illius Opuſculi) „ dupliciter inſpici poſſunt, vel quatenus divinis miniſteriis inſerviunt, vel quatenus ſunt reipublicæ cives „.

" Sub priore illa inſpectione, cum functio & miniſterium illorum ex „ ſola Chriſti Domini inſtitutione pendeat, JURE DIVINO immunes ſunt „ a magiſtratuum publicorum cognitione, qui rationem ab iis exigere non „ poſſunt neglecti vel male geſti miniſterii eccleſiaſtici „ (quoniam hæc judicare pertinet ad Præſules eccleſiaſticos).

8. " Quatenus vero ſunt cives, ex divi Pauli effato Regum imperio „ & juriſdictioni publicorum judicum ſubditi ſunt „; dum tamen non obſtet (addit num. 5) eccleſiaſtica immunitas ex indulgentia PRINCIPUM profecta. " Quæ quidem immunitas in totum reſcindi non poteſt contra„ riis Principum conſtitutionibus, quippe quæ JUS QUÆSITUM & tam „ longa CONSUETUDINE firmatum tollere non debeant, nec REIPU„ BLICÆ TRANQUILLITATEM, quæ his moribus fovetur, lædere, ut „ eleganter docet Covarruvias, qui Clericorum immunitatem refert, non „ ad jus divinum, ſed ad PRINCIPUM PRIVILEGIA, quæ hodie „ IMMUTARI NON POSSINT „.

9. Eſt igitur in Clerico duplex perſona diſtinguenda, clerici & civis, ſicuti & in MONACHO; in quo tamen, ſi lubeat, triplex etiam conſiderari perſona poteſt, monachi, clerici, ac civis; ita ut monachus duas perſonas gerat ECCLESIASTICAS, & unam civilem.

Res autem, quæ perſonarum ECCLESIASTICARUM ſunt propriæ, ad forum eccleſiaſticum pertinent, ſeu de iis ſola Eccleſia ex nativa & ingenita poteſtate judicat ac ſtatuit; & ut verbo dicam, res illæ *cauſas eccleſiaſticas* conſtituunt.

Quare de officiis & ſtatu Clericorum, de diſciplina & ordine Monachorum ſola Eccleſia inquirit ac decernit; quoniam hæc ſunt iis affixa & inſita, *quatenus* (ut ajebat MARCA) *divinis miniſteriis inſerviunt*, ſeu quatenus ſunt divinis obſequiis ſpecialiter mancipati.

De regula igitur & diſciplina clericali, & de regula monachorum cognoſcit, judicat, ac leges condit ECCLESIA; quoniam cauſæ, quæ ex iis exſurgunt, ſunt *cauſæ eccleſiaſticæ*.

10. " Ex duplici illa (pergit MARCA num. 6 & 7 ejuſdem Opuſculi) „ quam poſuimus clericorum inſpectione orta eſt antiqua illa criminum a Cle- „ ricis admiſſorum diſtinctio, ut alia ſint ECCLESIASTICA, alia vero ci- „ vilia „.

" Prioris generis erunt non ſolum hæreſis & ſchiſma, quibus laici quo- „ que implicari poſſunt, ſed quæcunque PECCATA IN REGULAS CLE- „ RO PRÆSCRIPTAS; ut de ſubintroductis mulieribus, de ordinationibus „ perperam vel etiam ob pecunias celebratis, & de ſimilibus cauſis „.

" Crimina CIVILIA ſive ſecularia ſunt illa, quæ legum publicarum „ animadverſioni ſubjiciuntur, utpote quæ reipublicæ quietem & ſocietatem „ violant „.

11. Clerici igitur ac monachi, quatenus in regulas ſuas peccant, judicio ſubſunt eccleſiaſtico; quatenus vero delinquunt in ſocietatem, Magiſtratuum publicorum cognitioni ſubjiciuntur: quia in prioribus agitur de *cauſis eccleſiaſticis*; in poſterioribus de cauſis ſecularibus. Sed redeo ad *Concordiam Sacerd. & Imper.*, ut in incepta explanatione progrediar.

12. Capite igitur 3 Libri 2 cit. num. 7 Petrus de MARCA ſequitur Joannem de Pariſiis, Guillelmum Ockam, & Gerſonium, crimina diſtinguentes in eccleſiaſtica & ſecularia: illa vero conſtituentes in admiſſis directe contra fidem & Sacramenta, hæc in iis, quæ jure gentium aut CIVILI ſunt vetita; & illorum quidem coercitionem per cenſuras dicentes Epiſcopis competere; ſed in ſecularibus diſtinguentes, utrum peccatum ſit ERRORIS, an vero FACTI.

" Itaque fatentur (ait) penes Eccleſiam ex Chriſti inſtitutione pote- „ ſtatem eſſe cognoſcendi de peccato ERRORIS, & definiendi, an hoc vel „ illud factum crimini deputari debeat, eoſque, qui huic definitioni refra- „ gentur, pœnis eccleſiaſticis caſtigandi „.

" Ceterum de peccatis ſecularibus (FACTI) judicia vel cenſuras ferre „ non ſpectare ad juriſdictionem eccleſiaſticam „ (niſi pergant eſſe obfirmati in peccato) ſed monita ſolum & conſilia (ajunt) adhibere poſſe contra laicos.

13. Addit vero MARCA: " Hæc Theologorum illorum ſententia jam „ a trecentis & quadraginta annis in forum invecta, etiam hodie apud tri- „ bunalia Magiſtratuum viget. Quin & ad crimina *MIXTA* porrecta fuit, „ ſcilicet ad adulterium, quod legem naturæ & matrimonii Sacramentum

„ vio-

„ violat; adeo ut in laicos adulterii reos animadvertere Epiſcopis vetitum „ fuerit Arreſtis Curiæ Pariſienſis latis anno 1336 & 1380 „.

Regulæ ergo Fidei ac regulæ MORUM, & quæſtiones de ERRORIBUS, qui contra regulas illas pugnent, ſunt fori eccleſiaſtici; eo quod ab evangelica doctrina & canonica dependeant. Hæ quoque ſunt, ex MARCA, cauſæ mere eccleſiaſticæ.

14. Cum diſtinctione illa peccati ERRORIS, ac FACTI camparari poteſt diviſio quæſtionum, JURIS, ac FACTI. Et hic conſideranda eſt quæſtio, quam movet Antonius Dadinus ALTESERRA Vindic. Jurisdict. eccleſiaſt. Lib. 6, Cap. 3: *An Judex Eccleſiaſticus qui occupavit quæſtionem* (principalem) *matrimonii, valeat cognoſcere de quæſtionibus FACTI incidentibus?*

15. Reſpondet autem adhibendam eſſe diſtinctionem. " Aut enim (*in„ quit*) quæſtio incidens eſt meri FACTI, puta an Titius deſponſaverit Cajam „ per verba de præſenti, vel ſimul vixerint tanquam conjuges, & domi nati „ ſint liberi; tunc cognitio pertinet ad judicem ſecularem, quia eſt quæſtio „ meri FACTI, quæ nihil ſpirituale continet „.

16. " Aut ſuper certo facto diſputatur de JURE, puta an valeat matri„ monium nec ne, quia opponitur impedimentum canonicum affinitatis vel „ conſanguinitatis; tunc QUÆSTIO INCIDENS (quæ licet facti ſit, reſol„ vitur in quæſtionem JURIS) pertinet ad judicem ECCLESIASTICUM, „ quia ſine ea PRINCIPALIS QUÆSTIO expediri non poteſt. Alioquin vix „ Epiſcopus cognoſceret de matrimonialibus cauſis, & luſoria eſſet jurisdictio „ Eccleſiæ, quæ inefficaciter cognoſceret de matrimonio, eam morantibus „ incidentibus quæſtionibus facti „.

17. Doctus ille Jureconſultus, qui noviſſimam editionem Caroli FEVRETI *de Abuſu* adnotationibus ornavit, tam habuit perſuaſum, CAUSAS ECCLESIASTICAS eſſe illas, quarum cognitio pendet a CANONIBUS, ut huic fundamento nixus earundem cauſarum, itemque criminum contra Canones cognitionem ſoli pariter Eccleſiæ tribuendam cenſuerit; ſicuti e converſo poteſtati laicæ ſoli judicium illarum cauſarum vindicat, quæ pro fundamento habent LEGES SECULI. Ceterum ſi poteſtas utraque communi jure & auctoritate aut conjunctim aut ſeparatim unam ipſam rem ſanxit; tunc quiſquis hanc ſanctionem violaverit, ab utraque puniri poterit (niſi privilegio forte aliquo protegatur); quoniam utramque læſit; & patratum crimen eſt MIXTUM. *Legas Adnotationem primam ad Caput ſecundum Libri octavi Caroli FEURETI* de Abuſu.

18. Videndum modo quid VANESPENIUS protulerit ad cauſarum eccleſiaſticarum naturam intelligendam: " Cauſas ECCLESIASTICAS

(ait Jur. Ecclesiaſt. Univ. Par. 3, Tit. 2, Cap. 1, num 1 & 3) „ communiter „ dividunt Canoniſtæ in eccleſiaſticas MERAS, & *non meras*. MERAS „ vocant, quæ ſunt tales ex natura ſua, independenter ab omni poſitiva con- „ ſtitutione, aut CONSUETUDINE. *Non meras*, quæ quamvis ſint ex „ natura ſua TEMPORALES & profanæ, juſtis tamen de cauſis reſervatæ „ ſunt eccleſiaſticis judicibus „.

19. " Cauſæ *MERE* eccleſiaſticæ ſunt exempli gratia cauſæ Sacramen- „ torum, & ſimiles, quæ nihil temporalis annexum habent; ſed omnino ſpiri- „ tuales, & eccleſiaſticæ ſunt „. Iisdem cauſis *MERE* eccleſiaſticis accenſet *num*. 30 cauſas beneficiales decimarum, præſertim ad Eccleſiaſticos ſpectan- tium, juris funerandi, juriſpatronatus eccleſiaſtici &c.

20. " Inter cauſas profanas (pergit Cap. 2, num. 1,) quæ jam pridem „ juriſdictioni eccleſiaſticæ ſubjectæ fuere, una eaque e præcipuis fuit cauſa teſtamentorum „. De aliis hujuſmodi profanis cauſis ſeu eccleſiaſticis *non meris* agit *Capite* 3. Ceterum hæc conferas oportet cum iis, quæ ex eodem VANESPENIO dabamus *Cap*. 1, *num*. 318 *&c*.

21. Has vero cauſas eccleſiaſticas *non meras*, appellare licet etiam *mixtas*: ad quam rem legere potes Antonium CHARLAS *de Libert. Gallic. Lib*. 7, *Cap*. 8, *num*. 8 *edit. recogn*. " Cauſæ mixtæ ſunt cauſæ temporales, „ quæ connexionem quandam habent cum ſpiritualibus „: ait Ægidius Romanus Archiepiſc. Bituricenſis ibidem.

22. Dicam tamen obiter, variam eſſe notionem *cauſarum mixtarum*. Natalis ALEXANDER *Hiſt. Eccl. Sec*. 4, *Cap*. 2, *Schol*. 3 ponit, " Cauſas „ MIXTAS eſſe, cum non Eccleſiæ ſolum, ſed Reipublicæ pax & tranquillitas „ in diſcrimen vocatur „. Recte forte & iſtud.

23. Atque hoc loco ALTESERRA *de Juriſd. Eccleſ. Lib*. 4, *Cap*. 4, *&* *Lib*. 5, *Cap*. 1 Fevretum redarguit, quod definiat crimen mixtum illud, de quo judex civilis in laicos, judex eccleſiaſticus in clericos notionem habet; cum potius, judicio ALTESERRÆ, illud mixtum crimen intelligendum ſit, de quo uterque judex eſt competens in clericos & in laicos, ita ut locus ſit præventioni, & cognitio ſit occupantis, ſeu ejus judicis, qui prius hac de cauſa aditus eſt. Lege ſis etiam Horatium MARTA *de Juriſdict. Par*. 2, *Cap*. 1, & Caput noſtrum XII, num. 1 - - 6 infr.

24. Sed, ſi me audis, videtur mihi, non eſſe generali cuipiam harum cauſarum mixtarum definitioni præfracte inſiſtendum; cum jureconſultos ab iſtiuſmodi definitionibus videam non raro abductos eſſe in abſurda & incongrua: id quod facili conſideratione experiri ac perſpicere quiſque alius poteſt.

25.

25. Interim ego magis ab errandi occaſione nos abſuturos puto, ſi dixerimus, illas eſſe CAUSAS MIXTAS, quas per diuturnam CONSUETUDINEM, aut per CONCESSIONEM vel expreſſam vel tacitam alterius partis vindicavit ſibi alterutrum forum. Quæ quidem cauſarum mixtarum deſcriptio conſentit cum iis, quæ *Cap. XII* explicaturi ſumus. Sed redeo ad priora.

26. Nuperus Scriptor, qui ſub nomine Juſtini FEBRONII prodiit, in *Principiis Jur. Publ. Eccleſ. Cap.* 9, §. 11 hanc ponit regulam: " In cauſis ſpiri-„ tualibus & ECCLESIASTICIS attenditur SOLUM Jus CANONICUM „. Itaque ex hujus etiam ſententia, CAUSÆ eccleſiaſticæ ſunt illæ, quæ a CANONIBUS pendent.

27. Numerat autem e veſtigio cauſas ſpirituales & eccleſiaſticas, ſcribens: " Hoc nomine veniunt dogmata & Sacramenta: eo quoque pertinent „ omnes cauſæ matrimoniales; item ELECTIONES, inſtitutiones, depo-„ ſitiones miniſtrorum Eccleſiæ, jus patronatus, decimæ, ſepulturæ, funda-„ tiones & legata pia; PROFESSIO religioſa, vota, juramenta &c. Inter „ enumeratas cauſas tamen aliquæ, ſaltem ratione acceſſoriorum & cir-„ cumſtantiarum, videntur eſſe mixtæ, quarum intuitu ſeculares etiam prin-„ cipes juriſdictionem exercent, niſi eam Eccleſiæ ceſſerint „. Hæc vero intelliges melius ex iis, quæ habes ſupra *Cap. I, num.* 318 *&c.*

28. Non abſimili modo Claudius FLEURY *inſtitut. jur. Eccleſ. Par.* 3, *Cap.* 1, *num.* 9 inter CAUSAS eccleſiaſticas refert omnes quæſtiones doctrinales, ſive fidem, ſive MORUM ſpectent regulam, jus præſcribendi Canones ſeu regulas diſciplinares ad vitam interiorem directas (ſeu ad juſtitiam & pietatem finemque ſupernaturalem, ut ajunt, & vitam æternam; quo ſpectat ac tendit EXTERIOR quoque eccleſiaſtica DISCIPLINA; uti Cap. II explicavimus); jus ab earum obſervatione certis de cauſis liberandi, eaſque, ſi ſalus Eccleſiæ id poſtulet, prorſus abrogandi; Inſtitutionem PASTORUM & miniſtrorum, eorum depoſitionem; jus correctionis, & pœnitentiarum; tandem excommunicationis.

29. Concludit autem FLEURYUS: " Hæc ſunt jura illa Eccleſiæ pro-„ pria, quibus Imperatorum paganorum temporibus gaviſa eſt, nec ab ulla „ potentia humana privari poteſt; licet de facto nonnunquam & vi majore „ eorum impediatur exercitium „. Hæc ipſa latius explicat FLEURYUS in *Diſcours ſeptième ſur l'Hiſtoire Eccleſ. num.* 1 3.

30. Summus vero Pontifex BENEDICTUS XIV *de Syn. Diœceſ. Lib.* 9, *Cap.* 9 alio ſub aſpectu eccleſiaſticas cauſas dividit. Scribit enim num. 2: " Ex cauſis eccleſiaſticis aliquæ ratione ſui, aliæ ratione PERSONARUM, „ ad forum eccleſiaſticum pertinent. Inter primas principem locum ob-

„ tinent

„ tinent causæ, quæ versantur circa res mere spirituales, puta circa fidem, „ Sacramenta, religionem, seu cultum divinum; quas in solo foro eccle- „ siastico esse pertractandas nullus catholicorum ambigit: potestas quippe „ illas cognoscendi pendet a jure clavium „. Sed recolas cetera, quæ ex hoc eodem Pontificis Capite protulimus *Cap. I, num.* 346 *&c.*

31. " Aliæ sunt causæ (pergit Benedictus num. 8) eidem foro addictæ „ ratione personarum, quas tangunt. Non vacat hic illam examinare quæ- „ stionem, quo jure, divinone, an humano, CLERICI in causis mere „ TEMPORALIBUS exempti sint a jurisdictione seculari: superfluum „ quippe videtur indagare primigeniam originem ejus exemptionis, qua „ ceteroquin certo scimus Clericos potitos, ubi primum Ecclesia, sedatis „ persecutionum procellis, christianos Principes nacta est „. Inquirimus nos de ea quæstione Capite proximo.

32. Alia ratione CAUSAS ecclesiasticas dividit Daniel CONCINA *de Jur. Nat. & Gent. &c. Lib.* 1, *Diss.* 4, *Cap.* 3, §. 3, *pag.* 339 *Tom. sexti Theol. Christian.* " Quæ in christiana Ecclesia sacra sunt, alia attinent ad „ Sacramenta, alia ad regimen conscientiæ internum, alia ad disciplinam „ exteriorem. Ex quo sequitur, triplicem esse potestatem in Ecclesia, al- „ teram ordinis, alteram jurisdictionis interioris, tertiam jurisdictionis ex- „ terioris „.

33. " Prima Sacramenta conficienda & ministranda spectat...... Ad „ potestatem jurisdictionis interioris pertinet absolvere, & ligare conscien- „ tias „.

34. " Potestas jurisdictionis exterioris controversias fidei dirimit, con- „ cilia convocat, & iisdem præsidet, beneficia confert, Ecclesiæ ministros „ constituit, in delinquentes animadvertit pœnis spiritualibus „.

35. Properandnm est ad finem Capitis; cujus summa hæc est: causas ecclesiasticas esse illas, quarum cognitio a canonibus pendet, atque a lege divina per Ecclesiam declarata & proposita; sive causæ illæ tangant RES, sive PERSONAS; prout ex MARCA etiam intelleximus.

36. Ex hac vero regula ducitur illud pronuntiatum ejusdem Petri DE MARCA, non valere leges LAICAS, quæ de causis ecclesiasticis latæ CA- NONIBUS adversantur. Quod quidem pronuntiatum ipse late explicavit *num.* 6 *&c. Capitis undecimi Libri* 2, *de concordia Sacerdot. & Imperii:* ac postea in *prolegomenis pag.* 61 paucis verbis ac perspicuis ita proposuit:

37. " Tuitio illa, quam Principes canonibus impertiuntur, Canonum „ sententiam aliquo pacto egredi non debet, alioqui IRRITUM est & inane „ quodcunque Principis EDICTUM ADVERSUS CANONES in rebus „ ecclesiasticis latum „.

38.

38. " Hæc eſt libera illa vox ſynodi Chalcedonenſis, in quam Patres
„ a judicibus interpellati ſimul omnes eruperunt: *Contra regulas pragmaticum nihil valebit. Regulæ Patrum teneant.* Quod ſynodi decretum
„ Marcianus edicto ſuo firmavit: ita ut ſententia iſta in dubium adduci non
„ poſſit, nempe SOLI eccleſiaſticæ juriſdictioni ſubditas eſſe tum fidei tum
„ DISCIPLINÆ eccleſiaſticæ controverſias; ad Principum officium id unum
„ pertinere, ut legibus ſuis Canonum & decretorum pontificiorum executionem tueantur & foveant, ea conditione, ut ſi quid adverſum CANONIBUS decretis conſtituerint, nullum ſortiatur effectum „.

39. Hoc, inquam, pronunciatum, *irritum eſſe quodcunque Principis edictum adverſus Canones in rebus eccleſiaſticis latum*, ducitur ab iis principiis, quæ ferunt, cauſas eccleſiaſticas eſſe illas, quæ a Canonibus regulam accipiunt; & ex regulis Chriſtianiſmi naſci (prout jam a principio dixit BOSSUETUS), ut Eccleſia per Canones regi debeat.

40. Nam ad Eccleſiæ fundamentum non modo fides pertinet, ſed etiam DISCIPLINA; &, ſi quando duarum iſtarum partium alterutra magis ſubeſſet legibus, quam Canonibus, ita ut adverſus Canones leges vincerent, jam per hoc rerum naturæ mutarentur, ſeu efficeretur, ut magis a legibus civilibus cauſæ eccleſiaſticæ penderent quam a Canonibus contra naturam cauſarum eccleſiaſticarum, quæ, ut dictum eſt, regi Canonibus debent.



CAPUT VI.

De origine, & indole libertatis eccleſiaſticæ ſeu IMMUNITATIS Clericorum & rerum Eccleſiæ.

1. AFFINE eſt hoc caput ſuperiori quo inveſtigatum eſt, quænam ſint cauſæ eccleſiaſticæ. De libertate Eccleſiæ ſeu de immunitate clericali ſcripſere innumeri, theologice tamen potius quam hiſtorice: ex quibus cum ego multos legerim; videntur mihi nonnulli inter eos, dum nimiis diſtinctionibus ac diviſis poſitionibus rem explicant, deſtruere quod modo ædificarant, ac eo tandem devenire, ut multis licet verbis, nihil dicant nihilque doceant. Nominabo inter hos BELLARMINUM, Ant. Dadinum ALTESERRA *Vindic. Juriſd. Eccleſiaſtic. Lib.* 1, *Cap.* 2, Andream DUVALIUM Doctorem Sorbonicum, & Didacum COVARRUVIAM Hiſpanum.

2. Nolo tamen DUVALIUM vel COVARRUVIAM debito honore fraudatos; cum isti videantur mihi in hoc vexatissimo capite æquiores ceteris ac cordatiores; ille quidem in libro *de Pontific. potest. Par.* 3. *Qu.* 3. *in tomo* 3. *Biblioth. Pontific. pag.* 504; hic vero *Practicar. Quæstion. Cap.* 31. *in tomo* 2. *Oper.* Duvalius autem post Covarruviam scripsit, & hunc sibi proposuisse magistrum videtur. Ego, solius veritatis studio animatus, rem universam duabus primariis positionibus transigam.

3. Primo itaque tenendum est, " in his quæ per se, & proprie spiri-„ tualia, & ecclesiastica sunt (uti DUVALIUS scribit), Clericos a potestate, „ & jurisdictione laica DIVINO JURE esse immunes; ut quæ spectant ad „ Sacramentorum administrationem, pœnarum ecclesiasticarum irrogatio-„ nem, ministrorum Ecclesiæ institutionem, confirmationem, examen, & „ quidquid denique, ut inquit Covarruvias, ad Ecclesiam, fidemque Chri-„ stianam specialiter pertinet; ut sacras literas interpretari, & alia quædam „ ecclesiastica munia obire „. Positio hæc probatione non eget; cum sit „ catholicis omnibus comperta & rata.

4. Secundum hæc Natalis ALEXANDER in Histor. Eccles. Seculi 5, Cap. 6, Art. 6 in scholio: " Agnosco, ait, immunitatem ecclesiasticam in „ iis quæ Sacramentorum administrationem sacrosque ritus, ecclesiasticæ „ DISCIPLINÆ constitutionem, spirituale regimen populi christiani, cau-„ sarum mere ECCLESIASTICARUM judicium spectant, a Principibus & „ Imperatoribus non dependere, sed tamen plurimas alias immunitates in „ iis, quæ TEMPORALIA spectant ONERA, a christianis Principibus „ Ecclesiis clericisque concessas qui negaret, in ecclesiastica historia pere-„ grinus & hospes esset „.

5. Hæc postrema pars verborum Natalis Alexandri deducit me ad alteram primariam positionem, quam sapienter constituunt COVARRUVIAS & DUVALIUS *loc. cit.*, ac Emmanuel GONZALEZ *in Caput* 4 *de Immunit.* In rebus mere temporalibus & criminalibus, quæ spiritualia non attinent, Clericos, & eorum res non esse jure divino a jurisdictione Principum secularium immunes; licet Clericorum immunitas cum jure divino, & cum jure naturæ MULTUM congruat.

6. Non alia quam hæc, fuit sententia BELLARMINI, quando *de Clericis Cap.* 28, *Prop.* 5 scripsit: " Exemptio Clericorum in rebus politicis „ tum quod ad personas, tum quoad bona introducta est jure humano pa-„ riter & divino „. Nam JURIS DIVINI nomine BELLARMINUS non intellexit illud, quod a vero Dei præcepto existit, sed illud " quod ab „ exemplis vel testimoniis testamenti veteris, vel novi per quandam simi-„ litudinem deduci possit „; ut ipse idem loquitur.

7.

7. Quapropter vana eſt diſputatio illius, quam Cap. 30 ſuſcepit ad derivandam exemptionem illam a jure divino, adverſus COVARRUVIAM: & ſolum valet ad turbandas, ut ſæpe fit, primas theologiæ & hiſtoriæ notiones. Præterea Covarruvias accuratius ſane quam Bellarminus, dixit, exemptionem hujuſmodi eſſe a jure humano, ſed eam tamen multum cum jure DIVINO & NATURALI congruere.

8. Jus HUMANUM autem hoc loco non intelligo aliud quam JUS CIVILE ſeu Jus Imperiale. Veriſſime namque Natalis ALEXANDER *Hiſt. Eccl. Seculi* 4, *Cap.* 1, *num.* 8 de exemptione a tributis ſcripſit: " Pii Imperatores Clericos & Monachos tributorum immunitate donarunt. Unde quod ea non ſolvant, habent ex Imperatorum chriſtianorum pietate & munificentia ,,: quam propoſitionem defendit contra cenſores ſuos *in Scholio* 2 valide, ut ſolet in ceteris.

9. Nec video ſane, quo jure Theologi non pauci Immunitatem, de qua agimus, derivent a jure ECCLESIASTICO; quaſi vero religio chriſtiana liberet a vinculo civili & ab officio erga Principes, ſeu quaſi jus ab hoc vinculo ſolvendi Clericos, CHRISTUS Dominus conceſſerit Eccleſiæ vel Petri Succeſſoribus.

10. Quare magnopere laborat hoc pronunciatum Conſtantini RONCAGLIA in §. ſecundo Animadverſionum in Articulum 6 citatum Natalis Alexandri: " Perſonalis Clericorum immunitas quoad ea delicta, quæ eſſent CIVILIA, & profana, ſi non ex jure divino, ex ECCLESIÆ jure eſt repetenda; atque ita expoſcebat dignitas Miniſtrorum Eccleſiæ ,,. Simile quid ſcribunt COVARRUVIAS & DUVALIUS; qui in ea tamen immunitate ſimul agnoſcunt Imperatorum chriſtianorum *conſenſum* & religioſam donationem.

11. Has unas igitur partes Eccleſiæ fuiſſe in hac re aſſentior, quod ipſa exemptiones, quas Clericis Imperatores tribuiſſent, defendit ſtudioſe ac ſollicite adverſus violatores; ac latis legibus jura ſua ſibi vindicavit, ſive ea quæ ab Imperatoribus profecta erant, ſive quæ ab uſu, & a conſenſu tacito chriſtianarum gentium conſtituta fuerant.

12. Iſta ſunt conſona iis quæ ſapientiſſimus Pontifex BENEDICTUS XIV, verba faciens de immunitate perſonali Clericorum, habet *de Syn. Diœceſ. Lib.* 9, *Cap.* 9, *num.* 8; ubi poſtquam dixit, " non vacare illam examinare quæſtionem, quo jure, divino ne, an humano, Clerici in cauſis mere temporalibus exempti ſint a juriſdictione ſeculari; ſuperfluum quippe videri indagare primigeniam originem ejus exemptionis, qua ceteroquin certo ſcimus Clericos potitos, ubi primum Eccleſia, ſedatis perſecutionum procellis, chriſtianos Principes nacta eſt ,,; vi ſcilicet conſtitutionis a Conſtantino Magno latæ, quam ibi Pontifex commemorat ex Nicephoro, ſubdit:

13. "Cujus quidem exemptionis tuendæ adeo Epiſcopi ſolliciti fuere, „ ut Patres Concilii Carthaginenſis III habiti Anno 397 &c. Eandem immu„ nitatem, atque exemptionem (pergit), inſequentibus ſeculis & ſummos „ Pontifices, & PRINCIPES ſumma inter ſe conſenſione Clericis confir„ maſſe liquet ex Auth. *hodie*, Authentic. *Clericus*, Authentic. *ſtatuimus*, Cod. „ *de Epiſcop. & Cleric.* atque ex decretalium rubricis *de judiciis*, *& de for. com*„ *pet.*„. Hæc BENEDICTUS XIV, melius quam RONCAGLIA & reliqui.

14. Conſuluit autem ſibi in longa ſeculorum vice magis, & magis Eccleſia in hoc immunitatis ac libertatis articulo; eo quod bene noſſet, hoc jus magnopere congruere cum jure divino & naturali, ac multum valere ad conciliandam ordini eccleſiaſtico reverentiam, & ad ſanctitatem ac eminentiam Status ac muneris eorum, CLERICIS commendandam. Prætermitto alias rationes æquitatis ac congruentiæ, ob quas Clericos in politicis decuit eſſe exemptos a juriſdictione ſeculari; quæ afferri a Theologis variæ ſolent; & ob quas etiam juſtum fuit, ne Eccleſia pateretur ſibi elabi privilegia, quibus jampridem ex variis titulis potiebatur.

15. Neque vero prudens conſilium fuiſſet, eam immunitatem negligere, quæ Juris eſt Gentium, ut ita loquar, ſeu quæ univerſi hominum generis conſenſione ac moribus nixa videtur. In quo fatentem habeo non catholicum ſcriptorem aut theologum, ſed ex Proteſtantibus BOEHMERUM *Jur. Public. Univerſal. Part.* 2, *Lib.* 2, *Cap.* 9, §. 15 *in Not.*

16. "Pleræque gentes, ait, hunc ſacerdotibus ſuis præſtant honorem, „ ut eos a quibuſcunque oneribus publicis IMMUNES reddant„. Apponit autem BOEHMERUS exempla ex Druidis Gallorum, ex Hebræis, ex Ægyptiis, & ex Romana ethnica. Tum pergit: "Imperatores chriſtiani Judæorum „ ſacerdotibus immunitates, quibus Clerici fruebantur, indulgebant. . . . . „ Et infinitum foret, omnium populorum ſcita circa immunitatem ſacerdotum „ referre. . . . . . Hæc immunitas adſcribenda eſt venerationi & devotioni, „ quam erga ſacerdotes, utpote MINISTROS DEI, habuere„. Naturæ vox hactenus in BOEHMERO locuta eſt.

17. Ceterum cum clericalis immunitas in rebus mere temporalibus, & in criminalibus, quæ ſpiritualia non attingunt, ſit a jure humano ſeu a Principum beneficientia; inde recte ſtatuas cum DUVALIO Quæſt. 3 alleg. "Laicos „ vi conſuetudinis longioris temporis, jus & poteſtatem in Clericos habere „ poſſe ſive pro rebus CIVILIBUS ſive criminalibus. Nam etſi conſuetudo „ non poſſit hanc exemptionem penitus antiquare, aut ita reſtringere, vel „ imminuere, ut inde maxima toti eccleſiaſtico ordini fiat injuria: in non„ nullis tamen caſibus, per immemorialem atque præſcriptam conſuetudinem, „ hæc immunitas reſtringi, ac limitari poteſt„.

18.

18. Ex eo vero quod immunitas hujusmodi sit magnopere juri divino, ac naturali consentanea; merito colligas cum DUVALIO eodem, " Principem absque peccato eam universaliter tollere non posse, aut ad eas angustias redigere, ut hoc in opprobrium, & contemptum ordinis ecclesiastici cedat, maxime cum hæc immunitas jam ubique locorum & gentium, quibus christianum illuxit lumen, sit recepta, sitque veluti juris gentium, quod a nemine potest immutari, nedum abrogari ".

19 Omnino autem omnis controversiarum occasio & conflictus inter utramque potestatem tolletur, si vetus POSSESIO utrinque servetur, ac, quæstione exorta de aliquo libertatis ecclesiasticæ articulo, inspiciatur, quis ab immemorabili jam tempore possideat. Ut enim in multis aliis controversiis de finibus utriusque potestatis, ita in hac est habenda ratio longævæ præscriptionis; prout latius explicaturi sumus *Capite XII.*

20. Quam ad rem non immerito animadvertit RONCAGLIA *in Natal. Alexand. loc. cit.*, privilegia Principum, pro immunitate ecclesiastica facientia, " inter Ecclesiæ bona esse computanda, (quatenus scilicet usu longævo non sint abrogata), ac proinde in ipsius Ecclesiæ dominium transiisse; ex quo infertur, nullam modo habere Principes potestatem de eisdem vel abrogandis, vel minuendis; sicut nec ipsi Principes sibi auferri paterentur privilegium, quod ECCLESIA ipsis fuisset elargita ". In quo, si summam rei inspicimus, consentit & Petrus DE MARCA *in interpretatione Capitis* Clericus 3, q. 4, *num.* 5. Vid. supr. Cap. 5, num. 8.

21. Hoc vero nec ipsum latuit Natalem ALEXANDRUM, qui *in Hist. Eccles. Sec.* 15 *&* 16, *Cap.* 7 *in Schol.* 3 *ad artic.* 2 dilucide ac distincte, ut semper solet, summam nostri hujus Capitis, una cum postremo hoc articulo, proponit, scribens: " Immunitatem ecclesiasticam quoad spirituales causas & mere ecclesiasticas juris esse divini fateor: sed quod spectat causas temporales & profanas, ut solutiones debitorum, & criminum quæ a viris ecclesiasticis, non quatenus Clerici, sed quatenus homines sunt improbi, committuntur, ut furta, homicidia, sacrilegia &c.; eorum immunitatem esse juris divini concedere non possum . . . . . . ".

22. " Sed si quæ sint negotiorum species, in quibus Clerici conspirante Legum & Canonum sententia exempti sint a seculari foro; in JUS DIVINUM peccare fateor, quicunque illa privilegia violaverit, quia JURE DIVINO prohibetur, ne cuipiam JUS legitime quæsitum AUFERATUR ".

23. Intelligis ex his, vanos esse timores Jacobi GRETSERI, qui *Consideration. de Immunit. ad Theolog. Venet. Lib.* 2. *Considerat.* 10 *prope fin.*, veretur, ne, si a politicæ potestatis munificentia immunitatem ecclesiasticam in rebus

mere temporalibus derivaverimus; ipsa *facultatem concessam a Prælatis ecclesiasticis auferat, quando & prout lubet.*

24. Istis vero sic constitutis; videt unusquisque, non sine cauta interpretatione admitti id posse, quod VANESPENIUS ponit *in Tractatu de Recursu ad Principem Cap.* 1, §. 5, " Exemptionem scilicet Clericorum non sic competere Ecclesiæ, quin summus Princeps, qui eam benigne indulsit, possit eandem restringere, mutare, aut ejusdem legitimum usum præscribere, ubi COMMUNE BONUM id exegerit. Manet enim semper apud illos summa potestas ordinandi, statuendi, & agendi, quæ ad subditorum & reipublicæ commodum, secundum Deum judicaverint expedire ".

25. Utique si nullius alterius supremæ in suo genere potestatis id intersit; ita scilicet rem interim accipio. Secus vero, si intersit: tunc enim communi utriusque partis consilio & consensu res erit transigenda. Et hoc æque verum est, quando de juribus Ecclesiæ agitur, ac quando jura alterius potestatis LAICÆ invertenda fuerint; cum non inferiori conditione esse debeat illa, quam ista.

26. Quærerem sane hoc loco a VANESPENIO, an, posita communione jurium inter duos supremos Principes quoad rem aliquam, exempli causa, quoad dominium utile maris; daturus fuerit consilium alterutri Principum ordinandi ea & statuendi, alio Principe inconsulto, quæ ad reipublicæ commodum judicasset expedire. Non puto, hominem probum qui juris gentium *naturalis* regulas calleat, hoc fuisse insinuaturum consilium. Pari ergo ratione Consiliarii boni ac æqui se gerere erga Ecclesiæ jura debent.

27. Cum igitur exemptio Clericorum sit inter jura Ecclesiæ non infimi ordinis; si forte Princeps laicus eam restringere aut mutare voluerit, communi id Status ac subditorum poscente bono; jus gentium naturale, id est, jus inviolabile, postulat, ut prius audiatur Ecclesia & Romanus Pontifex, qui jure Primatus non quidem dominus, sed tamen distributor ac custos est jurium Ecclesiæ, & Ordinis clericalis, ac Cœtuum ecclesiasticorum. Videnda sunt ea, quæ scripsimus *Cap. II, num.* 28 - - 32.

28. Quamquam hoc admonere debeo, VANESPENIUM non ibi loqui de immunitate generatim; sed hoc unum voluisse ipsum ibi docere, immunitatem Clericorum a foro seculari non impedire, quominus Rex patrocinium præstet Clericis, qui a judicibus ecclesiasticis vim injustam passi fuerint; seu eandem non impedire, quominus Clerici isti sic oppressi possint regium implorare patrocinium.

29. Quo VANESPENII consilio cognito, statim alius verborum illius sensus occurrit menti: scilicet exemptionem Clericorum a foro seculari variam accipere mutationem posse in gratiam eorum, quibus exemptio eadem fuit concessa. Hic vero Vanespenii sensus ex toto paragraphi illius quinti contextu amplius confirmatur.

30. Antequam finem huic Capiti imponam, non est sane omittendum videre, quænam sit sententia œcumenici Tridentini Concilii *Sess.* 25, *Cap.* 20, *de Reform.* dicentis orbiter, *Ecclesiæ, & personarum ecclesiasticarum immunitatem, Dei ordinatione, & canonicis sanctionibus constitutam;* quibus verbis videtur significasse, immunitatem ecclesiasticam esse JURI DIVINO referendam, minime autem, ut a nobis affirmatum est, juri humano CIVILI seu imperiali.

31. Theologi ac jureprudentes ista TRIDENTINI verba non uno modo interpretantur. Verior tamen ac textui Tridentino conformior interpretatio hæc est: immunitatem ecclesiasticam in politicis tum quoad personas, tum quoad bona, esse valde consonam iis, quæ in verbo Dei consignata sunt; & esse inductam ad exemplum eorum, quæ scriptura sacra proponit; uno verbo, Clericorum immunitatem magnopere congruere cum jure divino, & cum jure naturæ. Hanc interpretationem adoptat ac explanat VANESPENIUS *Jur. Ec. Univ. Part.* 2, *Tit.* 35, *Cap.* 2, *num.* 27--31.

32. Eademque interpretatio est Emmanuelis GONZALEZ *in Caput* 4, *de Immunitate num.* 8, qui tum Tridentini recitatis verbis, tum aliis prolatis Canonibus, ex quibus videbatur colligendum, hanc immunitatem esse juris divini; respondet nihilominus, " cum communi interpretum placito „ dicendum esse, exemptionem hanc vere juris POSITIVI esse, sed quia „ valde conformis est juri divino, juris etiam divini dici, & lato modo ad „ jus divinum eam spectare; hanc enim esse phrasin, seu usum loquendi „ sacrorum Canonum, in quibus jus divinum appellatur, quod habet origi- „ nem a jure divino veteris testamenti „. Hæc tantum ex Gonzalezio. Nec plura a me dici opertere puto de immunitate & libertate ecclesiastica generatim.



CAPUT



CAPUT VII.

De rebus ecclesiasticis non licet Principi laico leges novas condere, non contra Canones modo, sed neque præter CANONES: seu, non spectat ad Principem externam Ecclesiæ disciplinam NOVE ordinare.

1. FATENTEM vidimus Petrum DE MARCA *Cap. I, num.* 296, *& Cap. V, num.* 36 *&c.*, irritum fore & inane quodcunque Principis edictum adversus Canones in rebus ecclesiasticis latum. Atque in hoc eos omnes, qui catholici censentur, convenire debere puto; quoniam secus in rebus ecclesiasticis potiorem ipsi facerent auctoritatem Principis, quam Ecclesiæ, cujus quippe Canones de ecclesiastica re cedere legibus seculi cogerentur.

2. Non desunt tamen qui non vereantur affirmare, aut insidiose saltem indicare; pertinere ad Principem, ut externam Ecclesiæ disciplinam ordinet, suisque legibus constituat. Quod pronunciatum duos habere sensus potest: vel quod solus Princeps jure constituendi externam disciplinam potiatur: vel quod potiatur ipse æque ac Ecclesia.

3. Primus sensus, quod solum pertineat ad Regem jurisdictio exterioris disciplinæ Ecclesiæ, " mihi videtur (dicam cum ven. Josepho Card. THOMASIO Opusc. 16, pag. 161, tomi 7 Oper. edit. noviss.) „ continere „ hæresim oppositam revelationi divinæ, quam nobis Deus manifestavit in „ libris novi testamenti. Disciplina enim exterior & visibilis Ecclesiæ sita „ est in regimine Ecclesiæ visibilis: quod regimen non homo, sed Deus; „ non Regibus, sed EPISCOPIS dedit, ut Deus ipse revelavit per os „ Apostoli dicentis: *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos REGERE Ecclesiam Dei*: „ *Act.* 20, 28.

4. Addit THOMASIUS & Canonem 6 sessionis 23 Concilii Tridentini: tum vero recte colligit: " Ex divina igitur ordinatione Episcopi con„ stituti sunt in ecclesiastica hierarchia; & ex eadem divina ordinatione ipsi „ positi sunt ad REGENDAM Ecclesiam Dei EXTERNO regimine disciplinæ, & jurisdictione „.

5.

5. Hanc poteſtatem in Eccleſiam a Chriſto manaſſe ultro faſſus eſt vel ipſe DUPINIUS *de Eccl. Diſcipl. Diſſert.* 7 *Cap.* 1 §. 2 ſcribens: " Quinta ,, ac poſtrema poteſtas a Chriſto Apoſtolis collata eſt condendarum LE- ,, GUM, quæ ad DISCIPLINAM Eccleſiæ pertineant, & conſtituendorum ,, ſibi ſucceſſorum, hoc eſt, Epiſcoporum, Presbyterorum, Miniſtrorum, ,, quæ leges bonum SOCIETATIS eccleſiaſticæ reſpiciunt; Miniſtri vero ,, animarum curam habent ,,. Hæc Dupinius his ipſis fere verbis: & Dupinio libens aſſentitur vexatiſſimus ille Petrus GIANNONE *in Hiſtor. civili Regni Neapolitani Lib.* 1 *cap. ult.* § 5 & 7.

6. Sufficit ſane, ad aſſentiendum huic parti, primas ſolum tenere dictionum ſeu verborum notiones, ac communi hominum ſenſu plane non carere. Verbum enim *regere*, quo APOSTOLUS utitur loco allato, non aliud ſonat audienti, quam *conſtituere, ordinare, ac moderari* ea omnia, quæ ad ſtatum pertinent & oeconomiam cætus ſibi commiſſi. Iſta huic verbo notio ſubjecta eſt. Et rideret ſane paterfamilias, audiens, cum ſibi univerſa familiæ cura, ordo & adminiſtratio ſit impoſita; ad ſe tamen non pertinere niſi SPIRITUALEM & MORALEM filiorum & domeſticorum inſtitutionem; ceteram vero domeſticam diſciplinam curaturos eos, quibus nunquam fuerit familia illa commiſſa *REGENDA.*

7. Jam cum, Apoſtolo teſte, Epiſcopi & Paſtores poſiti ſint a Spiritu ſancto *REGERE* Eccleſiam Dei; quis ferat, communes verborum notiones quoad Epiſcopos & Paſtores Eccleſiæ inverti ac mutari, repugnante vulgari conceptu ac communi hominum ſenſu?

8. ATQUE ex hoc uno (niſi alia ſuppeterent) conſequitur, alterum etiam ſenſum, quod in externam Eccleſiæ diſciplinam jus habeat Princeps æque ac Eccleſia, abeſſe plane a veritate, & tanquam abſurdum errorem eſſe omnino repudiandum. De ſolis enim Epiſcopis dictum eſt ab Apoſtolo, conſtitutos eos fuiſſe a Spiritu ſancto ad REGENDAM Eccleſiam Dei; neque vero ſignificat, ullam in hujusmodi regimine partem eſſe PRINCIPIBUS conceſſam. Et hoc quidem in capite conſentientem habemus tum Petrum de MARCA, tum inter Heterodoxos Guilielmum BEVEREGIUM. Relege prolixa iſtorum loca, quæ dedimus *Cap. I, num.* 290 -- 299 ex Marca, & *num.* 246 -- 261 ex Beveregio. Principes Canonicas tuiti ſunt Leges, ſed NIHIL de diſciplina NOVUM, non modo contra Canones, ſed nec præter & ultra CANONES ſanxerunt: & hæc perpetua eſt vox BEVEREGII in eo loco, quem ibi protulimus. Tene ſenſum BEVEREGII: de re autem nunc non quæro. Sed adeas ſane MARCAM *Libro item* 2 *Cap.* 1, *num.* 3.

9. Idem docet & Franciſcus SALGADO, vir item minime Regiis ſuſpectus *de Supplicat. ad Sanctiſſim. Par. 2, Cap. I, num.* 35 - - 39 *pag.* 204 *edit. Lugdun.* 1664. Et digna ſunt ejus verba, ut afferantur:

" Legibus, *ait*, quæ in jure reperiuntur de rebus ſacris (intellige in primis, ex Salgadi inſtituto, res eccleſiaſticas EXTERNAS, ſeu eccleſiaſticam externam DISCIPLINAM) „ Chriſtiani Principes nihil per ſe ipſos in „ his rebus definiunt; ſed quæ a ſummis Pontificibus & ſanctis Conciliorum „ decretis definita & ſtatuta ſunt, obſequente & maxima reverentia amplectentes, legibus ſuis & juſſionibus muniunt atque TUENTUR, pœnarumque comminationibus & terrore ad obſervantiam faciliora reddunt „.

" Leges namque temporales, quando conformes ſunt juri pontificio, „ non autem contrariæ, NEC CONTINENTES NOVAM DISPOSITIO- „ NEM in rebus eccleſiaſticis; licite condi poſſunt a Principibus temporalibus. Hæc SALGADUS „.

10. Merito ſane Beveregius, Marca, Salgado (ne commemorem nunc ejuſdem partis alios) omnem Principi denegant poteſtatem NOVAS leges condendi de eccleſiaſtica EXTERNA diſciplina, eas etiam quæ minime Canonibus adverſentur; adeoque poteſtatem illam SOLI Eccleſiæ fuiſſe a Deo concreditam, merito docent. Etenim præterquam apertiſſima eſt APOSTOLI de hac re ſententia a nobis prolata; pro hac eadem re omnis quoque antiquitas clamat, ſive PRINCIPUM ipſorum ſenſum exquirimus, ſive Paſtorum ac Patrum vocem audimus: & ipſa præterea naturalis ratio hoc idem perſuadet. Experiamur hoc primum ex antiquitate.

11. In externam Eccleſiæ diſciplinam jus non habere Principem, publice teſtatus eſt BASILIUS Macedo Imperator coram octava Synodo œcumenica, in qua Photius e ſede Cpolitana dejectus eſt, cunctis iis, quæ acta ab eo fuerant, abrogatis. In actione enim X, & ultima illius ſynodi, poſtquam recitati ſunt ſeptem & viginti Canones a Synodo editi, qui ad noſtram exteriorem diſciplinam ſpectant fere univerſi; orationem Imperator ad Patres habuit, in qua hæc inter cetera pronunciavit.

12. " De vobis autem laicis, tam qui in dignitatibus, quam qui abſo- „ lute converſamini, quid amplius dicam non habeo, quam quia nullo „ modo vobis licet DE ECCLESIASTICIS CAUSIS ſermonem movere, „ neque penitus reſiſtere integritati Eccleſiæ, & univerſali ſynodo adver- „ ſari, HOC ENIM inveſtigare & quærere Patriarcharum, Pontificum, & „ Sacerdotum eſt, qui REGIMINIS OFFICIUM ſortiti ſunt ...... NON „ NOSTRUM, qui paſci debemus .... quantæcunque enim religionis „ & ſapientiæ LAICUS exiſtat ...., donec laicus eſt, OVIS vocari non „ deſinet .... „.

13.

13. " Quæ ergo NOBIS ratio eſt in ordine OVIUM conſtitutis PASTO-
„ RES verborum ſubtilitate diſcutiendi, & ea quæ SUPER NOS SUNT quæ-
„ rendi & ambiendi? Oportet NOS nihil amplius quam ea, quæ ſunt NOSTRI
„ ORDINIS, requirere „. *Tom. 8 Concilior. edit. Pariſ. col.* 1154 *ex verſione Anaſtaſii Bibliothecarii.*

14. Agnovit ergo BASILIUS Imp. nec laico cuicunque NEC SIBI ipſi licere vel Canonibus eccleſiaſticis repugnare, vel in ECCLESIASTICAS CAUSAS & externam diſciplinam ſe intromittere: cum hoc ab OVIBUS ſit alienum; ſolumque ſit relictum Patriarchis, Pontificibus, & Sacerdotibus, *qui REGIMINIS officium ſortiti ſunt.*

15. Diſciplinæ exterioris partem item faciunt ea, de quibus latiſſime a NICOLAO I Rom. Pont. ſcribitur in Epiſtola 8 ad Michaelem Imperatorem Cpolitanum: nam de iis agitur, quæ adverſus Ignatium Cpolitanum Patriarcham geſta fuerant. Audiamus hunc Pontificem verba de actis illis habentem ad Imperatorem *in eod. tom.* 8 *Concilior. col.* 324.

16. " Nolite (ait) quæ Eccleſiæ ſunt, uſurpare: nolite, quæ ipſi SOLI
„ commiſſa ſunt, velle ſurripere: ſcientes, quia tanto nimirum a ſacris debet
„ omnis MUNDANARUM rerum adminiſtrator eſſe remotus, quanto
„ quemlibet ex catalogo clericorum, & militantium Deo nullis convenit ne-
„ gotiis ſecularibus implicari „.

17. Plane ad externam diſciplinam ſpectat ſtatus & ordo Monaſteriorum, qui deſcriptus eſt in Canone tertio Concilii Troslejani, anno 909 ab Heriveo Remenſi Archiepſcopo, ejuſque Suffraganeis celebrati apud Troslejum villam Regiam in pago Sueſſionico. Patres tamen illi pronunciant: quod " PRIN-
„ CIPALIS POTESTAS putet ſibi licere in cauſas eccleſiaſticas proſilire, id
„ eſſe contra auctoritatem DIVINAM „.

18. " Ita inolevit malum, ajunt, quod a tranſactis retro cœperat annis,
„ ut jam PRINCIPALIS POTESTAS putet ſibi licere, ſecus, quam auctori-
„ tas DIVINA ſe habeat, in cauſas eccleſiaſticas proſilire, & duce S. Spiritu
„ ſtatutum a Patribus Eccleſiæ ordinem pervertere „. *Legas integrum prolixum Canonem in tomo XI Conciliorum edit. Ven. Colet. col.* 737 - - 740.

19. De exteriori diſciplina univerſim loquutum eſt Concilium PARISIENSE VI anno 829 ab Epiſcopis Provinciarum quatuor celebratum. *Pronunciat autem lib.* 3, *Cap.* 25 *ſeu* 26 *ſimili modo*, " contra auctoritatem DIVI-
„ NAM eſſe, quod PRINCIPALIS POTESTAS, diverſis occaſionibus inter-
„ venientibus, in cauſas eccleſiaſticas proſilierit „. Dabo integrum locum ad eccleſiaſticorum etiam virorum eruditionem.

20. " Quæ causæ effecerint, ut Sacerdotes & PRINCIPES a recto tra-
„ mite deviaverint, specialiter unum obstaculum ex multo tempore jam in-
„ olevisse cognovimus, id est, quia & PRINCIPALIS POTESTAS, diversis
„ occasionibus intervenientibus, secus quam AUCTORITAS DIVINA se
„ habeat, in CAUSAS ECCLESIASTICAS prosilierit, & sacerdotes partim
„ negligentia, partim ignorantia, partim cupiditate, in secularibus negotiis
„ & solicitudinibus mundi ultra quam debuerant, se occupaverint „; *tom.* 9
Concilior. edit. cit. col. 777.

21. Ad Principem non pertinere, ut exterioribus etiam se ecclesiasticis negotiis immisceat, edoctus jampridem fuerat vel ipse Arianus Princeps THEODORICUS Rex Italiæ: qui hoc sponte fassus est in Synodo Romana III sub Symmacho Papa, in causa ejusdem Symmachi seculo sexto ineunte congregata, non ad fidem stabiliendam, sed ad exteriorem Ecclesiæ statum componendum.

22. Pronunciavit ergo THEODORICUS, judicium rerum, quæ in quæstionem venerant, Synodo servatum esse, *nec aliquid ad se præter reverentiam de ECCLESIASTICIS NEGOTIIS pertinere:* tom. 5 Concilior. edit. Ven. cit. col. 459.

Et in sua *Præceptione* ad Synodum (ibid. col. 466) ait: *Quia non NOSTRUM judicavimus de ECCLESIASTICIS aliquid censere negotiis; ideo vos* &c.

23. Imperatorum quoque Romanorum legibus comprobatur, causas ecclesiasticas auctoritati episcopali relictas esse. Ad quod facere potest Constitutio Valentiniani, Theodosii & Arcadii, *post Appendicem Codicis Theodosiani de episcopali judicio lege* 3: in qua constitutum est, Episcopos & Clericos non esse ad judices laicos pertrahendos, utpote nihil cum publicis legibus commune habentes, " quantum ad CAUSAS ECCLESIASTICAS pertinet, quas
„ decet episcopali auctoritate decidi. Quibuscunque igitur mota fuerit quæ-
„ stio, quæ ad christianam pertineat sanctitatem, eos docebit sub eo judice
„ litigare, qui Præsul est omnium in suis partibus sacerdotum „.

Extat hæc *extravagans* pag. 321 Partis primæ Tomi 6 Codicis Theodosiani Gothofredi edit. Venet. Sed nolo hanc legem nimium urgere, quia sunt non pauci, suspicantes, eam suppositam Imperatoribus fuisse.

24. A nemine tamen in dubium vocatur novella Constitutio 83 Justiniani Imperatoris, quæ utique extravaganti illi est valde affinis: " Si ecclesiasticum sit delictum (id est, proprium Clerici & contra DISCIPLINAM ecclesiasticam & officium clericale), „ egens castigatione ecclesiastica & mul-
„ cta, Deo amabilis Episcopus (ait Imperator) hoc discernat, nihil communi-
„ cantibus clarissimis Provinciæ judicibus. Neque enim volumus talia ne-
„ go-

„ gotia omnino ſcire civiles judices: CUM OPORTEAT TALIA ECCLE-
„ SIASTICE examinari, & emendari animas delinquentium per eccleſiaſticam
„ mulctam, ſecundum ſacras & divinas regulas, QUAS ETIAM NOSTRÆ
„ ſequi non dedignantur leges „.

25. In hac lege JUSTINIANI etſi paullo diverſa occurrit ſpecies a ſuperiori Valentiniani, Theodoſii & Arcadii; fundus tamen doctrinæ unus eſt & idem.

26. Novellæ illius 83 ſimile eſt caput 21 novellæ Conſtitutionis 123 Juſtiniani ejuſdem: " Si pro criminali cauſa accuſatio contra aliquam eccle-
„ ſiaſticarum perſonarum proponatur; ſub legitima cautela accuſata fiat per-
„ ſona. SI AUTEM ECCLESIASTICA CAUSA EST (pertinens ad diſci-
„ plinam & officium Clericorum), nullam communionem habeant judices
„ civiles circa talem examinationem, ſed ſanctiſſimus EPISCOPUS ſecundum
„ ſacras regulas (id eſt, ſacros CANONES, Juſtiniano ipſo interprete in ca-
„ pite ſequenti) cauſæ finem imponat „.

27. Occidentis Imperator HONORIUS ad Arcadium & Theodoſium juniorem epiſtolam dedit de Johanne Chryſoſtomo, qui (ut MARCA quoque animadvertit *Concord. Lib.* 2, *cap.* 7, *num.* 4) non ob FIDEI quæſtiones, ſed tantummodo quoad aliquos externæ diſciplinæ articulos arguebatur, ac vexabatur. Extat ea Epiſtola *in Tomo* 1 *Epiſt. Pontif. Conſtantii col.* 801.

28. HONORIUS itaque Arcadium & Theodoſium admonet, " cum de
„ cauſa RELIGIONIS inter Antiſtites ageretur, epiſcopale OPORTUISSE
„ eſſe judicium; quoniam ad illos divinarum rerum interpretatio, ad NOS
„ religionis ſpectat obſequium „.

29. Quod nos ex iſtis Imperatorum ſententiis colligimus, idem ex ſententiis ac legibus ſimilibus collegit Natalis ALEXANDER *Diſſert.* 12 *in Hiſt. Eccl. Sec.* 15 *&* 16, *Art.* 16, *Schol.* 14. Quo in loco cum affirmet, regios judices de cauſis civilibus & profanis Clericorum, ut æris alieni, ſecundum leges, regias conſtitutiones, & Regni Galliarum conſuetudinem judicare poſſe; prolatis tamen iis Imperatorum Romanorum ſententiis ac legibus comprobat ſimul, CAUSAS ECCLESIASTICAS auctoritati epiſcopali ſubdi.

30. De exteriori diſciplina tunc etiam ſermo eſt, quando LUDOVICUS PIUS Auguſtus Epiſcopos admonet, eos, qui negligentes fuerint, ad ſe deferri; " ut noſtro, ait, auxilio ſuffulti, quod VESTRA auctoritas expoſcit,
„ famulante, ut decet, poteſtate NOSTRA, perficere valeatis „. - - Non ſolum (ſubdit BOSSUETUS loco poſtea annotando) in negotiis fidei, ſed etiam DISCIPLINÆ eccleſiaſticæ definitio pertinet ad Eccleſiam: penes PRINCIPEM vero eſt protectio, defenſio, executio Canonum & regularum

ecclesiasticarum. - - - Extat locus ille LUDOVICI Pii in Capitulari secundo Anni 823 ejusdem Ludovici tit. 4 *Capitularium Baluzzi tom.* 1, *col.* 633, *edit. Parisiensis*, & Concilior. Labbei tom. 7, col. 1533 edit. Paris. Extat idem locus & in libro 2 Capitularium capit. 4.

31. QUOD SI AD PATRES nos convertimus; non minus erit perspicuum ac expeditum, Ecclesiæ SOLI ecclesiasticam EXTERIOREM DISCIPLINAM fuisse a Deo commissam; adeoque LAICO Principi non licere disciplinam eandem NOVE ordinare. Libet hic solum audire GREGORIUM Magnum, AMBROSIUM, ATHANASIUM, & illius Defensores.

32. GREGORIUS Magnus *Lib.* 6, *Epist.* 25 (secundum edit. Benedictinor.) Maximo Salonitano, Imperatorum jussa in causa, quæ de ipso vertebatur, obtendenti respondet, se verbis Maximi fidem non facile habiturum, & tenendum certe esse, jussionem eam imperialem fuisse per obreptionem & fraudem elicitam; quoniam " & nobis (ait) & omnibus notum est piissimos „ Dominos disciplinam diligere, ordines servare, canones venerari, & se in „ CAUSIS SACERDOTALIBUS non miscere „.

33. AMBROSIUS vero *Epist.* 21 (in editione eorund. Monachor.) Valentiniano juniori se excusat, quod vocatus non venerit ad Consistorium, adserens in CAUSA fidei VEL ECCLESIASTICA judicare nisi Sacerdotes neminem debere; idque VALENTINIANO seniori tam fuisse persuasum, ut & responso probaverit, & lege etiam sua firmatum AMPLIUS voluerit.

„ Nec quisquam (ait AMBROSIUS) contumacem judicare me debet, „ cum hoc adseram, quod augustæ memoriæ Pater tuus non solum sermone „ respondit, sed etiam legibus suis sanxit: In *CAUSA* fidei *VEL ECCLESIASTICI ALICUJUS ORDINIS* eum judicare debere, qui nec *MUNERE* impar sit, *NEC JURE DISSIMILIS*; hæc enim verba rescripti „ sunt, hoc est, *SACERDOTES* de Sacerdotibus voluit judicare „.

34. Ex sententia igitur & AMBROSII & VALENTINIANI I Augusti non modo causæ fidei sed DISCIPLINÆ quoque ad MUNUS spectant & AD JUS SACERDOTUM; & isti soli judicare de iis debent. Et quod hoc loco non de fide solum, sed de DISCIPLINA etiam agatur, fatentem vidimus MARCAM *cap. V, num.* 6, & potissimum *cap. I, num.* 294.

35. Nihil porro novum legibus illis suis VALENTINIANUS sanxit, nec jus concessit Ecclesiæ, quod non antea haberet. Et qui secus diceret, is jus Ecclesiæ ad causas fidei definiendas a Principis item concessione derivaret; quod homini catholico cogitare non licet. Ad munimen igitur & TUITIONEM juris, quod CHRISTUS Dominus Ecclesiæ commisit, illam VALENTINIANUS legem tulit, quam Ambrosius commemorat.

36.

36. Cum Conſtantius Imperator damnationem ATHANASII ALEXANDRINI a nonnullis Epiſcopis expoſceret; conſtanter ſancti viri reſponderunt, ſe Imperatori illi ſuadere, " ne eccleſiaſticas res peſſumdare, nec „ Romanum Imperium cum eccleſiaſticis ſtatutis *COMMISCERET*, vel „ Arianam hæreſin introduceret in Eccleſiam Dei „; prout Athanaſius ipſe ſcribit in hiſtoria Arianor. ad Monachos num. 34, *pag.* 364, *tomi* 1 *edit. Benedictin. Pariſienſ.* Vide hic diſcrimen inter eccleſiaſtica ſtatuta & fidem.

37. Eandem in ATHANASIUM ſententiam cum Imperator ille a magno illo HOSIO Cordubenſi Epiſcopo per litteras extorquere conaretur; data ad Auguſtum Epiſtola HOSIUS reſpondit tum alia multa, tum hæc: " Quidnam ejuſmodi a Conſtante actum eſt? Quis Epiſcopus exulavit? Quandonam ille *ECCLESIASTICIS* judiciis medius interfuit? .... Time „ judicii diem .... *NE TE REBUS* miſceas *ECCLESIASTICIS*: nec no„ bis his de rebus præcepta mandes; ſed a nobis potius hæc ediſcas. Tibi „ *DEUS* Imperium tradidit, *NOBIS ECCLESIASTICA* concredidit..... „ Metue ne ſi ad te *ECCLESIASTICA* pertrahas, magni *CRIMINIS* „ reus fias...... Hæc quod tuam curem ſalutem ſcribo: quod vero res „ ſpectat, de quibus ſcripſiſti, ecce meam ſententiam: Arianis minime ad„ jungor.......: nec contra *ATHANASIUM* ſcribam, quem nos &c. „. Loc. cit. pag. 371 in Hiſtor. Arianor. ad Monach.

38. Expende, quæſo, in verbis HOSII gradus; primo enim generatim docet, & ad rem noſtram omnino; tum vero poſtulatis Imperatoris reſpondet.

39. Tandem ATHANASIUS ipſe (ibid. pag. 376 in Hiſtoria eadem) ita occaſione ſuæ illius cauſæ CONSTANTIUM redarguit: " Si illud Epi„ ſcoporum decretum eſt, quid illud adtinet ad Imperatorem? ...... „ Quandonam Eccleſiæ decretum ab Imperatore accepit auctoritatem, aut „ pro decreto illud habitum eſt? Multæ antehac Synodi coactæ ſunt: multa „ prodiere Eccleſiæ decreta; ſed nunquam Patres res hujuſmodi Imperatori „ ſuaſere, nunquam Imperator *ECCLESIASTICA* curioſe perquiſivit „. ex verſione Domni Bernardi MONTFAUCON.

40. Quamvis autem cum cauſa ATHANASII eſſet quodammodo fides Nicæna conjuncta; loca tamen hæc & ſimilia, quæ in ATHANASII ſcriptis occurrunt, eſſe de ECCLESIASTICA DISCIPLINA intelligenda, vidit & profeſſus eſt quoque Petrus DE MARCA *Concord. Lib.* 2, *cap.* 7. *num.* 3.

41.

41. Quid vero *ecclesiasticæ disciplinæ* seu *causarum ecclesiasticarum* nomine intelligendum sit, explicavi jam data opera *toto Capite V*, unde petendum id erit, quod est hujus Capitis veluti fundamentum ac norma, ad verborum illorum vim & notionem tenendam.

Interim palam factum esse puto ex antiquitate, in externam Ecclesiæ disciplinam jus nullum Principi esse, sed, quicquid hujus est, id esse totum soli Ecclesiæ a Deo concreditum. Sed rem hanc illustrare iterum juvat aliunde.

42. Cum hoc sit perspicuum, a duplici potestate totum orbem regi, ecclesiastica & civili; & ad civilem sponte revocari res civiles, ad ecclesiasticam res ecclesiasticas; & laicos quoscunque pro rebus ecclesiasticis esse OVES Ecclesiæ, non Doctores; non video, quomodo laici Principes jure possint leges præscribere Ecclesiæ, etiamsi de sola externa ecclesiastica disciplina agatur. In Pastorum enim numero ipsi non sunt. Hoc BASILIUM Imperatorem audivimus fatentem *supr. num.* 13, hoc videbant veteres Principes, qui se oves Ecclesiæ libenter ac palam profitebantur; Magistros vero negabant.

43. Quo utique spectavit AMBROSIUS in *sermone contra Auxentium de Basilicis tradendis* num. 36 (col. 873 tomi 2 Oper. edit. cit. Paris.) affirmans, " nihil esse honorificentius, quam ut Imperator Ecclesiæ FILIUS esse „ dicatur. Imperatorem enim intra Ecclesiam, NON SUPRA ECCLESIAM „ esse„; id est, esse in Ecclesia seu intra Ecclesiam, ut ecclesiasticarum rerum regulam a Pastoribus accipiat, non ipse in Pastores magistrum agat: esse intra Ecclesiam, ut Ecclesiam protegat, non ut Ecclesiæ dominetur: Imperatorem esse & Dominum, sed quoad res civiles, FILIUM esse Ecclesiæ quoad ecclesiasticas. Recolas ea quæ legisti *super cap. II, num.* 19 - - 27.

44. Si vero, quia interesse potest administrationis Reipublicæ, externam ecclesiasticam disciplinam ad Principem revocamus; quidni ad Ecclesiæ potestatem jura principis revocemus, cum interesse id Ecclesiæ regiminis magis possit? Potiori quidem jure hoc fieret, quam alterum; quanto spiritualis salus & æterna majoris est momenti, quam temporalis felicitas. Atqui hoc absurdum est, & optimo jure a cordatis Theologis rejicitur. Ergo absurdum est & alterum, adeoque a christianis regulis eliminandum.

45. Scire præterea hoc loco velim, quo regularum genere usuri sint laici Principes in legibus de ecclesiastica exteriori disciplina condendis, quæ sint præter CANONES. Regulis Ecclesiæ non utentur, ut vides; dum præter Canones agunt. Sed utenturne forte regulis regiminis civilis? At

distat administratio reipublicæ ab ecclesiastica, & differunt rationes utriusque; aliaque scientia est regiminis civilis, alia regiminis ecclesiastici; sicuti alia est juris civilis & juris publici scientia, alia juris ecclesiastici.

46. Hinc, si quando Princeps aliquis, assentatorum artibus deceptus ecclesiasticam disciplinam attingere non est veritus; experta inde est Ecclesia fructus aut nullos aut noxios; scilicet, quia constitutiones illæ laicæ non ab ea scientia profectæ erant, quæ Ecclesiæ Præsulum propria est.

47. Viderat ista LEO SAPIENS Imperator, qui legem Justiniani Imperatoris, vigesimumquintum ætatis annum ad ordinationem Subdiaconi postulantem abrogavit; ac Canonem Trullanum, non amplius quam annos viginti exposcentem, restitutum voluit de ea causa, quod in sua cuique arte & professione plus haberi debeat fidei: digna Principe sapiente ratio.

48. En LEONIS verba ex constitutione 16 inter eas, quæ sunt ad calcem Juris Justinianei: "Verbum vetus, ait, quod de rebus SUIS dicenti „ aures esse aperiendas monet...... Dignum itaque sacram legem DE „ REBUS SUIS præcipientem audire &c. „. Disciplina ergo ecclesiastica, exterior etiam, sua est res Ecclesiæ, LEONE fatente; adeoque ab eo tractanda, qui ejus rei scientiam una cum ipsa re tenet. Lege sis & Ludovicum Thomassinum *Discipl. Eccles. Part.* 1, *cap.* 69, *num.* 1.

49. Quare minime miror, Ludovicum THOMASSINUM *ibid.* Theodoro BALSAMONI redarguenti ordinationes adolescentum ætatis immaturæ, ac leges civiles de ætate lectorum decernentes objicienti responsum hoc dare: "Hoc certe Græcorum effatum tum denique locum habere par „ erat, cum leges sanxisset Imperator ad custodiam CANONUM munien- „ dam; vel ad interpellationem EPISCOPORUM, maxime autem Patriar- „ charum CPolitanorum, UT USUVENIEBAT plerumque; vel denique „ cum usu & ASSENSIONE Ecclesiæ convaluissent„.

50. Vide quomodo Thomassinus leges CIVILES, de rebus ecclesiasticis latas, non aliam vim habere existimavit, quam si aut CANONIBUS nitantur, aut ad PRECES ecclesiasticorum Præsulum factæ sint, aut usu & assensione ECCLESIÆ firmitatem acceperint. Scilicet vir ecclesiasticæ disciplinæ peritissimus nullam iis in legibus inesse vim agnovit, quæ in externam etiam Ecclesiæ disciplinam novum quidpiam & præter Canones intulissent. Suadeo ut legas *Caput IX, num.* 24 - - 40.

51. Sed vel ille Petrus GIANNONE tam sæpe male habitus affirmat tamen, causarum ecclesiasticarum cognitionem penes Ecclesiam SEMPER fuisse (*delle cause ecclesiastiche la cognoscenza l'ebbe SEMPRE la Chiesa*) per

P mo-

modum judicii & censuræ (*per forma di Polizia*). *Histor. Civil. Regni Noapolit. Lib.* 2, *cap. ult.* §. 3, *pag.* 140, *tomi* 1 *editionis* 1723.

52. Risu certe dignum est, videre eos, qui toti sunt in ecclesiastica deprimenda potestate & in libertate christiana, ut ajunt, asserenda; majora adhuc multo Principi laico nunc tribuere, quam ipsa sibi ecclesiastica potestas, quando plena libertate fruebatur, vindicarit. *Majestas regni non colitur MENDACIO sed veritate*; ut quidam graviter ajebat. Legant isti Meldensem Episcopum BOSSUETUM in Opere, quod inscriptum est, *Politique tirée de l'Ecriture Lib.* 7, *art* 5, *Prop.* 9 - - 12, scriptumque est pro institutione REGIS ET DE REGIS OFFICIIS.

JURISCONSULTI

quidam notantur: & hujus Capitis doctrina certis finibus circumscribitur.

53. AD externam Ecclesiæ disciplinam per leges suas ac novas ordinandam, etiam præter & ultra Canones, jus habere Principem æque ac Ecclesiam, docuisse videtur Carolus FEVRETUS *de l'Abus Lib.* 1, *cap.* 5, (videtur, inquam; nolim enim forte errorem gravem cuiquam tribuere immerenti). Distinguit enim *ibidem num.* 1 - - 4, potestatem & jurisdictionem ecclesiasticam in duas partes primarias; quarum prima ad fidem spectat & res pure spirituales, ut Sacramenta, Sacerdotium, Ordinationem Presbyterorum; altera regulam dat moribus, ac disciplinæ ecclesiasticæ.

54. Atque etsi neget; jus ullum esse Principi in res pure spirituales; affirmat tamen, " quoad regimen EXTERIUS (*la police exterieure*) & disci-
„ plinam morum, Principes non modo posse executionem urgere eorum,
„ quæ ab Ecclesia statuta sunt; sed ex jure vere regali, & eorum coronæ in-
„ hærente, posse ex parte sua condere leges, edicta, & constitutiones pro
„ Religionis veræ stabilitate, honore & dignitate ordinis ecclesiastici, con-
„ servatione personarum & divino servitio destinatorum; & pro directione
„ morum & disciplina exteriori (*conduite exterieure*) Cleri, & populorum sibi
„ subjectorum, adhibentes suam potestatem in re tam digna „, tamquam Episcopos extra Ecclesiam.

55. His vero positis, jus Regis in exteriorem disciplinam FEVRETUS dividit trifariam; scilicet, ad protegendos CANONES & Constitutiones apostolicas; ad violatores earum puniendos; tandem ad ea omnia constituenda, quæ ad cultum & servitium divinum, necnon Ecclesiæ disciplinam conservandam ac promovendam necessaria existimaverit.

56.

56. Non expendo autem argumenta, quibus FEVRETUS utitur; quoniam juris canonici veteris ac rei ecclesiasticæ periti, ea percurrentes intelligent statim, quam minimum roboris habeant. Magnam eorum argumentorum partem admitto; sed nego, eo illa pertinere, quo FEVRETUS putasse videtur. Si quid enim probant, solum probant sollicitudinem Principum ac Imperatorum ad TUENDAS leges, naturalem divinam, & ECCLESIASTICAM, & ad ECCLESIAM favoribus, privilegiis, & immunitatibus juvandam. Eorum vero aliqua tam abest ut admittam; ut potius censura notanda existimem. Sed FEVRETO dimisso ad jureconsultum alium venio.

57. Est is Petrus PUTEANUS, qui *in Commentario ad articulum* 10 *Tractatus Petri PITHOEI de Libert. Gallic.* fatetur equidem Capitularia Regum Francorum, in quibus multa ECCLESIASTICA habentur, magnam partem ex sacris CANONIBUS & decretis Pontificum educta fuisse; adeoque ecclesiasticæ illius disciplinæ originem ordinemque ab Ecclesia derivat. Sed interim rem tenebris involvit; ita scribens: " Capitularia, etsi leges sunt ma-
" gnam partem eductæ ex sacris CANONIBUS & decretis Pontificum, Reges
" nostri confirmarunt (*les ont authorisez*) volueruntque in eorum regno ob-
" servari ad custodiam dignitatis ecclesiasticæ & munimen Religionis ".

58. " Et quamvis ea aliunde ducant originem, & per nostros Principes (seu verius & frequentius per CLERUM in generalibus illorum temporum Conventibus, una cum Monachis & Magnatibus laicis congregatum)
" desumpta fuerint ex antiquis decretalibus; non ob hoc tamen habentur
" tamquam leges & decreta Pontificum, sed AUCTORITATIS REGIÆ
" NOTAM in fronte gerunt, considerantur ut LEGES REGNI, & obser-
" vantur ob SOLAM reverentiam erga Majestatem PRINCIPIS, qui ea in
" ditionem suam introduxit ". (Dicendum tamen est, Capitularia quoad eam illorum partem, quæ ad res ecclesiasticas pertinet, observari etiam & maxime in honorem POTESTATIS ECCLESIASTICÆ, a qua prodierunt. Legas *Caput X*, quo loco istud edisserimus & confirmamus ex instituto).

59. Subjicit PUTEANUS in sui pronunciati explicationem exemplum legum XII Tabularum, & legum maritimarum Rhodiarum, quas aliunde Romani adoptarunt ac fecerunt suas: quasi vero Galli sui tam fuerint a potestate ecclesiastica liberi, quam erant Romani a Græcorum aut Rhodiorum dominio: aut quasi Capitularia ad res ecclesiasticas spectantia, in Conventibus Gallorum laica potestas condiderit; quod falsum esse ipsa acta produnt Conventuum, unde Capitularia pleraque prodierunt; uti clarum fiet *Capite X cit.*

60. Addit PUTEANUS exemplum alterum, decretorum nempe aliquorum Concilii Tridentini, ad diſciplinam ſpectanti[illegible] quæ in Comitiis Bleſenſibus adoptata, Tridentini tamen nomine non [illegible]antur, ſed nomine & auctoritate REGIS.

61. Verum ſi ex indulgentia Eccleſiæ vel alio nomine, & ne legitimi Eccleſiæ Gallicanæ mores & jura vetuſta mutarentur, aut titulo regiæ temporalis juriſdictionis, ſecundum temporis ac gentis uſus, ſervandæ intactæ; Tridentina illa decreta non fuere in Galliis Tridentini Concilii nomine admiſſa a Rege: male ex hoc PUTEANUS argumentatur pro Capitularibus, quorum pars magna prodiit ipſorum Gallorum Præſulum opera, conſilio & auctoritate, in generalibus Galliarum Conventibus una cum Magnatibus laicis congregatorum; quæ proinde plenam ECCLESIASTICAM auctoritatem ex omnium juriſconſultorum principiis in Regno & Imperio Francorum jam uſque ab initio obtinuerunt.

62. Adjicit poſtremo loco PUTEANUS, Capitularia a Gratiano ſuam in *Concordiam* relata fuiſſe, non ſub Pontificum nomine, ſed nomine Regum. At quomodo, quæſo, qui alias Gratianum tam ſæpe redarguunt, modo in patrocinium ſuæ cauſæ Gratianum eundem advocant? Adde, Capitularia illa, quæ ibidem a PUTEANO ex GRATIANI *decreto* indicantur, in favorem libertatis eccleſiaſticæ eſſe a Regibus edita. Non mirum ergo ſi ea GRATIANUS nomine Regum edidit, aut ſi eodem ſub nomine prodierunt.

63. MULTO MELIORA ac ſaniora, quam PUTEANUS, de regia in diſciplinam eccleſiaſticam poteſtate cogitavit JOANNES DOMAT, immortalis memoriæ juriſconſultus, in quo ſcientiæ theſauri cum probitate certarunt, & qui in ſcientia tum juris naturalis, & civilis, tum JURIS PUBLICI nullos forte pares habuit. Hic *Jur. Public. Lib. I, Tit.* 19 *ſub initium, pag.* 134, *tomi* 2 *Operum edit.* 1745:

64. " Ad poteſtatem & officium Principum pertinet præſtare Eccleſiæ „ ſuarum ditionum totum id protectionis & auxilii, quo poteſt indigere. At- „ que hujus rei cauſa Principes chriſtiani plures edidere leges ad imperandam „ cuſtodiam & executionem legum Eccleſiæ, uti videmus in Codicibus Im- „ peratorum chriſtianorum Theodoſii & Juſtiniani, & in edictis (*dans les* „ *Ordonnances*) Regum Francorum, qui iis complexi ſunt (*qui ont compris*) „ innumeras leges religionem reſpicientes„.

65. " Id autem non ipſi fecerunt quaſi ad condendos CANONES, vel „ ut ſe in legiſlatores aut judices ECCLESIASTICARUM RERUM eri- „ gerent, ac ſi ipſis ineſſet poteſtas ad ORDINANDAS RES eccleſiaſticas, „ ſicuti ineſt ad ditiones ſuas gubernandas (ce qu' ils n'ont pas fait pour y

établir

établir des regles, et s'en rendre les législateurs ou les juges, comme si leur puissance s'étendoit a' y gouverner, ainsi qu' ils le peuvent dans leurs Etats); „ sed fecerunt solum ad TUENDAM observantiam legum, quas „ ECCLESIA & potestates spirituales, quibus DEUS Ecclesiæ REGIMEN „ commisit, condiderunt, & ad defendendam & promovendam executio- „ nem quoad ea, quæ istis in legibus sunt ad ORDINEM EXTERIOREM „ spectantia, in quibus temporalis potestatis esse usus possit „ (où l'autorité temporelle pouisse avoir son usage).

66. " Sic enim, exempli causa, Principes minime statuunt, quæ sint do- „ gmata fidei a Deo Ecclesiæ suæ revelata, NEQUE Canones condunt „ ecclesiasticæ DISCIPLINÆ, sed ea habentes pro veris ac bene constitutis, „ quæ in numero veritatum religionis Ecclesia posuit, & quæ pro DISCI- „ PLINA & politia spirituali decrevit; auctoritati LEGUM ECCLESIÆ „ addunt eam, quæ ipsis commissa a DEO est; imperantes, quod ad dogmata „ fidei attinet, ut eorum Imperio subditi doctrinam Ecclesiæ sequantur in „ omnibus; & vetantes, ne quicquam doctrinæ illi contrarium sive publice „ sive privatim doceant; pœnasque adversum hæreticos sancientes „.

67. " Et quod DISCIPLINAM spectat; non ipsi ea constituunt, ex- „ empli gratia, quæ celebrationem festorum, aut ceremonias cultus divini „ tangunt, sed festos dies profanari vetant, & violatores puniunt, itemque „ eos, qui ordinem turbant cultus istius causa præscriptum; & pœnas pariter „ adversus eos Ecclesiæ Ministros decernunt, qui ordinem hunc inverterint „.

68. " Cum autem genus hoc legum Principis ordinem generalem socie- „ tatis respiciat & commune fidelium bonum; non sunt habendæ velut Ec- „ clesiæ leges, quæ characterem gerant auctoritatis spiritualis potestatum, „ quibus spirituale ministerium concreditum est (on ne doit pas les con- siderer comme des Loix de l'Eglise, qui ayent le caractere de l'autorité spirituelle des puissances qui en ont le ministere); „ sed habendæ sunt pro „ TEMPORALIBUS LEGIBUS, quas religio Principum, & eorum pro „ Ecclesia zelus edere eos jubet (les oblige d'établir) ad TUENDAM suis „ in ditionibus executionem & observantiam LEGUM religionis, & ad „ liberum earum exercitium conservandum „.

69. Hactenus ex Joanne DOMAT prolixum, sed præclarum locum vertimus. Non repugnarem autem, si nihil ultra ea, quæ Joannes DOMAT habet postremo loco, docuisset PUTEANUS, dum affirmat, Capitularia Regum Francorum *solam auctoritatis regiæ notam in fronte gerere, atque ob solam reverentiam erga Majestatem Principis observari:* non repugnarem, inquam, dum constaret, Regum auctoritate Capitularia, qua parte res ecclesiasticas

attingunt, prodiisse. Confer. *Caput XI, num.* 11 - - 14. Legatur quoque Joannes Petrus GIBERT *Jur. Can. Tom.* 1, *p.* 21, *col.* 2.

70. Ad Joannem DOMAT magis quam ad PUTEANUM accedere mihi videtur vir doctissimus ac celeberrimus Stephanus BALUZIUS *in Præfatione ad Capitularia Regum Francorum* §. 9 *ac* 10, dum sententiam suam de Capitularium eorundem auctoritate aperit. Ludit enim certe Antonius CHARLAS, ut in multis solet; & nimium BALUZII verba ex paragrapho decimo citato cavillatur *de Libert. Eccl. Gallic. Lib.* 5, *Cap.* 10 *edit. recogn.*, vir cetera acutus & eruditus.

71. Verbis Joannis DOMAT lucem addet brevis consideratio facti illius vulgatissimi MARCIANI Imperatoris, quod relatum est versus finem Actionis VI Concilii Chalcedonensis *in Tomo* 4 *Concilior. edit. Ven. Colet. col.* 1510 *seq.* Imperator enim capita quædam externæ disciplinæ Synodo proposuit approbanda. Quorum primum Monachis interdicit, ne præter Episcopi voluntatem Monasteria ædificent, & ne servos, invitis dominis, in Monasteria recipiant. Alterum Clericis prohibet, ne possessiones conducant, aut procurationem suscipiant nomine laicorum. Tertium iisdem Clericis vetat, ne ex sua Ecclesia migrent ad aliam.

72. Orsus est autem MARCIANUS consilium illud suum Patribus proponere in hæc verba: " Quædam capitula sunt, quæ ad honorem vestræ re„ verentiæ vobis servavimus, decorum esse judicantes, a vobis hæc regula„ riter potius formari per synodum, quam nostra lege sanciri „. Quibus recitatis subdit Natalis ALEXANDER Hist. Eccl. Sec. 5, Cap. 3, Art. 13, § 17.

73. " His verbis significavit religiosissimus Imperator, se ex reverentia „ in Synodum, non ex officio, hæc tria disciplinam ecclesiasticam spectantia „ capita Patribus statuenda reservasse, cum de his lege lata decernere posset „ in Ecclesiæ bonum, ut DISCIPLINÆ conservator, maxime quia & „ bonum pacemque Imperii spectat, ut quisque suo se in ordine contineat, „ suoque officio defungatur, & ad Principis providentiam spectat prohibere, „ ne quis alteri inferat injuriam „.

74. " Fieret autem injuria Episcopis, si absque ipsorum venia Mona„ chi condere monasteria aggrederentur. Fieret injuria dominis, si absque „ eorum consensu servi reciperentur ad professionem monasticam „.

75. " Fieret injuria Ordini ecclesiastico & Ecclesiis, si Clerici negotio„ rum secularium procurationem susciperent, aut proprias Ecclesias dese„ rerent, quibus sedulum & assiduum debent ministerium „.

76. " Ne tamen (addit ALEXANDER, pro christiani Doctoris officio) „ ex hoc quis inferat, PRINCIPEM POSSE CONDERE CANO-
„ NES, sed solum urgere LEGUM divinarum & ECCLESIASTICARUM
„ observantiam, CANONUMQUE EXECUTIONEM imperare; & eadem
„ legibus statuere suis, quæ divina lex vel ecclesiastica jubet. Nec aliud
„ sibi tribuit MARCIANUS Augustus „. Hæc Natalis ALEXANDER.

77. Addenda autem putavi tum ista, tum cetera ex JOANNE DOMAT; ut ea melius intelligerentur, quæ hoc Capite complexus eram; & ut quisque veluti in antecessum videat, an & quousque regiæ potestati liceat se rebus ecclesiasticis immiscere: etsi hac de re, quæ TUITIONIS REGIÆ titulum ac decus facit, dicendum est data opera *CAPITE XI.*

78. Amplius addo, nos LEGES CIVILES generatim revereri ac sequi, dum laicæ potestatis fines egressæ non fuerint. Et hujusmodi quidem legum multa sunt genera. Aliæ enim rem spectant mere profanam, neque ulla ex parte sacris Canonibus adversantur, & has sequitur etiam Jus ipsum Canonicum. " Unde fit (ait BENEDICTUS XIV de Syn. Diœc. Lib. 9, Cap. 14, num. 1), „ ut judex ecclesiasticus sententiam prolaturus de
„ quæstione super re mere temporali, de qua nihil a Jure Canonico repe-
„ riatur decisum, non solum possit, sed DEBEAT juri civili se con-
„ formare „.

79. " Plures etiam leges civiles (ait idem Pontifex num. 2) ECCLE-
„ SIASTICIS constitutionibus robur & firmitatem adjiciunt; puta, quia
„ in illarum contemptores & refractarios severis POENIS animadvertunt:
„ & eæ pariter, utpote foventes ECCLESIASTICAM DISCIPLINAM,
„ perutiliter in synodalibus Episcoporum constitutionibus allegantur „.

80. " Ob eandem rationem (pergit), quod nimirum sint ECCLESIÆ
„ favorabiles, sine ulla difficultate in medium proferri possunt a Synodis
„ leges civiles concedentes privilegia atque exemptiones Ecclesiis, earum-
„ que administris.

81. Addit Pontifex *num.* 3, fas fore Episcopo aliquid ad normam sacrorum Canonum constituenti, in exemplum afferre leges CIVILES, quid simile in re laica decernentes.

82. " Præterea (*inquit num.* 4) inopportunum quandoque non erit,
„ commemorare severissimas pœnas, a legibus seculi in hujus, aut illius
„ delicti sontes inflictas, puta in homicidas, adulteros, usurarios; ut hac
„ ratione, qui ad ea crimina proclives sunt, eorundem gravitatem magis
„ agnoscant, atque ab illis perpetrandis retrahantur „.

83.

83. " Denique, si quæ sunt leges civiles ECCLESIASTICIS sanctioni-„ bus adstipulantes, iisque conformes, haud interdictum erit eas comme-„ morare „; uti factum videmus a S. GREGORIO Magno *in Epist.* 54, *Lib.* 11, (seu, ut in edition. Benedictinor. in Epist. 45 Libri 13.) (Adeas & VANESPENIUM in Tract. Hist. Can. Part. 10, Cap. 1, §. 6).

84. Has ergo & superiores item vel similes LEGES CIVILES tum colimus, tum iis proponimus, qui Principis officia in Ecclesiam enarrare constituerunt. Nihil in istis illisve novum, seu PRÆTER CANONES, de EXTERNA Ecclesiæ DISCIPLINA decernitur. Istæ aut similes a Scriptoribus illis proferantur, sed interim abstineant ab iis eo trahendis, quo nullo modo pertinent: neve ex istis colligant, jus esse Principi in externam Ecclesiæ disciplinam. Hoc enim a mente eorum, qui eas condiderunt, longe alienum est.

85. Et secundum hæc VANESPENIUS *loc. cit.* affirmat, " nunquam „ Ecclesiam respuisse leges Imperatorum & Principum EXTERIOREM Ec-„ clesiæ DISCIPLINAM concernentes, nisi inveniantur Evangelicæ aut „ CANONICÆ sanctioni contrariari. Porro Leges Justinianeas (aut similes) „ his minime contrariari; sed potius CANONUM & pristinæ Patrum di-„ sciplinæ SYNOPSIN sive epitomen continere „. Sed lege Caput IX, infr. ubi de Justinianeis Legibus inquiro.

Quænam sint res ecclesiasticæ EXTERIORES, *quas Principum suorum curæ* PROTESTANTES *adjudicant.*

86. Hoc in capite actum a nobis fuit solum adversus eos, qui EXTERNAM seu politicam Ecclesiæ DISCIPLINAM ad Principis curas pertrahere conantur, juvabit tamen hic nosse, vel ad memoriam revocasse, quid PROTESTANTES intelligant nomine rerum ecclesiasticarum EXTERIORUM, quas suis Principibus tribuunt.

87. Illi enim id omne in Ecclesia EXTERNUM dicunt, quod PUBLICUM est, seu doctrina sit, seu ministerium sacrum, seu DISCIPLINA POLITICA: & cuncta hæc suos ad Principes trahunt. " Jus (inquit Jo. Jac. MASCOVIUS Jur. Publ. German. Lib. 5, Cap. 1, num. 11) „ & „ auctoritatem, quæ in Imperio universo summæ potestati circa sacra com-„ petit, definiveris JUS circa ordinandum statum religionis EXTERNUM, „ ad conservandam conscientiarum libertatem, & PACEM IMPERII PU-„ BLICAM, legibus, pactisque (in conventu non uno Germaniæ mutuo initis Protestantes inter & Catholicos) „ stabilitum „.

88.

88. EXTERNA illa opponuntur INTERNIS ſeu privatis, & quaſi arcanis cujuſque judiciis de religione, fide, ac cultu religioſo: hæc enim PROTESTANTES in cujuſque arbitrio ponunt, & a Principis ſui poteſtate ſubducunt. Hinc ab eodem MASCOVIO affirmatum eſt loc. cit. num. 6, " ſupremæ poteſtatis auctoritatem in eccleſiaſtica re non extendi ultra EX- „ TERNUM ſtatum, utpote qui directione aliqua opus habet. INTER- „ NA enim (ait) ad conſcientiam pertinent, in quam nullum humanæ po- „ teſtati arbitrium competit„.

89. Id omne igitur, quod PUBLICE fit & in publica hominum congregatione, Principibus ſuis PROTESTANTES juriſconſulti diſponendum ac ordinandum committunt. Et ſecundum hæc dixit jam nobis *Cap.* I. *num.* 29 GERARDUS JOANNES VOSSIUS, " primo & per ſe competere „ Magiſtratui EXTERIOREM poteſtatem, quæ in EXTERNA guberna- „ tione conſiſtit, qua RELIGIO publice ſancitur, omniaque procurantur, „ quæ ad bonum Religionis, qua PUBLICA eſt, pertinent„.

90. Et hanc EXTERIOREM poteſtatem MASCOVIUS *Cap. annotato* dixit ad quinque capita præcipue referri; nempe primo ad curam doctrinæ PUBLICÆ, componendique oborta circa illam diſſidia, vel illam REFORMANDI. Secundo, ad Sacerdotii erga Imperium, ſeu civilem poteſtatem, habitum vel relationem; exempli cauſa, quoad conſtituendos Miniſtros Eccleſiæ. Tertio, ad juriſdictionem tam in perſonas, quam in cauſis, quæ ad Religionem ſpectare exiſtimantur. Quarto, ad bona eccleſiaſtica. Quinto, ad externi cultus ordinem in ritibus, feſtis &c. Hæc ex MASCOVIO.

91. Cum vero viderimus jam *Cap. I*, a quo capitali errore hæc ducantur, & docuerimus, errorem illum fuiſſe jam ſuprema Eccleſiæ catholicæ ſententia damnatum, & anathemate una cum defenſoribus ſuis confixum; jam ſatis ab hac parte FIDEI CATHOLICÆ conſultum eſt; neque mihi neceſſe eſt novas huc animadverſiones afferre adverſus errorem illum ceteroſque inde natos.

92. Sed quoniam fides catholica docet, PROTESTANTES in novis illis ſuis placitis a doctrina CHRISTI aberrare, falſaque eſſe principia, quibus ad tam abſurdos errores adducti ſunt; noſtrorum quoque erit videre, annon falſæ ſint ac fallaces illæ ratiocinationes, quibus ſibi ipſi videntur perſuaſiſſe, poſſe Principem EXTERNAM Eccleſiæ DISCIPLINAM præter & ULTRA CANONES ordinare. Iſta paucis verbis declaro.

93. PROTESTANTES cum contra Catholicæ Ecclesiæ fidem in hoc ſint capitali errore, nullam Ecclesiæ fuiſſe DIVINITUS tributam JURISDICTIONEM, non obligandi ſeu cogendi poteſtatem, non facultatem legislativam; inde adducti ſunt, ut Ecclesiæ Præſulibus abjudicarent jus proponendæ CUM POTESTATE ac definiendæ fidei, ordinandi ſacrorum miniſterium, & diſponendi DISCIPLINAM EXTERNAM ſeu politicam.

94. Sed cum fides, ſacrorum miniſterium, & diſciplina ſint partes præcipuæ eccleſiaſtici ædificii, & OPORTEAT eſſe fixum aliquem in iſtis ordinem, normam, ac modum, ne ſecus PAX ET TRANQUILLITAS PUBLICA Eccleſiæ & REIPUBLICÆ cum detrimento ſocietatis humanæ turbetur; PROTESTANTES iidem a nativis & propriis Eccleſiæ Præſulibus, contra inſtituta CHRISTI ad extraneos Præſides, id eſt, ad PRINCIPES ſuos poteſtatem tranſtulerunt tum in fidem & religionem, tum in ſacrum miniſterium ſeu in DISCIPLINAM liturgicam, tum in DISCIPLINAM EXTERNAM ſive politicam: tranſtulerunt, inquam, ad Principes ſuos hanc poteſtatem, quaſi ea ad illos JURE IMPERII CIVILIS pertineat & tamquam ad VINDICES PACIS PUBLICÆ & tranquillitatis.

95. Jam vero cum fide catholica conſtet, in Eccleſiæ Præſulibus (qui ſoli *a Spiritu ſancto poſiti ſunt Epiſcopi REGERE Eccleſiam Dei*) eſſe JURISDICTIONEM, eſſe obligandi ſeu cogendi poteſtatem, eſſe facultatem legum ferendarum; ex hoc conſequitur, iiſdem Eccleſiæ Præſulibus commiſſa pariter DIVINITUS fuiſſe ea, quæ baſes ſunt & FUNDAMENTA ECCLESIÆ; hoc eſt, tum regulas fidei, tum diſciplinam liturgicam, tum DISCIPLINAM EXTERNAM ſeu politicam; & hæc ab illis definiri, ordinari, ac diſponi CUM POTESTATE ET IMEPRIO. Et ſic, quantum ab hac parte pendet, in tuto eſſe poſitam PACEM ET TRANQUILLITATEM Eccleſiæ & REIPUBLICÆ.

96. Eam igitur novam cogitationem de poteſtate Principis in EXTERNAM ECCLESIÆ DISCIPLINAM deponere Catholici omnes debent; quippe qui ſciant ac profiteantur, Eccleſiam eſſe JURISDICTIONE & Imperio ſacro DIVINITUS inſtructam. Eam, inquam, deponere cogitationem debent; etiamſi aliis ad id non impellerentur rationum momentis & argumentorum ponderibus.

97. Etenim ſicuti everſo capitali illo PROTESTANTIUM errore, quo eccleſiaſtica negatur JURISDICTIO & poteſtas, fidei & diſciplinæ liturgicæ cura ad Eccleſiæ poteſtatem revocatur; ita ad eandem uno tempore revocetur neceſſe eſt TOTA DISCIPLINÆ EXTERNÆ & politicæ cura; cum hæc non minus ac illæ ad ordinem & ſtructuram ECCLESIÆ pertineat.

Seu,

Seu, ficuti capitali illa hæresi eversa, jus PRINCIPIS in fidem & in disciplinam liturgicam concidit; ita necesse est concidat fictitium illud jus ipsius in DISCIPLINAM EXTERNAM Ecclesiæ. Nam quorum commune est fundamentum; horum fundamento illo disjecto, oportet sit casus ac ruina communis.

98. Colligas tandem ex istis (id quod supra videndum proposui) quemadmodum falsa sunt principia, quibus ad suos errores de potestate PRINCIPIS in fidem, in disciplinam liturgicam, & in DISCIPLINAM politicam seu EXTERNAM PROTESTANTES adducti sunt; ita necessario & ex consequenti falsas esse oportere & fallaces nostrorum quorundam ratiocinationes de potestate ejusdem Principis in eandem DISCIPLINAM Ecclesiæ politicam seu EXTERNAM.



CAPUT VIII.

De Pontificiæ, & Laicæ Potestatis discrimine apud JUDÆOS; seu, ex JUDÆORUM politia sacra non recte argumentum duci ad politiam sacram Christianorum.

1. ILLUSTRISSIMUS Parisiensium Archiepiscopus Petrus DE MARCA in Opere *de Concordia Lib.* 2, *Cap.* 4 *&* 5, & in libello Barcinone edito & Prolegomenis ad *Concordiam* inserto *pag.* 56 *&c. edit. Paris.*, sermonem instituit de Pontificia & Regia dignitate apud JUDÆOS, seu de discrimine jurisdictionum in Synagoga; ut inde statuat de comparatione, quæ a nonnullis instituitur, Ecclesiæ christianæ cum Republica JUDÆORUM quoad exercitium jurisdictionum, spiritualis & terrenæ.

2. Agit autem primo de magni SYNEDRII, quasi tribunalis mixti, auctoritate, & de Synedrii Principe; deinde de REGUM Judaicorum potestate. Cum vero statuat, in universa politia judaica tum quoad sacra, tum quoad profana, obtinuisse non levem jurisdictionum permixtionem; seu jurisdictionum terminos non ita fuisse distinctos ac fixos in Synagoga, uti postea distincti fuere a CHRISTO; ex hoc recte colligit, nullam posse in hoc capite, quo de jurisdictionum finibus quæritur, institui comparationem inter SYNAGOGAM & Ecclesiam.

3. " Neque ſane (addit MARCA) de Regibus chriſtianis bene merentur, ut exiſtimo, qui regiæ dignitatis auctoritatem in Republica chriſtiana ex inſtitutis JUDAICIS metiuntur, cum apud Reges Judæorum non adeo ſoluta eſſet ac libera rerum gerendarum poteſtas, quin a magno Synedrio in rebus controverſis penderet, ipſamque rerum CIVILIUM adminiſtrationem cum PONTIFICE & Senatu, in controverſiis ſaltem ambiguis Princeps communicaret ,,.

4. Animadvertas hoc loco, iſta a me nunc recitata MARCÆ verba prolata a MARCA eodem fuiſſe in ea opinione, quod magnum SYNEDRIUM originem a MOYSE habuerit; quod hoc Synedrium ſupremam ſemper inter Judæos poteſtatem exercuerit; quod tandem ei, veluti cœtui ſacro, vel ſaltem mixto, præeſſet SACERDOS SUMMUS, non autem *Naſci*, id eſt *Princeps* conſeſſus, quem Rabbinorum (inquit MARCA) commentationes invexerunt; qui *Naſci*, Moſis locum ſcilicet teneret. Quæ omnia cogitata a MARCA difficultate non carent.

5. Atque in primis, quod ad originem magni SYNEDRII attinet; nihil hoc pertinet ad Conſilium a MOYSE inſtitutum ex viris LXX. Etenim magnum Synedrium, ſi Scriptores non paucos, & inter hos Auguſtinum CALMET conſulimus *in Diſſertatione de Politia & Sanhedrio Hebræorum*, nonniſi poſt Captivitatem Babylonicam exortum eſt. " Sub Macchabæis cœptum Sanhedrium, vires ſuas, *ait*, in dies ſub Regibus Aſmonæis explicavit, ex imbecillioribus crepundiis in tantam adoleſcens authoritatem, ut vel ipſis Regibus metum incuteret ,,.

6. " Jonathas (ſcripſerat ſuperius in eadem Diſſertatione CALMETUS), ,, qui fratri Judæ (*Macchabæo*) in imperio ſucceſſit, utraque in ſe conciliata ſacerdotali ſcilicet, & regia dignitate, ita populum moderatus eſt, ut una cum Senatu, quin & adhibito etiam populo, de rebus deliberaret. Hebræorum tum temporis politia veram Rempublicam referebat Ariſtocratia & Democratia mixtam. Ea occaſione SANHEDRIN omnium ore celebratiſſimum cœpit ,,.

7. Concordat Calmeto Bernardus LAMY Apparat. Biblic. L. I, Cap. 12: ,, Circa magnum SYNEDRIUM (inquit) lites moventur valde ambiguæ. INCERTUM eſt an, quale exercebatur Hieroſolymis, quando Chriſtus paſſus eſt, jam antiquitus fuiſſet inſtitutum ,,.

8. " Certum eſt a diebus, quibus decem Tribus in captivitatem deductæ ſunt, non obſervatum, quod primum fecerat Moyſes, nempe ut ex ſingulis Tribubus & cunctis cognationibus eligerentur ſeniores ad judicandum ,,.

9.

9. " Perturbata eſt Hebræorum Reſpublica ab impiis Regibus ſuis, tum ,, ab inimicis, cum jugum ſubiere ,,.

10. " Verum poſtquam reverſi ſunt in patriam, & Eſdras & Nehemias ,, reſtauravere Rempublicam; maxime cum Judæos MACCHABÆI in liber- ,, tatem aſſeruerunt, tunc conſtitutum SYNEDRIUM ea forma, quam illi ,, tribuunt Judæi in ſuo Talmude . . . . . . ,,.

11. " Et tempore quidem Aſſamonæorum (ait LAMY multis interjectis) ,, Synedrii poteſtas fuit maxima: etiam magna, dum HERODES ,, magnus vixit. Poſtquam Judæa in provinciam redacta eſt, & per Procura- ,, tores Romanorum regeretur, nec omni autoritate carebat. Alibi evinci- ,, mus (pergit), Joannem Baptiſtam ab hujuſce tribunalis judicibus in vin- ,, cula fuiſſe conjectum. Videre eſt in Evangelio, quomodo ſæpe inquirebant ,, de Domino; quia ad illos pertinebat RES RELIGIONIS tractare, & de ,, iis judicare. Dic nobis in qua poteſtate hæc facis? Hactenus LAMY ,,.

12. Joannes NICOLAI Profeſſor Tubingenſis in *Annotationibus* ad Cornelium BERTRAMUM *de Republica Hebræorum Cap.* 13 *ſub initium* approbat item nonnullorum Recentiorum ſententiam, " negantium, Judicum Samuelis ,, & Regum temporibus conſeſſum illum Synedrialem extitiſſe, & ortum ,, ejus demum referentium ad tempora ESRÆ & ceterorum ex Babylone ,, redeuntium ,,.

13. Synedrium hoc Judæorum derivat quidem a MOYSE Joannes SELDENUS *de Synedriis Hebræorum;* & ejus ſucceſſionem ac continuationem poſt Moyſen, non tamen ſine vicibus & intermiſſionibus, propugnat præcipue *Lib.* 2, *Cap.* 15, *num.* 1 - - 3, *& Cap.* 16, in cujus Capitis decimi ſexti numero octavo ita etiam rem e Talmudicis contrahit: " Summa igitur eſt, ,, Moſem, Joſuam, judices inſequutos, Eli, Samuelem, Saulem, Davidem, ,, Reges ceteros, Principes fuiſſe SYNEDRII Magni, niſi, ut interdum, alii ,, ab eis mandatam forte juriſdictionem ac imperium cum dignitatis nomine ,, item acceperint ,,.

" Poſt reditum autem e Captivitate Babylonica, Ezram, Simeonem Ju- ,, ſtum, alios forte, quorum nomina neſcimus, eandem tenuiſſe dignitatem ,,. Hæc SELDENUS. Sed meliora videre datum eſt poſteris.

14. Multa porro quæ de SYNEDRIO narrantur a noſtris, non aliunde deſumpta ſunt quam e Talmudiſtarum & Rabbinorum fabulis; in primis illud de ejuſdem Synedrii antiquitate, & de ejus conſtanti ſucceſſione a MOYSE uſque ad Chriſti Domini tempora & deinceps. Sed tum iſtud tum cetera

 re-

retegit ac confutat late AUGUSTINUS CALMET in altera laudatæ Diſſertationis parte.

Et hæc quidem Talmudiſtarum & Rabbinorum figmenta, nota quoque fuere Auctori Notarum in SIGONIUM *de Republ. Hebræor.*, Laurentio Maffei nempe; qui proinde in Caput 7 Libri 6 adnotandum cenſuit, " ea quæ nar-
„ rant Talmudiſtæ de origine SYNEDRII a Moyſe derivata, & perpetua
„ fere ſucceſſione producta ad ultimam uſque exciſionem Urbis & Templi,
„ fabuloſa reputari a recentioribus Eruditis nonnullis, quibus veroſimilius
„ videtur Synedrium magnum aliquod tum demum conſtitutum fuiſſe, quum
„ ſoluta Babylonica ſervitute in patrias ſedes Judæi regreſſi ſunt. Præſertim
„ vero ASMONÆORUM temporibus, quibus GRÆCÆ linguæ uſus aliquis
„ invectus eſt in Judæam, potientibus rerum Syriæ & Ægypti Regibus Ma-
„ cedonici ſanguinis „.

" Nihil ſolidi putant elici ex ſacris literis ad aſſerendam SYNEDRII
„ antiquitatem ESDRÆ ævo remotiorem. In Joſepho item Talmudicam
„ doctrinam non reperiunt, quum tamen ille a Phariſæiſmo ſui temporis alie-
„ nus non fuerit „. Abſtineo a ceteris, ac remitto potius Lectorem ad accuratam de hac re HERMANNI CONRINGII *Exercitationem de Politia, ſive de Republica Hebræorum*, quæ extat in *Theſauro ANTIQUITATUM SACRARUM* Ugolini Tom. XXIV, col. 287 -- 324; atque ad JOANNIS VORSTII *Diſſertationem de Synhedriis Hebræorum* ibidem Tom. XXV. col. 1103 -- 1150.

15. Hac vero ſera origine SYNEDRII poſita; cadit alterum de ſuprema auctoritate a Synedrio exercita inter Judæos, a prima MOYSIS inſtitutione & deinceps. Fatetur Bernardus LAMY *Apparat. Bibl. Lib.* 1, *Cap.* 12, ſub REGIBUS rarum eſſe de Synedrio ſermonem, quidni autem, *nullum*, dixit? " Quis unquam, quæſo, ex Regibus Juda (ſcribit Auguſtinus CALMET Diſſert. cit.) „ ſive Saul, ſive David, Salomon &c. ad SANHEDRIUM
„ unquam reus adductus fuit? REGES Juda nemine prorſus repugnante,
„ ſummos Pontifices exauctorabant; bellum pro arbitrio, nemine conſulto,
„ ſuſcipiebant; judices conſtituebant, removebantque: uno verbo, Reges
„ agebant, nunquam in negotiorum partem SANHEDRIO accito; nunquam
„ ejus Senatus authoritate implorata, de Republica pro arbitrio diſponebant;
„ cui eorum authoritati, alioquin immodicæ, coercendæ nunquam SAN-
„ HEDRIUM legimus reſtitiſſe „.

16. Quod unquam SACERDOS SUMMUS, Præſes ac Princeps fuerit SYNEDRII, in omnibus ſaltem negotiis ac quæſtionibus, quæ ad Synedrium, Magiſtratum ſcilicet (ex BOSSUETI ſententia) politicum potius

quam

quam ſacrum ſeu eccleſiaſticum, delatæ eſſent; negat idem BOSSUETUS Meldenſis contra Baronium *Defenſ. Declar. Gallic. Lib.* 1, *Sect.* 2, *Cap.* 7 *edit. recogn.* Vid. & SELDENUM *de Synedriis Lib.* 2, *Cap.* 15, *num.* 14, *&* *Cap.* 16, *num.* 11.

17. Affirmat contra CALMETUS *diſſert. alleg.* ſaltem pro extremis judaicæ gentis temporibus: " In libris novi teſtamenti, ait, ſummus SA-„ CERDOS Senatui, vel concilio nunquam non præeſt. Caiphas concilii „ Princeps capitalem ſententiam in JESUM pronunciat: *Expedit ut unus* „ *moriatur homo pro populo.* Summus SACERDOS ſilentium indicit Apoſto-„ lis, datis ad Principes Synagogarum literis, perſequendi fideles Saulo jus „ aſſeruit &c „.

18. Sed non pauci BOSSUETO aliiſque adhærebunt; & ponent potius ſupremam Synedrii poteſtatem in illo *Naſci* ſeu *Principe* (de quo SELDENUS de Synedriis Lib. 2, Cap. 6, num. 1), quem ad Rabbinorum figmenta Petrus DE MARCA amandandum immerito putavit. Et pro hac ſententia pugnabunt præcipue THEOLOGI illi, qui adverſus Judæos contendunt, in hoc *Naſci* uſque ad regnum *Herodis Aſcalonitæ* continuatum eſſe ſceptrum & dominatum in tribu JUDA & ducem; donec venit qui mittendus fuerat, ſecundum magnum illud JACOBI vaticinium *Geneſ.* 49, *verſ.* 10: ſcilicet, hunc Principem SYNEDRII ex tribu JUDA, non, ut ſummus Sacerdos, ex tribu LEVI, delectum fuiſſe.

In quorum Theologorum numero eſt etiam Laurentius BERTI *de Theolog. Diſcipl. Lib.* 25, *Cap* 1. -- 3, qui & SYNEDRIUM pro politico Magiſtratu habet; de qua re a laudato Joanne NICOLAI diſputatur in *Notis in Caput* 11 *Reip. Hebræorum Cornelii BERTRAMI.*

19. Non ignoro tamen eſſe ſcriptores, qui ſententiam illam Theologorum in ipſo ejus fundamento adoriantur; in quibus eſt Natalis ALEXANDER *in Hiſtor. Veter. Teſtam. Diſſert.* 12, *in Tertiam Mundi ætat. Propoſit.* 3, affirmans, non conſtare, " Principem illum SYNEDRII de Tribu JUDA „ ſemper delectum fuiſſe, vel ex ea neceſſario deligendum „. Ita ille, diſputans ſimiliter de magno JACOBI vaticinio, & de ejus exitu contra Judæos, ſed illud interim non ad ſolam Tribum Juda, ſed ad totam gentem Judaicam pertinere propugnans contra oppoſitam Theologorum aliorum ſententiam.

20. Et illud quidem Natalis ALEXANDRI aſſertum comprobari facto ipſo poteſt, quando id verum ſit, quod doctis viris non paucis placuit, dignitatem Principis ſeu *Naſci* obtinuiſſe in SYNEDRIO ANNAM ſocerum Caiphæ; cujus non ſemel mentio eſt in Evangelio Chriſti tempore.

Etſi

Etsi enim ANNA, *Princeps Sacerdotum*, non secus ac Caiphas ibi appellatus sit; cum tamen CAIPHAS vere esset summus PONTIFEX, docti viri non pauci ANNÆ tribuendam censent dignitatem Principis Synedrii seu *Nasci*. Vide BARONIUM *ad an. Chr.* 31, *num.* 8 -- 10, *&* *ad an.* 34, *num.* 70, Jo. Bapt. DU HAMEL *in Cap.* 3 *Lucæ vers.* 2; præsertim vero Joannem SELDENUM *de Successione in Pontificatu Ebræorum Lib.* 1, *Cap.* 12, in Tomo XII Antiquitatum sacrarum Ugolini; & Joannis SAUBERTI *de Sacerdotib. & sacris Ebræorum personis Commentarium Par.* 1, *Cap.* 5 *&* 6, in eodem Tomo XII Antiq. sacrar.

21. Jam vero ANNA ex Tribu LEVI erat, non ex Tribu Juda, Theologi tamen memorati facile hunc nodum expedient, reponendo, a se de illo *Nasci* seu Principe Synedrii non quæri nisi usque ad regnum HERODIS Ascalonitæ: ANNAM vero esse HERODE Ascalonita posteriorem. Addere præterea poterunt, de illa ANNÆ dignitate non ita constare, ut non super eadem in varias sententias docti viri alii abire coacti sint; de quibus legendus erit SELDENUS Cap. 12 citat.

22. Quod ad judiciariam SYNEDRII potestatem attinet (cujus *num.* 11 meminimus cum Bernardo LAMY) postremis Reipublicæ judaicæ temporibus; Benedictus Abbas BACCHINIUS *de Eccles. Hierarch. Originib. Par.* 1, *Cap.* 2, *num.* 16 quærit, " an CHRISTI Domini nostri morientis tempore „ proximeque subsecuto, usque ad Urbis Templique excidium SYNEDRIO „ magno jus vitæ necisque fuerit, nec ne „.

23. Docet autem, Synedrio magno tunc fuisse jus vitæ & necis non quoad omnia crimina, sed quoad ea tantum, " quæ ex legis judaicæ intrin- „ seca forma violata procedebant; reservatis AUGUSTI Procuratori, „ quæ immediate Majestatem, jusque Romanum lædebant „.

Distinctio hujusmodi clare perspicitur in evangelica passionis CHRISTI historia: " & ob horum jurium distinctionem, in Apostolorum actis facile „ est videre (inquit idem BACCHINIUS) ad SYNEDRII cognitionem „ deducta, quæ Legem, Numen, Templum violatum præferre prætendeban- „ tur; seditiones vero, & alia Status, ut vocant, rationem tangentia, ad „ Præsidem relata. Cetera Bacchinii prætermitto „.

24. Carolus equidem SIGONIUS *Operis citati Lib.* 6, *Cap.* 7 in ea quæstione de jure vitæ & necis, quod Christi Domini tempore SYNEDRIO competeret, distinctione alia utitur; distinguendo scilicet inter condemnationem Rei, & animadversionem in Reum: & illa quidem gavisum fuisse Synedrium asserit, non item hac, quæ erat Procuratori ROMANO reservata.

25.

25. " Ubi res, ait SIGONIUS, ad Romanos redacta est, Concilio (id
" est, Synedrio) relicta tantum est condemnatio, animadversio vero ere-
" pta, sed Procuratori ROMANO permissa. Quod in judicio CHRISTI
" evenit. Nam Concilium damnavit Christum & morti addixit, populus
" vero a Concilio incitatus a PILATO Procuratore poposcit, ut cruci-
" figeretur: atque ille, ut ita fieret, judicavit ".

26. Sed Sigonii distinctio non caret difficultate, ut demonstrare facili negotio possem. Et adest in tomo XXVI *Thesauri ANTIQUITATUM SACRARUM* Ugolini col. 1183 - - 1196 brevis & accurata Dissertatio Salomonis DEYLINGII *de Judæorum Jure Gladii tempore CHRISTI;* in qua diligens scriptor pluribus ac variis recitatis hac de re sententiis illi quidem adhæret, quam ex BACCHINIO attulimus; illam vero simul rejicit ac repudiat, quam modo ex SIGONIO audivimus, aut quæ saltem a Sigoniana non multum discrepat. Repudiat, inquam, hanc in BERNARDO LAMY, qui illam non multum a Sigoniana dissimilem proposuit in *Apparatu Chronol. ad Harmoniam Evangelic. Par.* 2, *Cap.* 3, & in *Harmoniæ Lib.* 5, *Cap.* 31.

27. Bernardus enim LAMY *in Apparat. loc. cit.* §. 4 putavit, inter discordes sententias de tempore, quo ablatum sit judicium animarum a Synedrio magno, istam iniri forte posse concordiam; scilicet sub Procuratoribus ROMANIS Synedrium non omni caruisse judiciaria potestate, sed illam non potuisse exercere nisi IMPETRATA VENIA A PRÆSIDE ROMANO.

Et in *Harmonia* cum agnoscat, ab Augusti temporibus arctiorem factam esse Synedrii magni potestatem, cum pars Judææ potior in Provinciam fuit redacta; existimat tunc fieri potuisse, ut SINE PRÆSIDIS ROMANI CONSENSU neminem mortis supplicio afficere licuerit Judæis: servata interim reliqua judiciaria potestate, ut scilicet Judæis non esset vetitum, ex jussu SYNEDRII LEGUM PATRIARUM ET AD RELIGIONEM PERTINENTIUM violatores in vincula compingere.

28. DEYLINGIUS contra adsentitur iis, qui existimant, " Judæos
" sub ipsis Procuratoribus ROMANIS, & tam diu fere, quoad Urbs &
" Templum superfuit, potestate gladii, seu jure vitæ & necis gavisos,
" eodemque adversus RELIGIONIS ET LEGIS SUÆ violatores usos esse ".
Itaque " si quis Judæus (inquit) IN PATRIAS PECCARET LEGES, ET
" ADVERSUS RELIGIONEM aliquid committeret, poterat a summo
" gentis senatu, sive a SYNEDRIO puniri non modo carcere, flagris
" aliisque minoribus pœnis, sed capitis etiam supplicio, pro facinoris enor-
" mitate ".

29. At ab oppoſito, " facinora contra Leges Romanas, Majeſtatem „ Imperatoris, & Status publici tranquillitatem commiſſa, ſeditio, per„ duellio, conjuratio, tumultuationes, & ſimilia crimina, non ad Senatus „ judaici, ſed ad Procuratoris Romani tribunal pertinebant „.

30. Hanc ſententiam DEYLINGIUS validis argumentis confirmat; atque a momentis oppoſitis vindicat etiam & præcipue adverſus eos multos, qui putarunt, " ſupplicia capitalia Judæis fuiſſe adempta vel quadra„ ginta annis ante ultimum Templi & Reipublicæ judaicæ excidium, anno „ Tiberii Cæſaris decimo quinto; vel uno & ſexaginta annis ante Jeroſoly„ morum caſum, quando Judæa poſt Archelaum in exilium miſſum in for„ mam Provinciæ redacta eſt „.

31. Hæc de magno SYNEDRIO Judæorum explicare placuit, utpote de quo non ſolum agant Scriptores Rerum Judaicarum, ſed etiam illi, qui de juriſdictionis finibus in Eccleſia CHRISTIANA inquirunt; ex quibus nunc nominabo Petrum DE MARCA, & Michaelem ROUSSELIUM *in Hiſtoria Juriſdict. Pontific. Lib.* 1 *Cap.* 1, *Lib.* 4 *Cap.* 1, *& Lib.* 7 *Cap.* 1.

32. Jam cum præcipua eorum, quæ de Synedrio narrantur, incerta ſint aut falſa; minime nos cum Petro DE MARCA ad iſtius poteſtatem confugiemus, quo ſilentium iis Scriptoribus imponamus, qui per exempla e REGIBUS Judæorum deſumpta vellent aliquam chriſtianis Principibus in res eccleſiaſticas poteſtatem tribuere.

33. Nam hujuſmodi hominibus alia ratione occurrimus tum verius, tum validius; dicendo nempe, MARCA etiam conſentiente, juriſdictionum fines in Republica JUDAICA non ita fuiſſe diſtinctos, ut illinc liceat ad Rempublicam CHRISTIANAM argumentari. Ita iis Catholicis reſpondebimus, qui exteriorem neſcio quam Eccleſiæ DISCIPLINAM pertrahere ad Principes terrenos volunt, deſumpto exemplo a Regibus Judæorum.

34. Hoc reſponſum ſuppeditant nobis viri Rerum Judaicarum peritiſſimi, & in ſacris veteris Teſtamenti libris exercitatiſſimi. Audiamus Bernardum LAMY Appar. Bibl. Lib. 1 Cap. 12 alleg. " Religio Hebræorum, ait, ſic „ conjuncta erat cum ipſa eorum politia & adminiſtratione rerum CIVI„ LIUM, ut non perinde ac in aliis Rebuſpublicis, diſtinctio eſſet cauſarum „ ſacrarum & civilium. Omnia a Deo ordinata erant, non ea ſolum, quæ „ attinerent ad ſacrificia, & ad cultum ſibi in templo & alibi exhibendum; „ ſed in genere, quæ vitam ſpectabant, victum, artes, pacem, bellum, „ emptiones, venditiones, matrimonia, & in genere jus, quo Reſpublica „ conſervatur. Qui (forte *Quia*) in templo perinde ac in foro cauſæ majo-

„ res

„ res agitabantur; & dirimendis litibus, fontibus plectendis vacabant SA-„ CERDOTES perinde ac facrificiis. Quod animadvertiffe operæ pre-„ tium erit„.

35. Auguftinus CALMET in Differt. laudata *de Politia, & Sanhedrio Hebræor.* credit, " confilium habuiffe Moyfem, ut is Reipublicæ judaicæ „ ftatus conftitueretur, in quo SACERDOTES una cum Principibus, five „ Judicibus a Deo fufcitatis, nec non inferioribus aliis Judicibus in fingulis „ urbibus præpofitis res gubernarentur (legerem, *gubernarent*); ita tamen „ ut Sacerdotes, majori quippe fcientia inftructi atque minus rebus geren-„ dis occupati, de caufis legis & religionis (foli & feorfim) cognofcerent„.

36. " Voluit infuper, ut Judicum fummus Princeps atque fupremus Ju-„ dex fummus SACERDOS agnofceretur, ad quem arduas omnes & majoris „ momenti caufas deferri juffit„. (Vides, credo, hæc ad id maxime tempus pertinere, quando nondum inftitutum fuerat SYNEDRIUM novum feu Talmudicum).

37. " Principem occupatum effe voluit rebus belli & pacis tractandis, „ politia legibufque afferendis, ac tandem exerto GLADIO Legum DIVI-„ NARUM violationem ulcifcerentur, etiam atque etiam præcepit„.

38. " Ita contemperata Republica *Regale Sacerdotium*, feu MIXTUM „ SACERDOTE & Rege imperium invexit„. Sed hoc loco fateri nos oportet cum eodem CALMETO, " fi varia hebraicæ Reipublicæ tem-„ pora inter fe conferantur, variaffe etiam apud illos politiam, nec eam, „ quæ a MOYSE fancita eft, conftanti traditione ad Judices & Reges „ tranfiiffe„.

39. Ceterum & HUGO GROTIUS inter Proteftantes agnofcit, jurifdictionum commixtionem in Republica judaica fuiffe *de Imper. fummar. Poteft. circa Sacra Cap.* 9, *num.* 4, *pag.* 222 *feq. edit. tertiæ.*

40. " Magiftratum (ait GROTIUS) geffiffe SACERDOTES vel „ illud unum arguit, quod morti addicitur, qui Sacerdotis imperio non pa-„ ruerit, qua lege Sacerdos fummus fummo judici æquatur. Neque vero „ de facris tantum, fed & PROFANIS DE REBUS jus dixere, ut-„ pote legis totius optimi interpretes, NON DIVISA eo tempore juris „ divini humanique prudentia„.

41. " Hinc ad illos non minus quam ad fummum judicem relatio facta „ eft de cædibus ac vulneribus, & omne genus controverfiis„. Ab afferendis ceteris abftineo.

42. Quibus sic positis nihil nobis curæ est, an vere an falso dictum sit a Petro de MARCA tum in Libello laudato, tum in *Concord. Lib.* 2, *Cap.* 4, Regum judaicorum potestatem in disciplinam Ecclesiæ JUDAICÆ nixam fuisse *Juri Regio*. Conferatur cum Marca Petrus CUNÆUS *de Republ. Hebræor. Lib.* 1, *Cap.* 14 in Tomo VIII Critic. Sacrorum. Unum illud (ut vidimus) negandum est, quod idem Petrus de MARCA affirmat, Reges in sua potestate exercenda, ex SYNEDRII præscripto aliqua ex parte pependisse: ab eo quippe, quod non extaret, pendere non poterant.

43. Priori responso non alienum erit hic & illud adjicere, quod non immerito adhibuerunt alii; Regum judaicorum potestatem, qua in res Ecclesiæ judaicæ nonnunquam usi sunt, non aliud fuisse, quam meram executionem legum Synagogæ & divinarum, ei parem, quam christianis Principibus commissam scimus. Ita fere Andreas DUVALIUS *de Potest. Pontif. Part.* 3, *Q.* 2, *pag.* 501 *tomi* 3 *Biblioth. Pontif.*, & Daniel CONCINA *de Jur. Nat. & Gent. Lib.* 1, *Diss.* 4, *Cap.* 3, §. 4, *pag.* 342 *tomi sexti Theolog. Christianæ*.

Adversus PROTESTANTES hic steterunt tum alii plurimi, tum idem Concina *loc. cit.*, & Ignatius SCHWARZ *Jur. Publ. Univers. tomo* 1, *pag.* 270 *&c. edit. Venet.*, quos consule, si vacat.

44. Siquis ergo ad dilatandam Principum laicorum potestatem in res & causas ecclesiasticas ea nobis objecerit, quæ a Regibus JUDÆORUM de Synagogæ rebus decreta ac facta fuisse constat; superiora in unum colligendo dicemus cum Meldensi Episcopo BOSSUETO, " notum equidem „ nobis esse, Reges Israelitarum rebus sacris se immiscuisse, sed hoc demum „ eos fecisse in EXECUTIONEM antiquarum regularum & mandatorum, „ quæ Deus dederat, & fecisse insuper una cum Pontificibus, Sacerdotibus, „ Prophetis. Ceterum in NOVO Testamento res sacras, quæ sacerdotali „ Ordini reservantur, manifestius adhuc discretas esse (sont encore plus „ clairement distinguées) a rebus civilibus & temporalibus, quæ Principi- „ bus commissæ sunt „. Bossuet Politique tirée de l'Ecriture Lib. 7, art. 5, Prop. 10.

45. Hujus autem accuratioris distinctionis fundamentum recte a MARCA petitur ex CHRISTO, quando respondit, quæ sunt Cæsaris, reddenda Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo. " Quo divini verbi oraculo (ait MARCA in Libello memorato) „ generalibus verbis secretio duarum po- „ testatum constituta est; ita ut nec Pontifici, nec magno Synedrio jus „ aliquod residuum fuerit in gravium & criminalium causarum discussione, „ nec Cæsari in cognitione rerum sacrarum „.


46.

46. " Quare (colligit MARCA) nulla poteſt in hoc quidem capite „ inſtitui comparatio inter Synagogam & Eccleſiam: quia quæ apud illam „ erant permixtæ & CONFUSÆ juriſdictiones, apud hanc ſunt diſcretæ & „ omnino ſeparatæ „. Gemina horum ſcripſerat antea *Concordiæ Lib.* 2, *Cap.* 5, *num.* 5 *&* 6.

47. Etſi vero affirmamus, juriſdictionum fines in Republica JUDAICA non fuiſſe ita diſtinctos, uti poſtea a Chriſto Domino factum eſt; non inficiamur tamen, ſua fuiſſe propria munia Regis, ſua Pontificis. " Diſtincta „ enim erant (uti recte MARCA in eodem Libello ſcribit) munia Sacerdo- „ tum & Regum, etſi non iis FINIBUS, qui apud chriſtianam Rempublicam „ præſcripti ſunt „.

48. " Belli gerendi & imperii adminiſtrandi ratio ad ſolum REGEM „ pertinebat, ut ſacrificiorum, rerumque ſacrarum in templo adminiſtratio „ penes ſolos Pontifices erat „.

49. " Quæ vero de rebus ſacris & profanis oriebantur CONTENTIO- „ NES, ad Regem, ad Pontifices, & CONSILIA devolvebantur, ita ut „ quædam eſſet juriſdictionum COMMIXTIO „. Paria habet MARCA *Concordiæ Lib. cit. Cap.* 4, *num.* 3.



CAPUT IX.

Ex legibus JUSTINIANI Imp. minime demonſtratur, ſpectare ad Principem, externam Eccleſiæ diſciplinam NOVE ordinare.

1. SOLENT ab iis, qui in ſocietatem ordinandæ externæ eccleſiaſticæ diſciplinæ laicam poteſtatem vocant, objici tum Regum Francorum Capitularia, tum Leges a JUSTINIANO Imperatore de rebus eccleſiaſticis latæ; quibus legibus tum Liber primus CODICIS refertus eſt, tum maxime abundant NOVELLÆ Conſtitutiones. " Quamplurimi (ait Petrus DE MARCA Concord. Lib. 2, Cap. 11, num. 2) „ qui tantum res FO- „ RENSES attigerunt (adeoque eccleſiaſticarum, & theologicarum ſunt ignari) „ præjudicio harum conſtitutionum Juſtiniani, poteſtatem liberam „ de diſciplina eccleſiaſtica decernendi Principibus vindicant „; qua in re graviſſime ab iis PECCATUM ESSE, antea pronunciat MARCA. Notatur autem ad oram paginæ in hac ſententia Carolus MOLINÆUS ille notiſſimus. De Capitularium origine & indole dicendum eſt *Capite proximo:* de JUSTINIANO videamus modo. Utar autem Interpretibus minime ſuſpectis.

2. Illuſtriſſimus Meldenſis Epiſcopus BOSSUETUS *Defenſ. Declar. Gallic. Lib.* 11, *Cap.* 15 *edit. recogn.* Petro DE MARCA non injuria tribuit *ingenium verſatile, & in utramque partem æque compoſitum;* cujuſmodi quidem ingenium ſi alicubi, apparet maxime in Opere *de Concordia Sacerdotii & Imperii*, fætu hominis ceteroquin doctiſſimi, per quem poſteri multum profecerunt. Suo hoc ingenio forte actus MARCA, de memoratis JUSTINIANI legibus aliqua cum inconſtantia ac varietate pronunciavit; ſed veritatem tamen non valuit obtegere.

3. Dividit MARCA *Cap.* 11 *cit. num.* 3 Conſtitutiones JUSTINIANI in duo capita; in eas ſcilicet quæ perſonas, & in eas quæ res eccleſiaſticas reſpiciunt. Primæ aut de Præſulum juribus, privilegiis, & officiis quoad ordinationes, judicia, & eccleſiaſtica negotia feruntur, aut totius Cleri functionem, aſſiduum in Eccleſiis obſequium reſpiciunt, & ordinandorum mores & ſtatum, ac Monachorum & Sanctimonialium exercitationem. " Quæ omnia, ait MARCA, hauſta ſunt e Canonibus aut e receptis moribus, quemadmodum JUSTINIANUS ipſe profitetur, qui ſe illa omnia SECUNDUM CANONES decernere diſerte pluribus in locis ſcribit, ac præſertim in NOVELLIS Conſtitutionibus ".

4. " Quod autem attinet (pergit MARCA) ad res eccleſiaſticas, de earum conſervatione ſollicitum ſe ubique præſtat. Oeconomum juxta Canones Chalcedonenſes conſtitui jubet; adminiſtrationiſque modum, redituum augendorum, & rationum reddendarum illi præſcribit; numerum Clericorum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ coercet, ne reditus exhauriantur; multaque de emphyteuſibus & impedienda bonorum alienatione conſtituit. Hæc omnia, quæ res ipſas reſpiciunt, non in conſequentiam CANONUM, ſed JURE SUO ſe decernere profitetur ".

5. Jure quidem ſuo iſta JUSTINIANUS decreverit, ſed non contra aut PRÆTER CANONES. Et quod illud attinet, de NUMERO Clericorum Conſtantinopolitanorum minuendo; illud ſane diligenter conſiderandum eſt, Juſtinianum per ſuas NOVELLAS, tertiam, ſextam Cap. 8, & decimam ſextam, non aliud eo de capite decreviſſe (ſola dempta Conſtantinopolitana Eccleſia majori), niſi ut ne novi in Eccleſiis aliis ſive URBIS Regiæ ſive extra URBEM Clerici ordinarentur, donec ad eum numerum ventum eſſet, qui fuerat vel antiqua conſuetudine, vel per fundatores definitus, pro modo proventuum, quos adſignarunt; quem ipſum numerum in poſterum etiam retineri juſſit.

6. Et hujus præterea decreti ferendi cauſam præbuit æs alienum, quo Eccleſia Conſtantinopolitana, & Eccleſiæ aliæ, ob exuberantem Clericorum

corum copiam opprimebantur. Vere proinde in prooemio Novellæ tertiæ JUSTINIANUS affirmavit, ſimilem rem a ſe alias fuiſſe ſancitam *bene & regularum ſacrarum digne.*

7. Ceterum Juſtinianus ipſe Codici ſuo inſeruit legem Arcadii & Honorii Imperatorum, quæ eſt undecima tituli *de Epiſc. & Cleric.;* in qua generatim dictum eſt, " pro magnitudine, vel celebritate uniuſcujuſque vici, „ Eccleſiis certum, JUDICIO EPISCOPI, clericorum numerum ordinari „ oportere „. JUDICIO EPISCOPI, inquiunt id faciendum eſſe; & ſapienter id quidem. Nam ſcientia eccleſiaſtica, necnon uſu ac experientia rerum eccleſiaſticarum opus eſt ad judicium de hac re ferendum; ne, dum Clericorum numerum reſecamus, detrimentum cultui divino afferatur, vel ſubtrahatur fidelibus pabulum religionis, vel cætuum eccleſiaſticorum ſtatus & diſciplina enervetur, dum ii deſunt, qui utiles aut neceſſarii fungendis Eccleſiæ vel familiæ eccleſiaſticæ muneribus eſſent.

8. Potius igitur tutorem ac vindicem Canonum ſe JUSTINIANUS exhibuit, tum etiam cum illam de Clericorum illorum numero legem tulit. Proinde quoad leges Juſtiniani ejuſdem de cauſis eccleſiaſticis latas generatim viſum erat Petro de Marca *num.* 2, " jure ſuo uſum fuiſſe JUSTINIA- „ NUM, qui legibus latis NON CANONES condidit, ſed conditos „ FOVIT & amplificavit; quia jus illud TUITIONIS eccleſiaſticæ „ Principibus chriſtianis a Deo commiſſæ exigit, ut leges pro Religione divi- „ na ferant. Hanc ſibi mentem fuiſſe docet quoque Juſtinianus, ut vetu- „ ſtatis & Canonum ſe vindicem præſtaret, non NOVAS regulas in Eccle- „ ſiam invehendo, ſed veteres augendo in melius „.

9. Inſidioſum eſt ac artificioſe additum illud, quod attinet ad Canones *amplificandos* vel *augendos;* etſi id videtur, fateor, ex JUSTINIANO ipſo deſumptum. Amplificatos autem & auctos a Juſtiniano Canones intelligit; " quia nempe (ait *num.* 3 *cit.*) quæ generaliter a Canonibus erant decreta, „ modo rei gerendæ & judiciorum ordine præſcripto, his conſtitutionibus „ erant ſigillatim comprehenſa „.

10. Sed hoc clarius ætate ipſa Juſtiniani explicavit Joannes Scholaſticus Patriarcha CPolitanus in Præfatione ad ſuum *Nomocanonem pag.* 604 *tomi* 2 *Biblioth. Juſtellianæ:* " Novellæ conſtitutiones (ait) non ſolum CANONI- „ BUS conſentaneæ ſunt, verum etiam imperiali poteſtate authoritatem „ (illis) tribuunt, cum adjectione legitima & Deo grata „. A MARCA etiam hic JOANNIS Scholoſtici locus, ex liberiori tamen ſua interpretatione, prolatus eſt *num.* 4 *Capitis annotati* 11, *Libri* 2, ubi e veſtigio ſubdit:

11.

11. " Non ſolum Joannes eos articulos Novellarum amplectitur, qui „ Canonum verba κατὰ πόδας ſequuntur, ſed etiam eos qui Canonum men- „ tem juriſdictione ſuppleverunt, id eſt, *adjectionibus quibuſdam legitimis & Deo gratis* (legendum eſt, *adjectione legitima & Deo grata*, ſecundum græcum Joannis textum) „ Canonum ſententiam interpretando, quæ videbantur, „ omiſſa addiderunt „.

12. " Quin etiam eas leges, quæ Canonibus per interpretationem ali- „ quid adjiciunt, quæque modum rei gerendæ & ordinem judiciorum præ- „ ſcribunt, inter ea recenſet, quæ vocant ϛυνᾴδοντα νόμιμα τοῖς ἐκκλη- „ σιαϛτικοῖς κανὸσιν (*concinentia*, ſeu conſentientia) jura eccleſiaſticis Cano- „ nibus „.

13. Quæcunque vero hoc loco fuerit ſententia MARCÆ aut JOANNis Scholaſtici de amplificatione illa Canonum; ea certe amplificatio *CANONUM ſententiam aliquo pacto egredi non debuit*, auctore ipſo MARCA in Prolegomenis ad *Concordiam*: immo neque NOVA ulla per eam amplificationem induci per eccleſiaſticam diſciplinam debuerunt: & per JUSTINIANUM nulla ferme NOVA fuiſſe inducta, fateri oportet MARCAM, ſi ex animo ſcripſit *Cap.* 7, *num.* 8 *hujus libri ſecundi*, " VIX ullam proferri „ poſſe conſtitutionem Principum, quæ de ritibus, ceremoniis, Sacramentis, „ CLERI CENSURA, functione, conditionibus, & DISCIPLINA, lata „ fuerit ex mero poteſtatis ſecularis imperio „.

14. Dixi, *nulla ferme* NOVA per JUSTINIANUM fuiſſe inducta, oportere fateri & MARCAM. Sciebam enim, notum Marcæ fuiſſe Decretum illud Juſtiniani in *Novella* 137, *Cap.* 6, quo verba conſecrationis Euchariſtiæ in ſacra Liturgia elata voce, non autem demiſſa proferri juſſit; ut qui locum tenet idiotæ, *amen* ſuccinere poſſet: quod Decretum jure a MARCA improbatum eſt. " Præterquam quod enim (ait Cap. 6 ibid. num. 6) de ritu „ ſacrificiorum decernere tentat, quæ pars diſciplinæ ſolis Sacerdotibus com- „ petit, antiquos Eccleſiæ mores ſollicitat; qui, ut reverentia myſteriis „ conciliaretur, preces myſticas demiſſa voce proferri induxerant, ut teſta- „ tur Baſilius „.

15. Ex hoc autem quod pauca FORTASSE ea ſint, quæ in eccleſiaſticam diſciplinam NOVA & præter Canones JUSTINIANUS induxit, inde forte permotus eſt Guilielmus BEVEREGIUS Anglus, ut nulla eorum ratione habita pronunciaret, Juſtinianum eumdem & Imperatores veteres reliquos " quoad eccleſiaſticas perſonas & res NIHIL DE NOVO „ conſtituiſſe, ſed ea tantum, quæ ab eccleſiaſticis Synodis prius conſtituta „ fuerant, ipſos ſua etiam auctoritate confirmaſſe „.

16.

16. "Adeo ut quæcunque in CODICE, aut in NOVELLIS de „ personis causisve ecclesiasticis afferantur, ab ECCLESIASTICA ali„ qua Potestate antea sancita fuerint, quam illuc relata; ut ex singulorum „ istiusmodi locorum inductione cuivis Canonici pariter atque Politici perito „ juris facile patebit „.

17. Scilicet non tantum si de Fide loquamur christiana, sed etiam *de Legibus ad ecclesiasticam spectantibus DISCIPLINAM;* "ipsi etiam Impera„ tores Christiani (ait Beveregius) ingenue multoties professi sunt, NIHIL „ SIBI JURIS in istiusmodi sanciendis rebus tributum esse „. Relege integrum BEVEREGII locum, quem dedi Cap. 1, num. 247 -- 249.

18. Eodem certe sensu actus VANESPENIUS non dubitavit scribere in Tract. Hist. Can. Par. 10, Cap. 1 §. 6: "Leges Justinianeas Evangelicæ „ aut CANONICÆ sanctioni minime contrariari; sed potius CANONUM „ & pristinæ Patrum disciplinæ synopsin sive epitomen continere, earum „ diligens scrutator agnoscet „.

19. Quia vero Constitutiones eæ JUSTINIANI omnes aut fere omnes, secundum Canones erant decretæ; ideo (ait Marca *cap.* 11 *cit.*) & multo applausu exceptæ sunt, & fuerunt a posteris laudatæ; & ab ipsis etiam Pontificibus Romanis allegabantur. De hac re legas etiam Vanespenium *loc. cit.*

20. Porro non est hoc loco prætermittenda conjectura Ludovici THOMASSINI *Discipl. Eccl. Part.* 2, *Lib.* 3, *cap.* 46, *num.* 3, JUSTINIANUM leges, quas de rebus ecclesiasticis conditurus esset, ad eos EPISCOPOS referre consuevisse, qui Constantinopolim, negotiorum causa solebant convenire frequentes, ac quoddam veluti perpetuum Patriarchale Concilium constituebant. "Probabiliter illud quoque creditur, ait Thomassinus, „ ad hos maxime EPISCOPOS (seu ad illud Patriarchale Concilium) „ retu„ lisse JUSTINIANUM de iis Canonibus & regulis ecclesiasticis, quas in„ serebat ipsemet illis Constitutionibus, quæ ejus nomine & auspiciis in „ lucem exibant: ut quas (suo in Palatio) cum Episcopis elimasset, ac „ trutinatus esset, pervigiles cum iis noctes crebro traducens „; prout a PROCOPIO narratum est *de Bello Gotthico* Lib. 3, Cap. 32 & 35, pag. 539 & 549, edit. Paris. 1662, adeas & Petrum DE MARCA Concord. Lib. 4, Cap. 1 num. 5.

21. Hæc de JUSTINIANO placuit proferre ex illustrioribus legum & Canonum Interpretibus, ut fieret manifestum, eos quidem excessisse veritatis ac religionis fines, qui (ut in principio Capitis dixit nobis MARCA) " præjudicio Constitutionum Justiniani potestatem liberam de DISCIPLINA

„ eccle-

„ eccleſiaſtica decernendi Principibus vindicant „. Illos ſcilicet in hac ſua ſententia id pro fundamento ſumere, quod aperte falſum ſit.

22. Sed iſta præterea eam etiam ob cauſam protulimus, ut conſtaret, eos quoque æquitatis leges violaſſe, qui, “ parum perpenſo hujus Principis „ conſilio (ut inquit idem MARCA loc. ibi cit.) eum ſacra divinaque pro- „ fanis miſcuiſſe exiſtimant „.

Illud certe JUSTINIANI leges nonnullas, præcipue NOVELLAS conſtitutiones aliquas vel percurrenti ſolum, compertum fiet, optimas ac præclaras in iis occurrere ſententias ac præcepta ſanctiſſima, quæ cum Patrum regulis gravitate ac ſanctitate certent.

23. Sed utrum aliquando an pluries JUSTINIANUS ſit fines ſuæ poteſtatis prætergreſſus, nunc non quæro; nec mihi ſane opus eſt id vel inveſtigare, vel definire, qui *Cap. XII* demonſtraturus ſim, in controverſiis de finibus utriuſque poteſtatis parum profici, ſi ex factis, vel LEGIBUS etiam temporum præteritorum argumentari voluerimus. Viam ſcilicet exemplorum ac factorum, legum etiam, admodum eſſe infidam & incertam (niſi fundamenta firmiora acceſſerint), ubi de Juribus quæritur alterutrius poteſtatis quoad res plures, quæ in controverſiam veniunt inter ſacerdotium & imperium.

Expenditur illa poteſtas, quam ſibi JUSTINIANUS *Imperator tribuit, amplificandi* CANONES *ſeu* AUGENDI IN MELIUS.

24. Unum eſt quod, antequam hinc diſcedo, præterire nolo ſine animadverſione: illud ſcilicet, quod *num.* 9 dixi, Juſtinianum ſibi tribuere poteſtatem amplificandi CANONES ſeu AUGENDI IN MELIUS. Hanc ſane poteſtatem ſibi videtur JUSTINIANUS aſſerere in Reſcripto ad Dacianum Metropolitam Bizacii in Africa, quod BARONIUS recitat *ad an. Chr.* 541 *num. XI & ſeq.*

25. Affirmat equidem Imperator eo in Reſcripto, ſemper ſibi curam fuiſſe *ſervandæ vetuſtatis;* additque, Imperatores eſſe *tutores vetuſtatis & vindices*; & magnifica de Canonibus & Patrum regulis loquitur. Sed eo ipſo tempore honorem hunc, quem diſciplinæ ac Canonibus habet, detorquet ad diſciplinam ipſam & CANONES IN MELIUS AUGENDOS. Do Juſtiniani verba:

26.

26. " Semper noſtræ Serenitati cura fuit SERVANDÆ VETUSTA-
„ TIS, maxime diſciplinæ, quam nunquam contempſimus, niſi & IN ME-
„ LIUS AUGEREMUS: præſertim quoties de eccleſiaſticis negotiis conti-
„ git quæſtio, quæ Patrum conſtat regulis definita, immo adventu SU-
„ PERNI NUMINIS inſpirata: quia conſtat cælitus inſtitutum, quicquid
„ apoſtolica decrevit Auctoritas........„.

27. " Si quid igitur Metropolitano Carthaginis, vel Primatibus Numi-
„ diæ, vel Bizacii Conciliorum auctoritas præſtitit, & inoffenſa conſuetudo
„ ſervavit, hoc ſibi quiſque optet, ſibi vindicet: hoc NOSTRA ſperent
„ SANCTIONE firmari. Nos TUTORES ſumus VETUSTATIS &
„ vindices. Nec deerit &c. „.

28. Hæc ex Juſtiniano; in quibus verbis ad illa, puto, advertiſti animum, quæ ſunt de diſciplina in melius augenda. Hujus vero ſui ſtudii ac propenſionis ad diſciplinam in melius, ut ſibi videbatur, augendam, exemplum non unum nobis JUSTINIANUS reliquit. Sed duo ſunt maxime conſideratione digna, utpote ad EXTERIOREM & publicam DISCIPLINAM ſpectantia.

29. Unum extat *in Lege* 42, §. 1, *Cod. de Epiſc. & Cleric.*, quod in Novellis poſtea inculcavit non ſemel. In ea igitur Lege 42 Juſtinianus eos vetuit ad Epiſcopatum aſſumi, quibus liberi eſſent aut nepotes: cujus decreti, quod præter & ULTRA CANONES eſt, duas profert cauſas. Earum prima deſumitur ex curis, quas ſecum affert de liberis ſollicitudo; altera ex periculo, ne Epiſcopus facultates Eccleſiæ in propriam ſobolem & cognatos impendat.

30. Exemplum alterum extat *in Novella* 123 *Cap.* 13, quo decretum eſt, ordinari non debere Subdiaconum minorem viginti quinque annis; quando Canones in eo non amplius poſtulabant quam annos viginti.

31. Videamus tamen, quodnam LEO SAPIENS Imperator ſuis in Novellis de duobus hiſce JUSTINIANI Decretis judicium tulerit. Quoad primum de vetita Epiſcopi ordinatione, cui vel nati ſint vel nepotes; tam abfuit, ut per id LEONI Imperatori viſus ſit Juſtinianus Canones IN MELIUS AUXISSE, ut potius violaſſe putaverit; quo eodem in loco LEO SAPIENS & cauſam ſimul redarguit, qua motus JUSTINIANUS legem illam tulit; & legem præterea *in audaciæ pœnam* abrogat. Audiamus LEONEM in ſua novella Conſtitutione ſecunda:

32. " Cum ſacroſancti divinique Canones, & quicunque alii de Sacer-
„ dotio ac Epiſcoporum creatione ſtatuere, IN OPTIMUM numeriſque
„ omnibus plenum editi ſint modum; mirari ſubit, quomodo non veriti

„ nonnulli ſint, ſacras divinaſque leges, TANQUAM ILLÆ ABSO-
„ LUTÆ NON ESSENT, promulgatis aliis legibus ABROGARE „.
Vide ex Leonis Sapientis Imperatoris ſententia, quid illi tandem agant, qui proponunt ſibi AUGERE CANONES IN MELIUS.

33. Pergit Leo referens memoratum JUSTINIANI Decretum. " Quod
„ ideo (ſubdit) fortaſſe in animum induxerunt, quod iſtiuſmodi affectione
„ quadam erga liberos ſacras facultates (Epiſcopus ille) oblæſurus videatur.
„ VERUM non recte ſeſe illa ratio habet. Sic namque ne fratribus aliiſve
„ cognatis ſuperſtitibus acceſſum quiſquam ad Epiſcopatum haberet: ſiqui-
„ dem & ad hos ſanguinis propinquitatiſque affectio reſpicit „.

34. Tandem decernit, " ut a lege, quæ contradicere auſa fuit (Canonum ſententiæ ac Patrum judicio) „ IN AUDACIÆ POENAM per-
„ petuum in futurum exigatur ſilentium „.

35. Nunc LEONEM Sapientem Imperatorem audiamus, alteram JUSTINIANI legem de Ordinatione Subdiaconorum emendantem in ſua Conſtitutione 75: " Sacra decreta in ſuis rebus civilibus legibus prævalent.
„ Sexta Synodus vicenarium Hypodiaconum ordinari poſſe ſancit: huic vero
„ civilis lex contradicens viginti annis quinque admetiri jubet „.

36. " Nos itaque, uti SACRAM LEGEM ſacer Ordo ſequatur, con-
„ venire rati, ut ad Hypodiaconatum, qui quidem eo digni ſunt, anno ætatis
„ ſuæ vigeſimo admittantur, ſancimus „.

37. Sed hac ipſa de re legem ediderat jam LEO in novella Conſtitutione 16, uſus contra JUSTINIANUM ea ratione, quam ipſum naturæ teſtimonium dictat, edicens nempe, hujuſmodi res ſecundum CANONES eſſe ordinandas, quia in ſua cuique arte & profeſſione plus haberi debet fidei: " Vetus verbum (ait) quod DE REBUS SUIS dicenti, aures eſſe ape-
„ riendas monet ..... Dignum itaque SACRAM LEGEM DE REBUS
„ SUIS præcipientem audire Imperatoria noſtra Majeſtas rata, & in eandem
„ cum illa ſententiam deſcendit & ſtatuit &c. „.

38. Video cuncta hoc loco Imperatoria Majeſtate ac ſapientia digna; video TUTOREM VETUSTATIS AC VINDICEM; video CURAM SERVANDÆ VETUSTATIS: video tandem Principem ſibi caventem ab inſidioſo illo ac fallaci ſtudio diſciplinam ac Canones IN MELIUS AUGENDI.

39. Iſta addere viſum eſt pro interpretatione ſententiæ illius JUSTINIANI in Reſcripto ad Bizacenum Metropolitam; quæ ceteroqui ſatis eſt tum anceps, tum ambigua.

40.

40. Regulæ vero univerſalis loco hic ſit ſententia NATALIS ALEXANDRI, viri candidi & ingenui, ac ſolius Catholicæ Veritatis amici, in Hiſtor. Eccl. Seculi ſexti Cap. 7, Art. 2: "Si quas novas leges tulit de ec-„ cleſiaſtica DISCIPLINA JUSTINIANUS, vim illæ non habue-„ runt ullam, niſi quia ſunt ab Eccleſia receptæ & approbatæ. Sicut enim „ leges de rebus MERE CIVILIBUS in Conciliis promulgatæ nullius „ ſunt roboris, niſi quia ratæ habentur a Principibus laicis: ita nec leges „ de REBUS ECCLESIASTICIS a ſecularibus Principibus conditæ „ ullius ſunt momenti, niſi ab ECCLESIA ratæ habeantur „. Cui ſententiæ nemo qui ſapiat, non lubentiſſime ſubſcribet.



CAPUT X.

Ex CAPITULARIBUS Regum Francorum non demonſtratur, licere Principi laico Leges novas de rebus eccleſiaſticis condere, non ſolum contra Canones, ſed nec præter & ULTRA CANONES. Origo & indoles CAPITULARIUM narratur & exponitur. Adduntur aliqua de MISSIS DOMINICIS ſeu Legatis Regalibus medii Ævi.

1. In minutis quorundam Scriptorum libris nihil hodie frequentius eſt quam videre allegari CAPITULARIA Regum Francorum. Quod eorum factum non alio pertinet, niſi ad turbandos fines Juriſdictionum, ſpiritualis & terrenæ, ſeu ad excitandum in Principe laico ſtudium diſponendi externam ſeu publicam Eccleſiæ diſciplinam proprio arbitratu, ſin contra Canones, ſaltem præter & ULTRA CANONES.

2. Sed huic ſuo conſilio patrocinium profecto non quærerent ex CAPITULARIBUS, niſi ignorarent, quæ ſit origo & indoles Capitularium, ſeu qua ratione ſint condita, & quibus ex fontibus educta. Videamus modo de primo, ſeu de methodo, qua condita fuerunt CAPITULARIA.

3. Monitum tamen ſimul Lectorem volo, hanc me ſuſcipere iſtius rei explanationem, tantum ut doceam, quomodo res ſe vere habuerit, non ulla defenſionis neceſſitate. Nam argumentis omnibus, quæ ab exemplis & factis, vel ex LEGIBUS præteritorum temporum peti ſolent, generatim occurrimus *Cap. XII* eo defenſionis genere, adverſus quod nulla calliditas, nullave conſilia valebunt. Sed venio ad rem.

I. *Ratio rerum tractandarum in Synodis generalibus seu CONVENTIBUS MIXTIS Regni ac Imperii Francorum exponitur ad CAPITULARIUM ORIGINEM assequendam.*

4. UBI primum adnoto, in Regno ac Imperio Francorum quoties status rerum politicus disponendus erat, aut erant populis dandæ LEGES AD CIVILEM POLITIAM spectantes, fuisse in more positum, ut generalia Regni Comitia convocarentur, ad quæ Ordo uterque, Laicus & SACERDOTALIS conveniebat, ut sententiam suam & ASSENSUM CUM SUBSCRIPTIONE interponeret.

5. Atque hoc plane ritu CAPITULARIA ea, qua rebus CIVILIBUS ac secularibus ordinem dant, condita fuere. Quod probatione non indiget, postquam ex Capitularium ipsorum testimonio in plena luce fuit positum a Stephano BALUZIO *in Præfatione ad Capitularia num.* 7 *&* 8.

6. Sed ne cui forte mirum vel novum contingat, eam legum secularium ferendarum rationem olim obtinuisse; admonebo, hos ipsos mores sub LONGOBARDIS quoque Regibus, & post eos diutius in Italia obtinuisse, uti MURATORIUS ex ipsis Longobardorum Principum legibus & ex posterioribus evincit *in Antiquit. Medii Ævi Dissert. XXII.* Hic sola Muratorii verba recito:

7. " Tunc leges (ait) non ab uno arbitrio ac providentia Principis, „ ejusque Consistorii manebant (forte *manabant*); sed opus erat, ut iis acce- „ deret *consilium & consensus* Ordinum & Primatum Regni „.

8. " Singulis ergo annis consueverunt Italiæ Reges generalia Regni CO- „ MITIA habere. Eo hac de causa confluebant præter Palatinos etiam Pro- „ ceres Regni, hoc est, *Duces* & *Judices*, qui *Comites* sub Francis postea sunt „ nuncupati, sive Præsides urbium, & militiæ Præfecti „.

9. "EPISCOPI quoque, præsertim SUB FRANCIS & GER- „ MANIS coibant illuc. In iis Comitiis, non secus atque in sacris Epi- „ scoporum Conciliis NOVÆ LEGES edendæ proponebantur, expende- „ bantur. Neque antea illas promulgare mos fuit, quam eas probasset Pro- „ cerum cætus. In calce sui Edicti ROTHARIS Rex hæc scribit &c. „.

10. Recitatis verbis Longobardorum plurium Regum; pergit MURATORIUS: *Quas etiam CAROLUS MAGNUS Italico Regno observandas proposuit, ipse non aliter sanxit, quam* congregatis in unum Episcopis, Abbatibus,

bus, viris illuſtribus, *uti ex ejus Præfatione didicimus.* Excurrit MURATORIUS per poſteriores Principes uſque ad FRIDERICUM I. Imperatorem: tum finem facit dicendo:

11. "Neque aliam conſuetudinem in ferendis novis legibus fuiſſe „ FRANCORUM, Alemannorum, aliarumque gentium Regibus, tum ve- „ terum monumenta, tum SCHILTERUS, aliique juris publici germanici „ ſcriptores, multis oſtendunt „.

12. Ab hujuſmodi ergo generalibus Regni Comitiis occaſione ſumpta, Epiſcopi Regni ac Imperii Francorum præſertim, quoniam magno numero erant in unum collecti, SYNODUM de rebus eccleſiaſticis eo ipſo in loco celebrare ſeorſim a laicis viris conſueverunt: itemque ABBATES & Monachi ſuas ſibi res ſejunctim decernebant.

13. Sed eodem tempore LAICI quoque Proceres in ſeparatum item locum collecti ea parabant vel dirimebant, quæ ad diſciplinam politicam ſpectarent. Quod ſi cauſæ natura id expoſceret, tres iſti diviſi cætus ſubinde in unum iterum coibant.

14. Et earum quidem SYNODORUM epiſcopalium plurimæ ſuis cum Canonibus ſeu Capitulis ad nos uſque pervenerunt; & reperiuntur tum in collectione maxima Conciliorum, tum in editione CAPITULARIUM Baluziana.

15. Nec ſolum iſtæ nobis Synodi ſervatæ ſunt; ſed LEGES etiam LAICALES ſeparatim habemus, quæ in generalibus illis Regni & Imperii Francorum Comitiis communi Procerum, EPISCOPORUM, ABBATUM conſenſu, & ſubſcripione latæ fuerunt: & iſtas quoque leges videre licet frequentius in collectione CAPITULARIUM laudata.

16. Hæc quæ propoſui, oportet nunc monumentis ac teſtibus comprobem; ad evincendum, CAPITULARIA, qua parte ECCLESIASTICAS res tangunt, a ſolis eccleſiaſticis Præſulibus condita fuiſſe, occaſione illorum generalium Comitiorum Regni & Imperii Francorum, ad ſtatum rerum publicum ſeu civilem diſponendum ex ordine eccleſiaſtico & laico congregatorum.

17. Docebo iſtud primo loco ex ADALHARDO Abbate Corbejenſi, propinquo & conſiliario CAROLI MAGNI, in libro *de Ordine Palatii*; cujus libri ſynopſin debemus HINCMARO Remenſi, qui eam refert in Opuſculo ſuo 14, num. 12 & ſeqq. *pag.* 206 *&c. tomi* 2 *Operum edition. SIRMONDI.*

18.

18. Inter *Placita* ſeu Regni Conventus, qui bis anno quolibet, Carolo Magno imperante, habebantur; erat unus, ſolemnior ac altero frequentior; *in quo* (ait HINCMARUS num. 29 & 30) *generalitas univerſorum majorum tam Clericorum quam laicorum conveniebat.*

19. Sed Conventus alter ſeu minus ſolemnis a Rege *cum ſenioribus tantum & præcipuis conſiliariis habebatur; in quo futuri anni ſtatus tractari incipiebantur.*

20. In eo ſolemniori ac frequentiori conventu " utraque ſeniorum „ ſuſceptacula (inquit num. 35), ſic in duobus diviſa erant, ut primo omnes „ EPISCOPI, ABBATES, vel hujuſmodi honorificentiores Clerici ABS- „ QUE ULLA LAICORUM COMMIXTIONE congregarentur. Simili- „ ter Comites, vel hujuſmodi Principes ſibimet a cetera multitudine primo „ mane ſegregarentur ...... „.

21. " Qui cum ſeparati a ceteris eſſent, in eorum manebat poteſtate, „ quando ſimul, vel quando ſeparati reſiderent, prout eos TRACTANDÆ „ CAUSÆ QUALITAS docebat, ſive de Spiritualibus, ſive de Seculari- „ bus, ſeu etiam COMMIXTIS „.

22. Vides hoc loco *Placitum* ſeu Conventum generalem Regni; ſimul vero vides SYNODUM, ubi de rebus ECCLESIASTICIS ſeorſim agunt & deliberant EPISCOPI.

23. Huic rationi diſponendi ſtatum eccleſiaſticum, ac ordinandi politiam Regni in generalibus Francorum Comitiis lucem afferet *Præfatio* Concilii MOGUNTINI, CAROLI MAGNI juſſu anno 813 celebrati.

24. " Convenit nobis (ajunt), de noſtro communi collegio clerico- „ rum, ſeu laicorum, tres facere turmas, ſicut & fecimus. In prima autem „ turma conſederunt EPISCOPI cum quibuſdam notariis, legentes atque „ tractantes ſanctum Evangelium, nec non epiſtolas & actus Apoſtolorum, „ CANONES quoque ac diverſa ſanctorum Patrum opuſcula, paſtoralem- „ que librum Gregorii, cum ceteris ſacris dogmatibus; diligenti ſtudio per- „ quirentes, quibus modis ſtatum ECCLESIÆ Dei, & chriſtianæ plebis „ profectum ſana doctrina & exemplis juſtitiæ inconvulſum perficere & con- „ ſervare potuiſſent „.

25. " In alia vero turma conſederunt ABBATES ac probati MO- „ NACHI, regulam ſancti Benedicti legentes, atque tractantes diligenter, „ qualiter monachorum vitam in meliorem ſtatum, atque augmentum cum „ Dei gratia perducere potuiſſent „.

26. " In tertia denique turma federunt COMITES & JUDICES
" in mundanis legibus decertantes, vulgi juftitias perquirentes, omniumque
" advenientium caufas diligenter examinantes, modis quibus poterant jufti-
" tias terminantes ". *Concilior. Tom. IX col.* 327 *edit. Ven. Colet.*

27. Habemus hic Conventum tergeminum, ubi Synodus Epifcoporum, Capitulum Monachorum, Curia Magiftratuum uno tempore habebantur.

28. Simili modo Anno 852 juffu LUDOVICI Regis Germanici alia habita eft MOGUNTINA Synodus, ubi feparatim Epifcopi de rebus ecclefiafticis, Proceres UNA CUM REGE de temporalibus pertractarunt; uti ex ANNALIBUS Francorum FULDENSIBUS difcimus *pag.* 552 *Tomi 2 Scriptorum Francorum DUCHESNII.*

29. " Habita eft Synodus (ajunt Annaliftæ) ex voluntate atque præ-
" cepto Principis in civitate Mogontia Metropoli Germaniæ, præfidente
" HRABANO ejufdem urbis Archiepifcopo, cum omnibus Epifcopis atque
" Abbatibus Orientalis Franciæ, Bajoriæ, & Saxoniæ. Et illi quidem de
" abfolvendis quæftionibus ECCLESIASTICE tractatum habebant, REX
" VERO CUM PRINCIPIBUS & Præfectis Provinciarum publicis caufis
" litibufque componendis infiftens, poftquam &c. ".

30. Ne rem pluribus exemplis onerem; fatis fuerit ea protuliffe, quæ ANNALES LAMBECIANI narrant de Synodo AQUISGRANENSI anno 802, & feq. juffu CAROLI MAGNI habita:

31. " Domnus Cæfar Carolus congregavit UNIVERSALEM Synodum,
" & ibi fecit EPISCOPOS cum Presbyteris relegi univerfos Canones, quos
" fancta Synodus recepit, & decreta Pontificum ...... ".

32. " Similiter in ipfa Synodo congregavit univerfos ABBATES ET
" MONACHOS, qui ibi aderant; & IPSI INTER SE CONVENTUM
" FACIEBANT, & legerunt regulam fancti Patris Benedicti....... ".

33. " Sed & ipfe IMPERATOR, INTERIM QUOD IPSA SYNO-
" DUS FACTA EST, congregavit Duces, Comites; & fecit omnes leges
" in Regno fuo legi, & tradi unicuique hominum legem fuam ": Rer. Italicar. Scriptor. Tom. 2, Par. 2, col. 115, feq. Et gemina habet CHRONICON MOISSIACENSE ad annum 802 *pag.* 144 *tomi tertii Scriptorum DUCHESNII.*

34. Atque in hac Synodo Aquifgranenfi (quod fine animadverfione non eft prætereundum) Stephanus BALUZIUS per juftam conjecturam ponit factum fuiffe CAPITULARE primum ECCLESIASTICUM anni 803 a fe editum *col.* 379, *feqq. tomi* 1, *edit. Parif.*

35. Sequitur autem in eodem Capitularium tomo *col.* 391, *seqq* Capitulare tertium anni ejusdem 803, totum fere res mere TEMPORALES ET CIVILES respiciens; quod item ex eo generali AQUISGRANENSI Conventu prodiisse argumento est Nota, quæ illi subjicitur: " Hoc fuit „ datum ad Aquis in tertio anno imperii Domni Karoli Augusti, QUAN- „ DO SYNODUS ibi magna fuit „. Legantur Notæ BALUZII in tomo altero Capitularium col. 1058, & seq.

36. Sic vero Synodi seu Conventus istius mixti Aquisgranensis non modo Capitula ecclesiastica Clericorum, sed civilia quoque laicorum ad nos pervenerunt. Et vide, quæso, tam ex Nota illa (si in ea bene video), subjecta Capitulari tertio, quam ex postremis Annalium Lambecianorum verbis (non secus ac in Annalibus FULDENSIBUS ante prolatis) perspicuam apertamque distinctionem inter cætum Imperatoris, Ducum & Comitum de politia civili deliberantium ex una parte; & inter Synodum Episcoporum & Abbatum de ecclesiastica disciplina decernentium ex alia.

37. Hac vero cognita methodo in Capitularibus ecclesiasticis condendis usitata, cujus ad nos memoriam ex ADALHARDO Corbejensi HINCMARUS transmisit, & quæ ex ipsis actis Comitiorum seu Synodorum Regni generalium comprobatur: patefacta nobis est via ad plurima intelligenda loca tum CAPITULARIUM ecclesiasticorum, tum Synodorum Carolingica progenie imperante habitarum.

38. Intelligendum scilicet est, etsi ibi laicorum non rara sit mentio, Capitula tamen ea seu ecclesiasticas leges ipsos sibi Viros ecclesiasticos digessisse ac decrevisse, seorsim a laica potestate; etsi id minus sit in Synodorum illarum actis expressum.

39. Et merito sane Ludovicus THOMASSINUS *Discipl. Eccles. Par.* 2, *Lib.* 3, *Cap.* 47 *&* 51 plures Synodos seculi octavi & noni, in quibus Ordo uterque, ecclesiasticus & laicus reperitur commemoratus; eo modo se habuisse intelligit, sicuti ea se habuerunt, quæ supra protulimus. Harum vero ipsarum Synodorum decretis collectio CAPITULARIUM Regum Francorum referta est.

40. Hoc ergo modo THOMASSINUS statuit de Concilio LIPTINENSI Carlomanno Principe celebrato, & de SUESSIONENSI anni 744; quod utrumque concilium in Tomo 1 Capitularium Francorum BALUZII repositum est.

41. Pari modo THOMASSINUS cogitat de Conciliis Carolo Magno & progenie illius regia imperante celebratis; non modo de MOGUNTINIS duobus a nobis allatis superius, verum etiam de AQUISGRANENSIBUS duo-

duobus, uno anni 817 Abbatum Franciæ cum Monachis ſuis; altero, anni 819, (de quo mox dicam) ſub Ludovico Pio: item de Concilio ATTINIACO anni 822, (de quo dicam poſtea); & de Conciliis aliis.

42. Ex laudato AQUISGRANENSI Concilio ſeu mixto Conventu Aquiſgrani habito anno 819 ſervatum nobis eſt inter CAPITULARIA Regum Francorum Capitulare primum anni ejuſdem, Ludovici Pii, ad TEMPORALIA ordinanda ſpectans: & in Baluziana Editione Capitularium Pariſienſi extat *Tomo I. col.* 597 *ſeqq.* cum hac præfatione:

43. "Hæc Capitula Domnus Hludouvicus Imperator cum univerſo cætu „ populi in Aquiſgrani palatio promulgavit atque Legi Salicæ addere præce- „ pit. Ipſeque poſtea &c. „. Lege Not. Baluzii Tom. 2 col. 1105.

44. Sed Decreta ECCLESIASTICA Epiſcoporum hujus Synodi an ulla ſuperſint, ignoro. Nam in Tomo nono Conciliorum *edit. Venet. Colet. col.* 611 pauca hoc de Concilio narrantur; nec aliud præterea profertur.

45. Interim ex hoc item Concilio ſecretio illa evinci poſſe videtur, quæ inter eccleſiaſticas res ac civiles eo tempore obtinebat, & quam propoſui ſupra.

46. Iiſdem Capitularibus Regum Francorum BALUZII *Tomo* 1 *cit. col.* 631 *&c.* inſertum ſimiliter eſt ex memorato Concilio ſeu generali Conventu ATTINIACENSI anni 822 Capitulare Ludovici Pii "admonitionem „ generalem continens ad UTRIUSQUE ORDINIS homines, cum in- „ ſtructione MISSORUM dominicorum, quos Imperator in diverſas regni „ provincias deſtinabat „. Aſſentitur enim BALUZIUS in Notis Sirmondo, qui Capitulare illud in Conventu Attiniacenſi editum fuiſſe putat.

47. Jam iſtius quoque Capitularis fontem vides; unde videre etiam licet, quam non ſit difficile, primas Capitularium origines eruere. Adeas & Tomum nonum citat. Conciliorum col. 623--634.

II. *Regum Francorum CAPITULARIA nunc propius inſpiciuntur*

48. His poſitis ſi lubeat BALUZIANAM Capitularium editionem propius inſpicere; cuncta erunt (quantum ad rem noſtram attinet) expedita ac perſpicua; & docebimur, eccleſiaſticos Viros Capitularia ECCLESIASTICA ſolos conſtituiſſe.

49. Exempli cauſa in Præfatione Capitularis SUESSIONENSIS dati anno 744 in Sueſſionenſi memorata Synodo ita PIPPINUS Francorum Princeps proloquitur *pag.* 155 *Tomi* 1 *Capitularium Edit. Pariſienſis:* "Dum pluribus

„ non habetur incognitum, qualiter nos una cum consensu Episcoporum sive „ Sacerdotum vel servorum Dei consilio, sive Comitum & Optimatum Fran„ corum, COLLOQUII apud Suessionis civitatem Synodum vel Conci„ lium facere decrevimus: quod ita in Dei nomine & fecimus „. Quibus „ verbis Capitula ecclesiastica subjiciuntur.

50. Per quæ verba etsi PIPPINUS Princeps primas sibi in eo ecclesiastico Capitulari condendo tribuere forte partes videatur; secus tamen se res habet. Quod ut ita statuamus, cogit nos Capitulum ultimum, in quo ecclesiastica illa decreta non amplius Principi adscribuntur, sed Episcopis.

51. " Si quis hoc decretum, quod XXIII Episcopi cum aliis Sacerdo„ tibus vel servis Dei UNA CUM CONSENSU PRINCIPIS Pippini „ vel Optimatum Francorum CONSILIO constituerunt, transgredi vel „ legem irrumpere voluerit, vel despexerit, judicandus sit ab ipso Principe „ vel Episcopis vel Comitibus „.

52. Episcopi ergo Capitulare ecclesiasticum constituerunt, Princeps autem est assensus una cum Optimatibus; etsi Capitularis prologus ipsa statim fronte præ se ferat oppositum.

53. Relatum est inter Capitularia Regum Francorum *Tomo* I *ejusdem edit. col.* 579 *& seqq.* celebre Capitulare AQUISGRANENSE de vita & conversatione MONACHORUM, conditum anno 817 in Conventu Aquisgranensi, quem cum THOMASSINO memoravimus paulo superius, quo Abbates Franciæ cum Monachis suis confluxerant, præter Imperatorem LUDOVICUM Pium, Episcopos, & Regni Proceres.

54. Sed Capitulare illud soli sibi ABBATES cum Monachis sanxerunt, communi autem consilio totius Conventus, seu Regis, Episcoporum, ABBATUM, & Procerum ordinata fuere, ut moris erat, TFMPORALIA.

55. Hæc ecclesiasticarum rerum a civilibus discretio, & tractatus ecclesiasticus a civili distinctus apperte ibi cernitur: nec est, cur ullus Capitulare illud Monasticum Decretis REGALIBUS accenseat; quod immerito factum hoc tempore vidi. Profero in primis præfationem Capitularis:

56. " Anno Incarnationis D. N. Jesu Christi 817, cum in domo Aquis„ grani palatii Abbates complures una cum suis resedissent Monachis (alios hic residentes non video) „ hæc quæ subsequuntur capitula communi consilio „ ac pari voluntate inviolabiliter a Regularibus CONSERVARI DE„ CREVERUNT „. Tum ponuntur Capitula octoginta ad disciplinam monasticam spectantia.

58.

57. Proxime vero ſequitur Decretum ad TEMPORALIA negotia diſponenda ſpectans: & videamus ſane hujus Decreti prologum: " Anno In-
„ carnationis D. N. Jeſu Chriſti 817 HLUDOUVICUS Auguſtus conventum
„ fecit apud Aquis ſedem regiam (id eſt, Aquiſgrani) Epiſcoporum, Abba-
„ tum, ſeu totius ſenatus Francorum; ubi inter ceteras diſpoſitiones IMPE-
„ RII ſtatuit atque conſtitutum ſcribere fecit, quæ monaſteria in regno vel
„ imperio ſuo dona vel militiam facere poſſunt, quæ ſola dona ſine militia,
„ quæ vero nec dona nec militiam, ſed ſolas ORATIONES pro ſalute
„ Imperatoris vel filiorum ejus & STABILITATE IMPERII „. Prologo ſubjicitur enumeratio hujuſmodi Monaſteriorum: in fine vero adduntur iſta:

58. " His prædictis monaſteriis præfatus Imperator, ſicut ſupradictum
„ eſt, ſtatutum ſcribere fecit, atque MANU SUA FIRMAVIT, & ANNU-
„ LO SUO imperiali ſigillare fecit „.

59. Horum nihil ſimile video vel initio vel in fine Capitularis de diſciplina MONASTICA: non aliam ſcilicet ob cauſam, niſi quia, etſi MIXTUS ibi haberetur CONVENTUS, Abbates tamen ſoli cum Monachis illud ſibi ſeorſim conſtituerunt, ut moris erat.

60. Conſiderandum pariter eſt ad annum 801 *pag.* 358 Capitulare, quod minime Regibus Francorum, ſed EPISCOPIS adſcribitur. Nam titulum habet: *Capitulare EPISCOPORUM.* Proœmium autem eſt hoc modo:
" Hæc ſunt Capitula ex divinarum ſcripturarum ſcriptis, quæ electi SACER-
„ DOTES cuſtodienda atque adimplenda cenſuerunt „. Expecto, dum in hoc quoque Capitulari Regiam Poteſtatem videre ſibi quiſpiam forte videatur.

61. Nunc poſtquam novimus, eodem loco ac tempore habitum fuiſſe Placitum laicorum, & Synodum eccleſiaſticorum; nulla nobis divinatione opus eſt, ut ſententiam aſſequamur capitis XII, anni 779. (*Capitular. Baluz. tom.* I, *cit. col.* 197), ubi Carolus Magnus ſic effatur: " Capitula quæ bonæ
„ memoriæ genitor noſter Domnus Pippinus Rex in ſuis PLACITIS conſtituit
„ & in SYNODIS, conſervare volumus „.

Proponit enim hoc loco CAROLUS cuſtodiam eorum, quæ de cauſis civilibus per Magiſtratus & Primores Regni decreta fuerant in PLACITIS ſeu Conventibus publicis totius Regni Ordinum; & eorum quæ de cauſis eccleſiaſticis ſancita fuerant in SYNODIS per Epiſcopos, occaſione eorumdem Conventuum ſeu Comitiorum Regni.

62. Agnoſco tamen, inter eas SYNODOS, quas capite XII recitato jubet Carolus obſervari, eas quoque numerandas eſſe, quæ extra tempus ac locum generalium Comitiorum convenerant juſſu PIPPINI; cujuſmodi inter

alias fuit Synodus VERNENSIS; quam in tomo primo Capitularium Baluzii habes *pag.* 167 *&c.*; & ad quam Pippinus " universos pene Galliarum Epi-
" scopos aggregari fecit, recuperare aliquantisper cupiens instituta canonica";
ut in Concilii Præfatione dictum est.

63. Agnosco etiam, eas ibi pariter Synodos Episcoporum intelligi debere, quibus, cum nullus tunc Conventus Regni generalis haberetur, adfuerat Rex ut promotor ac PROTECTOR; seu ut Ecclesiæ, ita & Synodi defensor, & pacis ac ordinis vindex.

64. Quo eodem PROTECTIONIS nomine CAROLUS CALVUS manifeste professus est se adesse Synodo Suessionensi anno 853 celebratæ; quam Synodum habes inter illius Imperatoris CAPITULARIA Tit. XI *tom.* 2, *Capitularium edit. Parisien. cit. col.* 50 *&c.*; una cum mandatis ad MISSOS DOMINICOS, quorum mandatorum mentio fit in septimo ejusdem Concilii Canone. Relecta enim sunt in Synodo, Imperatore jubente, & ab EPISCOPIS approbata. Dabo ex ea Synodo verba Procemii:

65. " Episcopis juxta instituta Canonum Synodum celebrare volenti-
" bus annuit Rex Karolus; ubi ipse quoque Rex adesse dignatus est, ut non
" solum devotione Ecclesiæ SE FILIUM ESSE ostenderet, verum etiam
" sicubi opus esset, PROTECTOREM regia potestate monstraret".

66. Adeo vero Regibus & Imperatoribus Francorum perspectum erat, quodnam inter res civiles & res ecclesiasticas, solum etiam EXTERIORES, discrimen eos ponere oporteret, & quantum inter PLACITUM seu Curiam Magistratuum & Procerum, & SYNODUM Episcoporum interesset; ut in Placito Imperiali ipsi exercerent mandata; in Synodis vero ab Episcopis discerent quid sequerentur, idque reverenter exciperent.

67. Atque huc faciunt *in tomo altero Capitularium col.* 7 *&* 19 Præfationes Synodi ad Teudonis villam & Synodi Beluacensis, quæ anno 845 celebratæ sunt; ubi Imperatores promittunt, se Capitula Synodorum religiose servaturos. Præfationis seu inscriptionis primæ verba hæc sunt:

68. " Sequuntur capitula quæ acta sunt in Synodo secus Teudonis villam
" habita, quæ Hlotharius, Hludouvicus, & Karolus ante se fidelesque eorum
" relectæ adprobaverunt, & SE EADEM SERVATUROS auxiliante
" Domino promiserunt".

69. Præfatio autem Beluacensis Synodi hæc habet de Karolo Calvo:
" Hæc capitula collata sunt inter Principem Domnum Karolum & Episco-
" pos Regni sui: & eadem idem Princeps Deo teste sub fidei suæ adstipula-
" tione SE SERVATURUM PROMISIT erga omnes Ecclesias & Episco-
" pos

„ pos Regni ſui: quæ ad vicem omnium Epiſcoporum ſui Principatus, qui „ erant, quique futuri erant, de manu Epiſcoporum conſervanda ſuſcepit „.

70. Ad hæc advertere animum eos oporteret, qui in Collectionibus CAPITULARIUM nihil legunt, quin ſimul regiam ibi in res eccleſiaſticas poteſtatem videant. Etinamne regiam ibi in eccleſiaſticas res poteſtatem vident, ubi Imperatores Franci profeſſi ſunt, judicium quodpiam eccleſiaſticum vires ſuas excedere, illudque ideo ſe Synodo relinquere?

71. Hujuſmodi ſane eſt Capitulum anni 803 de purgatione Sacerdotum ab objectis criminibus; quod CAROLI MAGNI eſt, & locum habet in tomo primo Capitularium edit. Pariſ. pag. 386. " Iſta vero omnia (ait „ Carolus), quia vires noſtras excedunt, in judicio Epiſcoporum JUXTA „ CANONICAM SANCTIONEM definienda relinquimus; ut hæc, quando „ orta fuerint, ita definire ſatagant, ut &c. „.

III. *Ad faciliorem Capitularium Francorum interpretationem agitur de SYNODIS REGIIS ſub Regibus ac Imperatoribus FRANCORUM uſitatis.*

72. Etſi in Capitularibus inter eccleſiaſtica & politica, ſeu inter Placitum & Synodum diſtinctio frequens ponatur; deſideratur ea tamen nonnunquam. Sic vix ulla quoad perſonas diſtinctio extat in Capitulari Caroli Magni anni 779; cujus hoc eſt Procœmium (tom. 1 cit. Baluz. pag. 195): " Anno undecimo Regni Domni noſtri Karoli, facto Capitulare, qualiter „ congregatis in unum ſynodali Concilio Epiſcopis, Abbatibus, viriſque „ illuſtribus Comitibus, una cum piiſſimo Domno noſtro pro cauſis opportunis conſenſerunt decretum „.

73. Sed iſtius rei cauſa fuit, quia Capitulari hoc plura mere TEMPORALIA ſeu civilia decernuntur, quam eccleſiaſtica: quare oportuit ea communi ſententia decerni ſeu communi nomine promulgari, quæ ad Ordinem utrumque, eccleſiaſticum & laicum, ſpectarent.

74. Et erravit ſane Petrus DE MARCA *Concord. Lib. 6, cap. 15, num. 5*, qui videns, Capitulare hoc fuiſſe decretum ex ſententia Epiſcoporum, Abbatum, & COMITUM cum conſenſu REGIS; cogitavit, id ob eam cauſam factum eſſe, " quia cum CANONES de diſciplina lati ad Rempu- „ blicam ſpectarent, materia hæc ab Epiſcopis ſimul cum laicis tractabatur, „ nec aliud Epiſcopis ſolis permittebatur quam quæſtiones MERE SPIRI- „ TUALES „. Sed labitur MARCA; & aliunde id natum eſſe vidiſſet, ipſos Capitularis articulos obiter percurrendo.

75.

75. Propius forte ad verum attigiſſet MARCA, Conventum illum, unde iſtud prodiit Capitulare, accenſendo illis SYNODIS REGIIS, de quibus & ipſe locutus eſt in Opere de Concord. *ibid. Cap.* 24, *num.* 5 & *Cap.* 32: & quæ ſpeciem a *Synodis eccleſiaſticis* diſtinctam faciunt, quibus ſoli Epiſcopi, Abbates, & Presbyteri pro rebus eccleſiaſticis in ordinem redigendis intererant.

76. Scilicet SYNODUS REGIA erat ea, "quæ non ſolum ex Epiſcopis conſtabat, ſed etiam ex Optimatibus & Comitibus regni; in qua omnium ſuffragiis condebantur ſtatuta ad diſponendam politiam eccleſiaſticam ET CIVILEM ", ut MARCA ipſe cap. 24 loquitur; in quo ei ſuffragatus eſt BENEDICTUS XIV *de Synod. Diœceſ. Lib.* 1, *cap.* 1 *num.* 2.

77. De qua SYNODO REGIA interpretari licet Canonem quartum Synodi VERNENSIS anno 755, habitæ (*in tom.* 1 *Capitular. Baluz. col.* 169), ubi edicitur, "ut bis in anno Synodus fiat. Prima Synodus menſe primo, quod eſt Martias Kalendas, ubicunque Domnus Rex juſſerit; IN EJUS PRÆSENTIA. Secunda Synodus (eccleſiaſticam MARCA intelligit) Kalendas Octobris ubi in Martias Kalendas (occaſione Synodi Regiæ) inter ipſos Epiſcopos convenit".

78. Inter has vero *Synodos Regias* recenſere item licebit Synodum TICINENSEM (*in Tom.* 2 *Capitular. Baluz. pag.* 239), Carolo Calvo Imperatore anno 876 celebratam, & in Synodo PONTIGONENSI eodem anno confirmatam. In qua Synodo Ticinenſi tum de re eccleſiaſtica tum de SECULARI "Domnus Imperator Karolus fecit capitula una cum conſenſu & ſuggeſtione venerabilium Epiſcoporum & illuſtrium Optimatum reliquorumque fidelium ſuorum". Capitulis autem illis ſubſcribunt, ut moris erat, Epiſcopi omnes & Optimates.

79. Inter eaſdem *Synodos Regias* reponere ſimiliter poſſumus Synodum PISTENSEM, quæ eodem Carolo Calvo Imperatore anno 862 congregata eſt, & cui una cum Imperatore adfuerunt Epiſcopi, Abbates, & Comites, ceterique fideles; & extat *in tomo* 2 *laudato Baluz. col.* 153 *ſeqq.* Incipit autem Caput Synodi primum: "Reges & EPISCOPI, qui ante nos fuerunt, cum ceterorum fidelium Dei conſilio atque conſenſu plura STATUERUNT capitula".

80. Adverſus rapinas autem & deprædationes bonorum, præcipue ECCLESIASTICORUM, pœnæ decernuntur temporales & ſpirituales, nunc *communi placito*, nunc a ſolis Epiſcopis ſeorſim. Rem ſoli EPISCOPI abſolvunt, pronunciantes: "Nos quoque Epiſcopi auctoritate Dei & ſacrorum Canonum, ut hæc Capitula, ita & illa omnia quæ in ſupraſcriptis

„ locis,

„ locis, ſcilicet in CARISIACO (anni 857, de qua Synodo hic proxime „ dicam), „ & apud Valentianas collecta & conſtituta ſunt, obſervari „ PRÆCIPIMUS, & omnes communiter CONFIRMAMUS......; „ & propriis manibus his ſubſcribere communi conſenſu decrevimus „.

81. Intelligis jam, quam merito Synodum hanc PISTENSEM inter *regias ſynodos* computaverim. Quare & SIRMONDUS in Notis ad hanc Synodum (*col.* 788 *tomi* 2 *Capitularium BALUZII*) admonendum cenſuit, eam " in privilegio de libertate S. Dionyſii appellari SYNODUM REGA- „ LEM, quia Rex aderat, & ſynodum univerſalem, quia ex diverſis pro- „ vinciis convenerant Epiſcopi „. Lege & PAGIUM *ad an. Chr.* 862 *num.* 10 *& ſeq.* Hanc ipſam Synodum habes auctiorem in Collectione Conciliorum *Tom. X col.* 245 - - 258 *edit. Ven. Colet.*

82. In numero *Synodorum Regiarum* habeo pariter Synodum CARISIACAM antea commemoratam (*in altero Baluzii Capitularium tomo col.* 87 - - 98) ab eodem Carolo Calvo Imperatore anno 857 cum Epiſcopis ac fidelibus habitam; in qua pari ratione modus quæſitus eſt ad vim, injurias, & RAPINAS conſpiratione poteſtatis utriuſque, eccleſiaſticæ & laicæ, comprimendas; & ex qua Capitula item quædam regalia ad MISSOS DOMINICOS ea ipſa de re fuere data; quæ ibi pag. 95, (ut in SUESSIONENSI quoque vidimus num. 64), dicuntur *confirmata fuiſſe ab Epiſcopis, Abbatibus, Comitibus, atque reliquis regni fidelibus.*

83. In SYNODORUM REGIARUM numero habenda pariter videtur Synodus illa Wormatienſis, e qua Capitulare WORMATIENSE Ludovici Pii anni 829 prodiit, quod in Tomo primo Baluziano extat *col.* 661 - - 674. In eo Capitulari nulla fit perſonarum diſtinctio; ea ſcilicet de cauſa, quod ibi plura decernantur ad TEMPORALE Imperii, quam ad eccleſiaſticam politiam ſpectantia.

84. Et aliunde illud conſtat (etſi id in ipſo Capitulari aperte non ſit declaratum), hoc Capitulare Wormatienſe fuiſſe editum in SYNODO ac PLACITO generali Ordinis utriuſque, eccleſiaſtici & laici, apud WORMATIAM, poſt habitas eas quatuor Synodos, quas LUDOVICUS Pius imperaverat.

85. Scilicet ſicut Carolus Magnus ultimo Imperii ſui anno (ut poſt dicam uberius) Concilia Epiſcoporum juſſit in quinque locis haberi; ita Ludovicus in Conventu AQUISGRANENSI, Auguſti Parentis exemplum ſecutus anno 828 in quatuor locis Concilia imperavit, Moguntiæ, Pariſiis, Lugduni & Toloſæ; quorum Conciliorum ad tempora noſtra pervenit ſolum PARISIENSE Provinciarum quatuor, quod *Pariſienſe ſextum* appellamus; & in editione Concilior. cit. ponitur *a pag.* 702 *Tomi noni.*

86. Proximo autem poſt eas Synodos anno LUDOVICUS Imperator Synodum ac Placitum generale Epiſcoporum ac Procerum congregavit WORMATIÆ, ubi Wormatienſe illud Capitulare ſancitum eſt. Legeſis, Notas BALUZII *col.* 1113 *Tomi alterius Capitularium*; ſeu potius PAGIUM *ad an.* 828, *num.* 6, *&* *an.* 829, *num.* 5 *&* 6. Hæc igitur Synodus WORMATIENSIS inter SYNODOS REGIAS videtur item referenda.

87. Ad quod idem genus multo magis licebit revocare Conventum AQUISGRANENSEM a Carolo Magno anno 813 habitum; e quo prodiit CAPITULARE primum anni ejuſdem 813, decerptum e quinque Conciliis eo anno in Imperio Francorum celebratis; & ſpectans *ad cauſas quæ erant neceſſariæ Eccleſiæ Dei*, *&* *chriſtiano populo;* de qua re ex CHRONICO MOISSIACENSI dicam num. 109 etc.

88. Atque hoc ipſum opinari poſſumus de Conventu illo, unde Capitulare AQUISGRANENSE anni 816 prodiit; quod habes in eodem Capitularium tomo *pag.* 561 - - 570. In Epiſtola enim Capitulari eidem præfixa quaſi auctor princeps agit LUDOVICUS Pius Imperator; & in Capitulis illius modo Imperator, modo Conventus totus, modo ſoli EPISCOPI decernunt. Sed Capitularis titulus ſic ſe habet;

89. " Hluduvicus Imperator Chriſtianiſſimus ac piiſſimus ex omni Imperio ſuo fecit Conventum EPISCOPORUM, ABBATUM, Comitum, vel majorum natu Francorum, ut SANCIRENT CAPITULA pro utilitate totius Eccleſiæ. Quod ita factum eſt,,.

90. Hæc viſum eſt de SYNODIS REGIIS diligentius perquirere, ac latius enarrare; quoniam per hoc nova aperitur via ad veriorem Capitularium Francorum interpretationem.

91. Ubi tamen cavendum eſt, ne has *Synodos Regias* cum iis *Conventibus mixtis* confundamus, quos ſub initium Capitis deſcribebam cum HINCMARO REMENSI, ac deinde ex ipſis Conciliorum ac CAPITULARIUM actis comprobabam. Nam in illis *Conventibus mixtis* eccleſiaſtica ſoli finiebant viri eccleſiaſtici, ſecularia vero ſæpe, etſi non ſemper, ſoli tractabant laici; ſecus ac in *Regia Synodo* fiebat, ubi cuncta promiſcue ac indiſtincte ab Ordine utroque decernebantur.

92. Sed non repugnabo, ſi cui quandam *Synodi regiæ* ſpeciem placeat agnoſcere in HINCMARI verbis poſtremis, ubi is affirmat, ſeparatos cætus quandoque in unum conveniſſe, *ſi tractandæ cauſæ qualitas poſtularet*, præcipue ſi *de rebus COMMIXTIS* ageretur.

93.

93. Illud quoque providendum eſt, ne generalia REGNI COMITIA, de quibus in ipſo Capitis exordio dixi; ideo *Synodis Regiis* annumeremus, quia ad illa ſimiliter Ordo uterque, laicus & ſacerdotalis conveniebat, ut rebus decernendis ſententiam ſuam & aſſenſum cum ſubſcriptione interponeret.

94. Hujuſmodi enim Regni COMITIA ad ſtatum rerum politicum diſponendum ſpectabant, ad bellum parandum, ad ærarii pecuniæque publicæ cauſas, & ad diſciplinam populorum ac provinciarum conſtituendam.

95. Et ſolum data iſtorum Comitiorum opportunitate EPISCOPI & Abbates Conventum eccleſiaſticum pro Eccleſiarum diſciplina ordinanda ſeorſum a laicis celebrabant.

At contra Synodi regiæ communi Ordinis eccleſiaſtici & laici conſilio de rebus quidem POLITICIS deliberabant, ſed frequentius pro eccleſiaſticis negotiis congregabantur.

96. Sed & illud harum Synodorum *regiarum* occaſione videndum eſt, ne quis velit inde colligere, poſſe Regiam Poteſtatem de eccleſiaſticis rebus ſtatuta NOVA condere, quandoquidem in *Synodo regia* una cum ſecularibus negotiis eccleſiaſtica etiam ordinarentur. Hoc, inquam, ex eo *Synodi Regiæ* ritu colligendum non eſt.

97. Nam ſecus & mihi pro mea vice integrum erit colligere, poſſe eccleſiaſticos Præſules publicorum ſeu CIVILIUM NEGOTIORUM cognitionem ac judicium pro ſuo jure ad ſe trahere; quandoquidem ipſi quoque in *Synodo Regia* conjunctim cum Rege diſponerent temporalia.

98. Potius igitur ad hæc concilianda oportebit conſiderare, auguſta CAROLI MAGNI ſtirpe imperante, fuiſſe quandam Sacerdotii & Imperii ſocietatem ſanctam, & jurium communicationem mutuam; unde eveniebat non raro, ut abſque ulla æmulatione vel altercatione politicæ ſimul res & eccleſiaſticæ communi utriuſque poteſtatis conſpiratione ordinarentur.

99. Scilicet ſicut in partem publici regiminis Imperator Epiſcopos ac Præſules alios eccleſiaſticos vocabat; ita eccleſiaſtici Præſules æquo animo ferebant, Imperatorem ad res eccleſiaſticas UNA CUM IPSIS componendas ſententiam operamque ſuam interponere. Quod tamen non impedit, quominus diſtinctos agnoſcamus poteſtatis utriuſque fines; ut politicæ curæ Regi, eccleſiaſticæ Sacerdoti ſint commiſſæ.

100. Atque ex hac communione jurium & amica Sacerdotii & Imperii ſocietate natum eſt, ut in Concilio TRIBURIENSI habito anno 895 ſub Rege ARNULFO (*Concilior. edit. cit. Tom. XI, pag. 627 etc.*), in FRANCOFORDIENSI anni 794 (*Concilior. Tom. IX, col. 99 etc.*), aliiſque nonnullis,

Canones aliqui REGIS & Concilii nomine & verbis enunciarentur. Nam cum in Canonibus illis de REBUS MERE TEMPORALIBUS, ut puta de monetis, de criminibus fecularibus feu civilibus, de judicio adverfus Epifcopum in crimine læfæ Majeftatis, de pretio rerum promercalium, aliifve rebus fimilibus agatur; mirari non debemus, fi illis fuam Rex auctoritatem interpofuit.

101. Adde his, in re ecclefiaftica Regem quandoque intervenire ut DEFENSOREM Ecclefiæ ac TUTOREM Canonum; quibus proinde Canonibus ad novæ auctoritatis cumulum, feu ad CIVILEM executionem, publicarum legum auctoritatem IN FORO CIVILI feu VIM LEGIS REGIÆ aliquando addit.

102. Quod ita JUSTINIANUS Imperator expreffit *in capite primo Novellæ* 131, quatuor priora œcumenica Concilia fanctione quoque fua communiens: " Sancimus vicem LEGUM obtinere fanctas ecclefiafticas regulas, „ quæ a fanctis quatuor Conciliis expofitæ funt aut FIRMATÆ „.

103. Atque ad hunc fenfum Petrus etiam DE MARCA *Concord. Lib.* 2, *cap.* 24, *num.* 3 coarctat verba quædam laxiora Concilii illius SUESSIONENSIS, quod num. 49 etc. commemorabam, anno 744 PIPPINO Rege Francorum habiti: cujus quippe Concilii canones concepti funt Regis nomine his verbis: *decrevimus, conftituimus, ftatuimus, diximus.*

104. Admonet enim MARCA, mentem fuam longe effe, ut ex illis canonum verbis *removere velit Epifcopos a conditione canonum:* nam hoc qui cogitaret, contra convictum iri *ex verbis ultimi canonis, in quo pœna decernitur adverfus eos, qui canones illos violarent AB EPISCOPIS CUM CONSENSU PRINCIPIS & Optimatum decretos.*

105. Aliud vero fuit in caufa, cur CAROLI MAGNI judicio ac emendationi Canones fuos fubjicerent Patres Conciliorum trium, ex illis nempe quinque, quæ ejufdem Imperatoris juffu celebrata uno eodemque anno in quinque Imperii locis fuiffe dicemus paullo poft. Id præftitere inter illa Concilia ARELATENSE, MOGUNTINUM, & CABILLONENSE.

106. Nimirum cum Patres illi (ut fapienter ac vere NATALIS ALEXANDER explicat in Hiftor. Ecclefiaft. Seculi IX ac X, cap. 4, art. 3) " ejus Majeftatem plurimum Epifcopis deferre, & eorum confiliis leges fuas „ & Capitularia condere, atque Rempublicam regere, nullamque prætermit„ tere occafionem de Ecclefia bene merendi feliciter experirentur; id hono„ ris ipfi tribuere voluerunt IN GRATI ANIMI fignificationem, ut conditos „ a fe Canones ejus judicio fubjicerent, quod ecclefiafticæ difciplinæ cum „ primis utile futurum noverant „.

107.

107. Vides jam in iis, quæ Carolingica Progenie imperante gesta fuere vel in Imperii administratione, vel in Ecclesiæ regimine, non raro sistendum menti esse *Imperium illud Sacerdotale, & Regale Sacerdotium*, quod ævo illo cum summa Sacerdotii & Imperii concordia viguit, & cum magno Regni & Ecclesiæ emolumento; neque id pro jure semper habendum esse, quod ab alterutra Potestate, ut inter amicos solet, actum sit in Potestatis alterius jura.

108. Hæc vero amica jurium communicatio, hoc *Imperium Sacerdotale, & Regale Sacerdotium* sicubi apparent, maxime emicant in SYNODIS REGIIS; quarum occasione hæc a me oportuit explicari, ut illa eo magis evaderent expedita, quæ ad verum & sanum CAPITULARIUM Francorum intellectum sunt necessaria.

IV. *De INDOLE Capitularium ecclesiasticorum, seu de FONTIBUS, ex quibus Capitularia plura educta fuere.*

109. Ceterum (ut jam ad alteram istius Capitis partem accedam) agnosco libenter, CAPITULARIA nonnulla ad rem ecclesiasticam spectantia ab ipsis prodiisse Regibus & Imperatoribus Francorum. Sed simul admoneo, ea aliud nihil esse, quam excerpta, facta ex Conciliis & Synodis EPISCOPALIBUS. Et deinde addo, excerpta eadem Capitulorum synodalium facta sæpius fuisse (ut moris erat in publicis negotiis quibuscunque) in supra explicatis CONVENTIBUS MIXTIS seu synodis publicis Regni & Imperii Francorum. Rem declaro ac confirmo illustri exemplo.

110. CAROLUS MAGNUS ætate jam provecta cupiens integre ab EPISCOPIS ecclesiasticam disciplinam restaurari, in publicis Regni Comitiis anno 813 decrevit, ut Episcopi Galliarum Concilia agerent in quinque locis, id est, Arelate, Moguntiæ, Remis, Turonis, & Cabillone. Et eo quidem ipso anno, prout Imperator jusserat, in designatis locis ea habita sunt Concilia, quæ adhuc supersunt, & in Tomo IX Concilior. edit. memor. occurrunt *a pag.* 319 *& deinceps.*

111. Istorum vero Conciliorum canones aliquos cum Imperator vellet Capitularibus suis commendatos; horum canonum excerptum fecit ex more in generali totius Imperii conventu EPISCOPORUM, ABBATUM, & Procerum, quem eo ipso anno habuit AQUISGRANI. In eo enim coram Imperatore habita est collatio Constitutionum, quæ in Synodis quinque factæ fuerant; & inde (ut bene SIRMONDUS in Notis ponit) eodem in conventu decerptum & editum est CAPITULARE primum anni 813, quod extat in *Tomo primo BALUZIANO Edit. Paris. col.* 501 *etc.*

112. Quorum omnium teſtimonium habemus in CHRONICO MOISSIACENSIS Cænobii ad annum 813 *pag.* 146 *Tomi tertii Scriptorum Francorum DUCHESNII:* "Hoc anno (ait Chronicon Moiſſiacenſe) ſedit Karolus Im-„ perator apud Aquis Palatium, & habuit ibi CONSILIUM magnum cum „ Francis: & decrevit quatuor Synodos fieri (legendum eſt *quinque*, auctore EGINHARDO in Annalibus ad hunc annum *pag.* 258 *Tomi ſecundi Duchesnii*)...... „ mandavitque, ut quidquid in unamquamque Synodum definiſ-„ ſent ad PLACITUM conſtituti Imperatoris renunciaſſent, quoad ita fa-„ ctum eſt. Et in ipſo anno menſe Septembri jam dictus Karolus fecit „ CONVENTUM magnum populi apud AQUIS Palatium de omni Regno „ vel Imperio ſuo „.

113. "Et convenerunt EPISCOPI, ABBATES, & Comites, & „ Senatus Francorum ad Imperatorem in Aquis, & ibidem conſtituit Capi-„ tula numero XLVI, (corrige mendum amanuenſis, & lege *Capitula numero XXVI*), „ de cauſis, quæ erant neceſſariæ Eccleſiæ Dei, & chriſtiano po-„ pulo „.

114. Accurate ergo ſcribit PAGIUS ad hunc annum 813, num. 15: "Celebratis prædictis quinque Synodis Imperator menſe SEPTEMBRI „ Conventum Aquiſgrani habuit, in quo Canones prædictarum Synodorum „ coram ſe legi præcepit, & ex iiſdem Conciliis CAPITULARE in XLVI „ Capitula (mendum in numero corrigit PAGIUS poſtea num. 19) „ di-„ ſtinctum decerpſit „. Lege præterea SIRMONDI Not. in hoc Capitulare *Tomo* 2 *Capitular. Baluzii edit. cit. col.* 754.

115. Sed diſcere unicuique licet ex innumeris locis Collectionis Capitularium Baluzianæ, & in libris ANSEGISI, ſed BENEDICTI LEVITÆ potiſſimum; id eſſe verum quod in Præfatione ſua num. IX BALUZIUS affirmat, " PLURIMA CAPITULARIA ſumpta eſſe ex Conciliis & Synodis „ epiſcopalibus „. In quo tamen forte & id haberi pro vero poteſt, quod idem BALUZIUS eo ipſo in loco ponit, " Excerpta illa capitulorum „ SYNODALIUM non ſemper facta fuiſſe in conventibus aut SYNODIS „ PUBLICIS, ſed cum delegatione Principis in privatis EPISCOPORUM „ virorumque eccleſiaſticorum cætibus, qui tum forte in comitatu erant „.

116. Nam id non ſine omni prorſus fundamento a BALUZIO dici, colligi fortaſſe poteſt ex Capitularibus ſecundo & tertio ad annum 814, *col.* 519 *&* 523 *tomi* 1 *cit. Baluziani;* quorum utriuſque titulus ſic habet: " Capitula a Domno Karolo Imperatore & filio ejus Hludovico ac ſapientiſſi-„ mis IPSORUM EPISCOPIS excerpta „ Quorum ſimilia habet BENEDICTUS LEVITA in præfatiuncula libri ſeptimi Capitularium *ibid. pag.* 1031.

117.

117. Et paullo clarius idem BENEDICTUS LEVITA in fine Præfationis ad ſuos quatuor libros Capitularium, ordinem eorum librorum deſcribens: " Tertio in libello, *ait*, quædam ex CANONIBUS a Paulino Epiſcopo „ & Albino Magiſtro reliquiſque juſſione Karoli ſparſim collecta ſunt inſerta „ capitula„: pag. 806 Tomi illius cit. Baluziani.

118. Scilicet (ut cum BALUZIO loquar ex num. IX allegat.) ea cura KAROLO erat, ut cum religionem chriſtianam ſalvam incolumemque eſſe vellet, moreſque præterea CHRISTIANORUM ad optimum exemplar componi, ſanctiſſimarum inſtitutionum capitula colligi faceret ex placitis ANTIQUORUM PATRUM ET CANONIBUS CONCILIORUM.

119. Atque hoc certe nomine TROSLEJANUM Concilium in pago Sueſſionico anno 909 congregatum Francorum Regum Capitularia vocat *CANONUM PEDISSEQUA:* Can. 3, pag. 738 Tomi XI Concilior. edit. Venet. Colet.

120. " Prohibent ſacri Canones (ait Concilium), ne aliquis LAICUS „ de religione præſumat. Itemque & canonum præcipiunt inſtituta, ſimul- „ que eorum PEDISSEQUA Regum Capitularia, ſicut in libro primo ca- „ pitulorum imperialium continetur capitulo vigeſimo octavo; ut Clerici „ & Monachi etc. „.

121. Audire etiam placet quid de ſuo tertio Capitulari anni 884 profeſſus ſit KARLOMANNUS Rex Ludovici II filius *in tomo altero Baluziano pag.* 283. " Cum ad palatium Vernis conveniſſemus, & pars fidelium no- „ ſtrorum nobiſcum, placuit ut quædam ſtatuta SACRORUM CANONUM, „ nec non quædam capitula Anteceſſorum noſtrorum RENOVAREN- „ TUR......, præcipue illa quæ contra malum rapinæ & deprædatio- „ nis etc. „.

122. Ex hoc eodem Collectionum genere erit forte CAPITULARE ſextum anni 806 CAROLI MAGMI, quod inſcriptum eſt: *Capitula excerpta DE CANONE:* in Tomo 1 Capitular. cit. col. 455.

123. Eſt vero præcipue *ibid. pag.* 210 -- 242 conſiderandum Capitulare AQUISGRANENSE ejuſdem CAROLI MAGNI, ſive Capitulare primum anni 789; cujus Capitularis capitulo cuique CANONES SYNODORUM adjunguntur & decreta Pontificum.

124. Sed animadvertendum eſt maxime, quam perſpicue in iſtius Capitularis Præfatione CAROLUS Imperator jus ſuum in Imperium diſtinguat a ſuis in ECCLESIAM officiis.

125.

125. " Ego Karolus (inquit) Rex & Rector regni Francorum, & DE-
„ VOTUS ſanctæ Dei ECCLESIÆ DEFENSOR HUMILISQUE
„ ADJUTOR omnibus eccleſiaſticæ pietatis ordinibus, ſeu ſecularis po-
„ tentiæ dignitatibus ſalutem......... Aliqua capitula EX CANONICIS
„ INSTITUTIONIBUS, quæ magis vobis neceſſaria videbantur, ſubjunxi-
„ mus etc. „.

126. Quo in loco CAROLUS Imperator nullam in res eccleſiaſticas aut EXTERIOREM ECCLESIÆ DISCIPLINAM ſibi poteſtatem tribuit, ſed ſolum *devoti Defenſoris* officium *humiliſque Adjutoris* curas: quod quidem officium, eaſve curas ſi cui placeat Regiæ Majeſtatis juribus annumerare; per me licet, aſſentior immo lubentiſſime.

127. Intelligis interim, quam bene noſſet Imperator vere magnus, Præſules eccleſiaſticos eos eſſe, quibus unis & ſolis SPIRITUS SANCTUS Eccleſiam commiſit REGENDAM & diſponendam quoad ea omnia, quæ Eccleſiæ ejuſdem baſes ſunt & fundamenta; cujuſmodi ſunt regulæ credendi & agendi, ſpirituales res EXTERIORES, & res ſacræ, ac ordo politiæ eccleſiaſticæ ſeu EXTERNA Eccleſiæ DISCIPLINA.

V. *Summa totius CAPITIS & Concluſio.*

128. Atque hoc tandem loco ſummam iſtius CAPITIS hanc facio: Capitularia Regum Francorum illa, quæ de rebus eccleſiaſticis edita ſunt, prodierunt opera, conſilio, & poteſtate ipſorum eccleſiaſticorum Præſulum IN SYNODO ECCLESIASTICA eo ipſo tempore ac loco congregatorum, quo generales MIXTI CONVENTUS Regni ac Imperii Francorum habebantur.

129. Vel eadem Capitularia eccleſiaſtica ſunt condita in Synodo ECCLESIASTICA, extra tempus ac locum MIXTI CONVENTUS, præſente Rege velut DEFENSORE Eccleſiæ ac PROTECTORE.

130. Vel eorundem Capitularium eccleſiaſticorum aliqua condita ſunt in SYNODO REGIA; in qua tamen multo etiam plus juris Epiſcopis concedebatur in TEMPORALIA Regni negotia, quam daretur Regi in res eccleſiaſticas; & in qua mutua ſolum erat & amica communicatio jurium, ſine poteſtatis alterutrius læſione aut detrimento.

131. Aut tandem, si quando ea Capitularia ecclesiastica ab ipsis Regibus & Imperatoribus Francorum prodierunt; non fuere nec sunt aliud quam EXCERPTA CANONUM, facta a Regibus ope EPISCOPORUM virorumque ecclesiasticorum ex Conciliis & Synodis episcopalibus, tanquam a Tutoribus & ADJUTORIBUS Ecclesiæ.

132. Vides ergo, quænam sit CAPITULARIUM illorum ORIGO, quænam item eorundem sit INDOLES ac natura. Et vides, quam immerito Scriptores nonnulli hodierni ex istis Capitularibus nitantur persuadere, spectare ad Principem EXTERNÆ seu publicæ ecclesiasticæ DISCIPLINÆ curam, ita ut latis legibus possit eandem ordinare RRÆTER & ULTRA CANONUM præscripta.

133. Atque his ita constitutis non mihi opus esse puto confugere hoc loco ad Legationem APOSTOLICÆ SEDIS, quam non paucis memoratorum seu Conventuum MIXTORUM, seu Conciliorum & Synodorum, iis præsertim, quæ sub KARLOMANNO Principe ac PIPPINO Rege sunt habita, interfuisse testatus est semel & iterum BENEDICTUS LEVITA in sua Capitularium Collectione; quod LEVITÆ testimonium explanat optime Stephanus BALUZIUS *num.* 12 -- 14 *Præfationis ad Capitul.*

134. Etsi enim istiusmodi LEGATIO ad cumulum valitura esset, mihi tamen satis est methodum considerasse ac rationem, qua condita sunt Capitularia ecclesiastica; ad eos convincendos erroris, qui ex Capitularibus iisdem demonstrari fortasse credunt, licere Principi LAICO leges NOVAS de rebus ecclesiasticis EXTERNIS condere, sin contra Canones, saltem præter & ULTRA CANONES.

135 CUM VERO EXEMPLA ALIA, ALIÆVE LEGES aut ex remotiori antiquitate, aut ex posterioribus seculis desumptæ urgeri soleant ac opponi ad asserendam Principi potestatem ordinandæ disciplinæ præter id, quod Ecclesiæ Præsulibus jampridem visum est de ea decernendum; adversus hæc omnia opponemus responsum generale *Cap. XII memorato.*

136. Quo in Capite XII etsi prima fronte videri forte cuipiam possim quasi distinctam speciem ponere; excurrimus tamen per totam hanc rem nostram, quanta esse unquam potest; ita ut nullus cuicunque vel callidissimo exitus relinquatur ad evadendum, unde Principum jus aliquod in EXTERNAM ECCLESIÆ DISCIPLINAM valeat ex legibus aut exemplis hujus vel illius loci aut temporis ulla justa ratione comprobare.

137. Sistamus tamen hoc loco adhuc paulisper, ac aliud quoddam disciplinæ publicæ caput MEDII ÆVI expendamus; nulla quidem necessitate, sed ut tempori potius, ac nostrorum Eruditorum genio serviamus.

X DE

DE MISSIS DOMINICIS
ad Disciplinam Ecclesiasticam.

138. Capitularium auctoritati Recentiores illi nostri addunt solemnem illum morem, qui a Regibus & Imperatoribus Medii Ævi frequenter usurpatus est constituendi seu mittendi extra ordinem per Regnum & Imperium MISSOS DOMINICOS seu Legatos regales publicarum rerum causa, & ad populorum querimonias audiendas, ad justitiam oppressam vindicandam, ad cognoscendum simul de Comitibus & Judicibus aliis inferioribus, atque ad emendandam universam locorum ac provinciarum disciplinam; simul etiam ALIQUANDO ad inquirendum, an Episcopi, an inferiores Pastores, an Abbates & Abbatissæ munere proprio incorrupte ac religiose defungerentur; ad videndum de reparationibus Ecclesiarum, de disciplina & statu Monasteriorum, de moribus Canonicorum; & ad causas Clericorum & Ecclesiarum dirimendas.

139. Sed hic mos non id convincit, quod isti volunt. Primo enim illud Missorum Dominicorum munus demandabatur plerumque Viris ecclesiasticis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus; hoc est iis, qui DISCIPLINÆ ecclesiasticæ indolem & statum callerent. " Familiare fuit Francis Augustis (ait MURATORIUS loco infra annotando), „ Episcopos & Abbates deligere ad hoc munus, quod ii aptiores quam SECULARES homines forent ad dignoscendas sacrorum locorum, & CLERI utriusque, & sacrarum „ Virginum necessitates, eorumque mores componendos „. Etiam causas, quæ Clericos & Ecclesias spectarent, Missi iidem in SYNODO cum Episcopis & Sacerdotibus dirimebant.

140. Si vero aliquando, etsi RARO, dirigerentur Comites soli; jubebantur tamen nihil moliri nisi communicato cum EPISCOPO loci consilio, immo eodem præeunte; & cum ABBATIBUS, ubi res agebantur Monasteriorum.

141. Ii præterea MISSI Dominici frequenter ab ipso Ecclesiasticorum Cætu POSTULATI sunt; id est, a SYNODIS. " Nihil frequentius (inquit Franciscus de ROYE *de Missis Dominicis parte* 3 *cap.* 2) „ in Conciliis „ Ecclesiæ Gallicanæ sub secunda Christianissimorum Regum stirpe habitis, „ quam ut Prælati ab iis petant MISSOS Dominicos, qui ecclesiasticam „ DISCIPLINAM (secundum methodum modo designatam) restituant „. Volentibus autem non fit injuria; ut vulgatum fert adagium.

142.

142. Quod si hæc non satis adhuc convincunt; illud saltem omnino valebit; MISSOS scilicet illos non ad NOVAM DISCIPLINAM constituendam venisse, sed ad sarciendam veterem secundum CANONES & secundum statuta Patrum. Verissimum enim est, & ex illius ætatis monumentis aperte confirmatum, " nec Carolo Magno, nec Ludovico Pio (uti THOMASSINUS scribit Discipl. Par. 2, Lib. 3, Cap. 92, num. 17), „ ubi „ Episcopis censores se, monitoresque paullo austeriores exhibuere, pro„ positum quicquam aliud fuisse, ac ne in Capitularibus quidem suis; quam „ ut ecclesiasticos CANONES pristino restituerent vigori, & ad eorum „ scrupulosam observantiam imperatoriam ipsi auctoritatem suam inter„ ponerent „.

143. " Quibus ita constitutis, nullæ jam possunt justæ solidæque cujus„ quam in animo residere suspiciones, de MISSIS DOMINICIS, quos „ Princeps in Provincias missitabat, ut excubias agerent in Episcopos; cum „ ea cura eo tantum conniteretur, ut statuta EPISCOPORUM religio„ sissime servarentur „.

144. Hæc Thomassinus. Sed de MISSORUM Dominicorum orgine, ordine & CONDITIONE, officiis ac POTESTATE, & tempore quo desierunt, satis jam multa narrata sunt tum ab aliis, tum a THOMASSINO eodem accuratissime *in eo Capite* 92, a MURATORIO in Dissertatione Nona *Antiquit. Ital. Med. Ævi*, a DU CANGIO in Glossario Latinit. verbo *Missi*, & latissime omnium a Francisco de ROYE JCto, & Antecessore Andegavensi in libro omni rerum varietate ornato, *de Missis Dominicis, eorum officio & potestate*; qui tamen liber supplendus in aliquibus & emendandus adhuc erit ex Muratorio & Thomassino.

145. Monumenta non pauca ad eosdem *Missos* spectantia, habes in Tomo IX Concilior. *edit. Ven. Coleti*; ne modo commemorem Collectionem Capitularium Baluzianam. Interim perpende, ut novi nostri Magistri sunt accurati in disciplina veteri tum exploranda tum exponenda.





CAPUT XI.

Quænam sit TUITIO, quam impendere Principes seculi Canonibus ECCLESIÆ tenentur; seu, cujusmodi sit illa TUITIO; quousque protendatur; ac quis illius sit ordo.

1. NEMO dubitat aut dubitavit unquam, laicæ potestatis munus esse eximium ac nobile, TUERI Ecclesiam, & illius dogmata ac leges; seu conferre vim suam ad præsidium ecclesiasticæ potestatis, quoties opus fuerit. Scilicet antiquitas omnis hoc clamat; & de suo hoc regio officio Imperatores ac Principes admonet studiose.

2. Hanc tamen antiquitatis sententiam non est assecutus HUGO GROTIUS, qui *de Imper. Summar. Potestat. circa Sacra Cap* 1, *pag.* 8 - - 13, *edit.* 1652 loca ejusdem antiquitatis, ad Tuitionem hanc spectantia, pertrahere nisus est ad hæreticum Protestantium systema, quo summis potestatibus Imperium circa sacra tribuunt; quod jus non partem tantum summi Imperii, sed potissimam atque præcipuam ipsi vocant.

3. Non cum solis tamen Protestantibus res agitur, sed etiam cum Catholicis. Diu enim est quod Aulici Tuitionis illius titulo abusi sunt ad jurisdictionem ecclesiasticam invadendam, & ad pertrahendam ad forum laicum magnam externæ ecclesiasticæ disciplinæ partem. Hoc vero me impellit ad investigandum, ducibus iis Scriptoribus, qui minime sint Aulicis suspecti, cujusmodi sit illa Tuitio, quam impendere Canonibus Principes tenentur; quousque illa valeat protendi; ac quis illius esse ordo debeat.

4. Quod antequam præsto, admonendi sumus hoc loco, ut in summo Imperante distinguamus officium Tutoris Ecclesiæ & Canonum ab officio defensoris Regni, ac jurium regiorum. Sunt enim hæc duo distincta; neque id Principi tribuendum est velut Tutori Ecclesiæ, quod ab ipso fit ceu a Defensore jurium regiorum: neque si quid Rex hoc secundo titulo fecerit; inde licet inferre, aggredi illud idem potuisse tanquam Tutorem Ecclesiæ.

5. Permiscent sæpe ista duo interpretes jurium minus accurati. Immo ob neglectum discrimen, quod inter duo illa intercedit, accidit olim non raro, ut de invasis Ecclesiæ juribus ipsi Imperantes accusarentur; cum ab hac tamen injuria animus eorum plane esset alienus.

6.

6. Diſtinctionem hanc defenſoris Regni ac tutoris Eccleſiæ inter ceteros neglexit & Petrus GIANNONE *in Hiſtor. Civili Regni Neapolit. Lib.* 2, *cap ult.* §. 2, *pag.* 134, *Tom.* 1, *edit.* 1723, dum pronunciat, olim in confeſſo apud omnes fuiſſe, quod " Principes vi ſuæ auctoritatis & protectio- „ nis, quam Eccleſiæ præſtabant, poſſent laudabiliter ipſius canonicæ diſci- „ plinæ curam ac ſollicitudinem gerere, & id emendare, quod REGNO „ damnum & perturbationem allaturum videretur „ (ed emendar ciò, che allo STATO avrebbe potuto eſſere di nocumento, e di diſordine). Ubi video duo, quæ ſunt plane diſtincta, in unum confundi. Sed hac re interim dimiſſa ad ipſum rei caput accedo.

7. Pariſienſium Archiepiſcopus Petrus DE MARCA *de Concord. Sacerd. & Imper. Lib.* 4, *cap.* 1, *num.* 2 admonet in primis, diſcrimen conſtitui oportere inter executionem Canonum & Tuitionem. " EXECUTIO enim „ Canonum, *ait*, juriſdictionem eccleſiaſticam reſpicit; cujus partes ſunt, ut „ judicia canonica reddat, pœnis canonicis, id eſt, excommunicatione, de- „ gradatione, ſuſpenſione, & ceteris ejuſmodi reos plectat, & ut omnia uno „ verbo complectar, ligandi & ſolvendi pontificium exerceat „. Hæc epiſcopali poteſtati reſervata eſt.

8. " TUITIO vero Canonum (pergit), quæ a Principibus pendet; „ Canonum cuſtodiæ proſpicit, & NULLITATEM rerum adverſus Cano- „ nes geſtarum aliquando (incidente ſcilicet appellatione, ut ajunt, *ab abuſu*) „ declarat, atque omnia in integrum reſtituit. Sed ultra non pro- „ greditur, ſcilicet ad executionem Canonum, quam ab Epiſcopis implen- „ dam indicit „.

9. Hic tamen Antonius CHARLAS *de Libert. Gallic. Lib.* 5, *cap.* 3, *num.* 7 *edit. recogn* recitato hoc MARCÆ loco, eundem ſic emendat: " Eccleſiæ eſt illam NULLITATEM declarare, Principum autem poſt hujuſ- „ modi declarationem Eccleſiam juvare ad omnia in integrum reſtituenda „.

10. Addit MARCA *ibid. num.* 3, per vulgatiſſimam illam JUSTINIANI ſententiam a Gratiano in corpus Decreti relatam, quæ CANONES legum vim habere decernit; " non ſolum reverentiam debitam Canonibus conci- „ liari & eorum executioni, ſervato judiciorum publicorum ordine, conſuli, „ ſed etiam jus Principis ad cuſtodiam CANONUM, ut ceterarum legum „ a ſe conditarum, procurandam aſſeri. . . . . Quare Principis aucto- „ ritatem proinde lædi violatis Canonibus & decretis Pontificum ac ſi Rei- „ publicæ & REGNI LEGES everterentur, quia Canones vim LEGIS „ REGIÆ ſuſceperunt „.

11. Hæc MARCA; quæ quidem omnia valent potius ad vim, effectum, & usus TUITIONIS exhibendos, quam ad Tuitionem & ejus munia describenda. Supplebit tamen ista laudatus alias Jurisconsultus nobilis Joannes DOMAT, qui in Opere præclaro *le Droit Public Lib.* 1, *Tit.* 19 *sub initium, Tom.* 2 *Oper. pag.* 137, *edit.* 1745, inter officia TUITIONIS Regiæ ponit, ut Princeps curet, a subditis suis obedientiam potestatibus spiritualibus exhiberi in omnibus, quatenus pertingere temporalis potestas valet tuendo, protegendo ac imperando executionem legum ecclesiasticarum; puniendo eos, qui leges istas ita violant, ut inde ORDO EXTERIOR turbetur; & leges etiam condendo ad conservationem legum Ecclesiæ & ecclesiasticæ disciplinæ.

12. Affertur autem a Joanne DOMAT in exemplum cultus festorum dierum; quorum violatoribus cum solas spirituales pœnas imponere Ecclesia valeat; Principis erit officium iis temporales infligere. Addit aliud exemplum, Residentiam nempe Pastorum; quos Princeps sua potestate ac vi coget servare ecclesiastias leges de hoc capite latas.

13. In gratiam igitur legum ECCLESIÆ (pergit DOMAT) potiuntur Principes jure condendi leges ac statuta, ad executionem imperandam earundem legum: quod videmus factum ab Imperatoribus Romanis, & a Regibus Galliarum, *quia ea quæ de rebus ad Ecclesiam spectantibus decernunt, legum POLITICARUM nomine appellant* (qui appellent ce qu' ils ordonnent sur les matieres qui regardent l'Eglise des Loix politiques), *& se dicunt* Protectores, Custodes, Conservatores & Executores *rerum earum, quæ Ecclesia docet & constituit.*

14. In quo quidem potestas temporalis non attentat quicquam supra auctoritatem spiritualem, sed Ecclesiæ potius obsequitur; & hoc præsidium, quod Principes præstant Ecclesiæ, *partem facit regiminis temporalis* (fait une partie de la police temporelle), *cujus ordo postulat, ut Religionis etiam ordo servetur.* Hæc ex Joanne DOMAT contraximus in pauca. Confer. *Caput VII num.* 63 - - 69 *supra.*

15. " Huic officio (ait MARCA Oper. cit. Lib. 2, cap. 10, num. 3.)
„ Theodosius Imperator se adstringi fatetur iis literis, quas ad Synodum
„ Ephesinam dedit. Ex iis patet societatem & cognationem quandam inter-
„ cedere inter religionem & rempublicam, ad Principis studium pertinere
„ ecclesiastici Status æque ac Imperii pacem, regii muneris esse, ut eum fir-
„ mum & inviolatum præstet ex omnium consensu, pietatis religionisque
„ sinceritatem tueatur, curetque, ut eorum qui CLERO adscripti sunt,
„ emendata sit castigataque vita „.

16.

16. Ceterum (videndum eſt enim modo, quouſque tuitio protendi valeat) ſi agatur exempli gratia de admiſſa appellatione *ab abuſu*, ſeu de protegendo Reo contra eccleſiaſticum tribunal a violatione CANONUM in judicio perpetrata; " Cavere debent Judices (inquit idem MARCA *Lib.* 4 *Cap.* 20 *num.* 2) ,, ne patrocinium ultra quam par ſit in detrimentum eccleſiaſticæ ,, juriſdictionis proferant. Quod varie accidere poteſt, ſcilicet ſi non ſolum ,, ſe Canonum exactores præſtent, ſed etiam executores; id eſt, ſi pronunciantes de abuſu admiſſo eo gradu non hæreant, ſed etiam de negotio eccleſiaſtico judicium ferant ,,.

17. In eadem appellatione *ab abuſu* afferri pariter poteſt eccleſiaſticæ juriſdictioni detrimentum, " ſi judices ad cavillationum anguſtias diſceptationem iſtam redigant, quæ matura cognitione dirimi debet, et eo ſolum caſu ,, inſtitui, cum abuſus eſt APERTISSIMUS notorius & manifeſtus, juxta ,, veterem harum appellationum formulam, quæ *ab abuſu notorio* inſcribebatur. ,, Alioqui in ſpecie DUBIA & controverſa ſatius eſt eccleſiaſticis judicibus ,, litem relinquere ,,.

18. Ita MARCA ſapienter, & in uſus etiam alios appoſite & opportune; cui in hoc conſentientem habeo Antonium CHARLAS *de Libert. Gallic. Lib.* 6, *Cap.* 9, *num.* 7 *edit. recogn.* ſcribentem, executionem regiam Canonum " certam & evidentem Canonum ſententiam ſequi debere, quæ rei cognitionem judiciariam non requirat; & tunc tantum a Principibus curandam eſſe, ,, cum eam Eccleſia conſequi non poteſt ,,. Hæc ille, *executionis* verbum ſumens pro *tuitione*.

19. " Neceſſe eſt enim (dicam cum MARCA *ibid. num.* 3) ,, ut Judi- ,, ces regii hoc ſibi proponant, Judicia CANONICA NULLO MODO ,, ad juriſdictionem regiam pertinere, ſed communi EPISCOPORUM & ,, Principum conſenſu ab ipſis chriſtianæ religionis primordiis eccleſiaſticæ ju- ,, riſdictioni addicta. Quare ſi neceſſitate cogente in eas cognitiones regia ju- ,, riſdictio aliquando excurrit, ita ſe gerere debet, ut lineas a majoribus hac ,, in re defixas non egrediatur ,,.

20. Cauſas autem excurrendi in eas cognitiones duas potiſſimum eſſe dicit MARCA hoc loco; periculum ſcandali & offenſionis publicæ ob APERTISSIMAM Canonum violationem & oppreſſionem iniquam in judicio eccleſiaſtico, ut accidit in cauſa ATHANASII.

21. Hactenus quidem & quæ ſit TUITIONIS natura vidimus, & quouſque tuitio ea Canonum protendi valeat. Conſiderandum modo, quis illius eſſe ORDO debeat. Docet MARCA *Lib.* 2, *Cap.* 10, *num.* 1, " non ,, ſolum

„ ſolum interpellatos & rogatos Principes miniſterium ſuum ad CANONUM „ obſervationem commodare poſſe, ſed etiam ex officio in eam curam incumbere teneri ....., ex eo ſcilicet, quod nomen ſuum CHRISTO dederint, eique caput ſuum & ipſam REGIAM dignitatem devoverint „.

22. Sed contra Antonius CHARLAS *Oper. cit. Lib.* 6, *Cap.* 13 *num.* 7 affirmat, “ Regis eſſe, legum politicarum cuſtodiæ debito modo invigilare, „ eccleſiaſticarum autem executionem (id eſt, obſervationem & cuſtodiam) „ tantummodo curare, POSTULANTE ECCLESIA, non autem harum judicem agere. ALIAS ſacris Canonibus derogatur, dum opera „ dari dicitur, ne derogetur „.

23. Iſtud CHARLÆ pronunciatum explicat plenius Joannes Antonius BIANCHI in Opere adverſus Petrum GIANNONE, *della Poteſtà, e della Polizia della Chieſa Lib.* 2, *Cap.* 3, §. 2, *num.* 10 *in Tomo* 4. Pro qua re diſtinctionem poſuerat jam *num.* 5 *&* 6 inter tutorem Canonum & cuſtodem; & inter Principis quidem officia ponit TUITIONEM Canonum; at CUSTODIÆ jus Principi eidem denegat.

24. Nimirum *cuſtodis* nomine hoc loco intelligit judicem; & nomine *cuſtodiæ* intelligit jus temperandi Canones, vel eos interpretandi, aut NOVAS regulas de rebus canonicis præſcribendi (*di moderare i Canoni, o interpretargli, o NUOVE regole intorno alle Canoniche materie preſcrivere*); vel etiam jus per ſe ipſos emendandi abuſus contra Canones, aut admittendi appellationes quaſcunque ab abuſu eorundem Canonum (*di cognoſcer d'ogni abuſo contro i Canoni, e di ricevere ogni riccorſo contro gli Eccleſiaſtici per tale abuſo.*

25. Et Conſtantinus RONCAGLIA in *Animadverſionib.* in Diſſertationem 21 Natalis Alexandri *Hiſt. Eccl. Sec.* 4 §. 2 lubens dat, Principes Canonum Eccleſiæ & latarum ſententiarum executionem promovere teneri, quando ipſamet Eccleſia obtinere non poteſt id, quod latis legibus, vel pronunciata in aliquem ſententia intendit, & quando ab eadem in auxilium advocati fuerint; ſcilicet *ut quod non prævalet Sacerdos efficere per doctrinæ ſermonem, poteſtas hoc imperet per diſciplinæ terrorem*; prout eſt in vulgato ISIDORI Hiſpalenſis dicto. Et paria poſt Concilium VI. PARISIENSE anni 829 ſequitur Ludovicus THOMASSINUS *Diſcipl. Part.* 2, *Lib* 3, *Cap.* 92, *num.* 14.

26. “ Verum quod attinet (ſubdit RONCAGLIA) ad vulgaria judicia, „ quid opus eſt Principum miniſterio? Et ſi fortaſſe ejuſdem indigerent, „ Judices eccleſiaſtici expoſcerent, iiſque expoſcentibus Principes, qui „ Canonum cuſtodes ſunt & executores, præſto eſſe debent „.

27.

27. " Et quando etiam judices ecclesiastici in Canones peccarent, cum ,, ipsi CANONES mandaverint Superiorem (*ecclesiasticum*) esse adeundum, ,, qui illatas injurias corrigat; si Principes velint esse Canonum custodes & executores, in hoc incumbere debent, ut, qui de inferioribus judicibus jure ,, queruntur, ad superiores ECCLESIÆ judices confugiant ,,.

28. Si mea in isto Auctorum dissensu quæratur sententia; dicam, eam mihi opinionem videri veram, quæ habet, tunc Principem tanquam Protectorem Ecclesiæ & Tutorem Canonum suscipere cognitionem debere de violatis Canonibus, quando interpellatus ab Ecclesia fuerit; nisi graves ac manifestæ politicæ rationes aliud illi non tam ut Ecclesiæ defensori quam ut tutori REGNI aliquando persuaserint: vel saltem quando apertissima ac manifesta intervenerit violatio Canonum eorum, unde status disciplinæ ac morum probitas pendet; non eorum, quibus mutabiles disciplinæ articuli continentur, & qui a LONGO jam tempore contrariis moribus a bonis & piis abrogati censentur.

29. Et sane quod alterum caput attinet (primum enim nulla interpretatione indiget), nisi ratio illius habeatur; continget, id quod factum non raro vidimus, turbari ac inverti ecclesiasticam omnem DISCIPLINAM, dum titulo TUITIONIS cujusdam male intellectæ urgetur executio Canonum vel morum, qui mutati jampridem sunt, succedentibus in locum eorum aliis moribus, qui cum casta Ecclesiæ disciplina in nullo pugnant.

30. Est igitur hic habenda ratio sapientissimæ illius regulæ, quam præscribit doctus & acutus Auctor libri inscripti: *Justification des Discours & de l'Histoire Ecclesiastiq. de M. Fleury Tom.* 1, *Part.* 3, §. 1, *Reg.* 1: " Postquam pede- ,, tentim caput aliquod disciplinæ mutatum est, si accedat Decretum Concilii ,, generalis, vel ROMANI Pontificis cum consensu cætus Pastorum (d'un PAPE suivi du corps des Pasteurs) ,, ad approbationem NOVÆ Disciplinæ; ,, tuto pronunciandum est, novum hoc caput etsi veteri mori contrarium non ,, esse aut contra Fidem, aut contra bonos mores; adeoque illud non esse ,, inter abusus habendum ......, quoniam nunquam id Ecclesia confirmat, ,, quod sit aut Fidei aut bonis moribus contrarium ,,.

31. Hæc ignorant novi quidam Scriptores, qui restitutionem quorundam Canonum ac Legum inculcare solent, quorum abrogatio tum est antiqua, tum legitima, cum nihil plane cum Jure Naturæ aut divino pugnet: nec vident, dum hoc isti agunt ut restituantur, a se impeti jura variarum Ecclesiarum, & variorum Ecclesiæ cætuum, ac præscriptionem & consuetudinem legitimam contemni.

32. Non vident etiam, si aliqua hodiernam ecclesiasticam disciplinam incommoda in mutatis articulis comitantur; id a pravitate hominum proficisci, non a disciplinæ vitio; & quodcunque tandem rerum systema fuerit positum, non defuturam tamen unquam hominum malitiam, quæ sanctis ac castis sanctionibus abutatur in obsequium suæ cupiditatis. Ridiculi ergo sunt Scriptores illi leves, qui tuitionem regiam ac protectionem ad ista disciplinæ capita revocant.

33. Pietas certe Regum non eo usque se decipi patietur, ut novis istis magistris aures præbeat. Norunt enim, hæc aggredi nihil aliud esse, quam dominos ecclesiasticæ disciplinæ se constituere & magistros ac doctores Ecclesiæ: nihilque id aliud esse quam tuitionem CANONUM vertere in manifestam eversionem.

34. Velim profecto mihi dicas, an nunc potior habenda sit ratio Canonum ac morum, qui exoleverunt, an eorum potius, quibus nunc stat disciplina? Isti certe nunc sunt Canones, quibus Ecclesia vim tribuit, & quos postulat custodiri. Igitur si Principes istos sibi sumpserint mutare, eversores erunt Canonum, non tutores; auctores disciplinæ NOVÆ suæ, non autem protectores ecclesiasticæ.

35. "Tuitio enim (ut dicebat nobis Illustr. de MARCA *Cap.* 1, *num.* 296) „ Canonum sententiam aliquo pacto egredi non debet. Alioqui IRRI-„ TUM est & inane quodcunque Principis Edictum ADVERSUS CA-„ NONES in rebus ecclesiasticis latum „.

36. Fac vero modo, speciem esse dubiam ac controversam, nec certam & evidentem esse CANONUM & Ecclesiæ sententiam; seu fac, dubium esse, pugnent, necne; nonnulli receptæ disciplinæ articuli cum vera ecclesiastici status indole; vel non constare, quos Canones, quos disciplinæ articulos, quos mores probet Ecclesia in specie aliqua peculiari.

37. In hac certe dubitatione sententia expectanda est Ecclesiæ; cum ipsi uni depositum commissum sit doctrinæ ac disciplinæ, & cum par sit, unumquemque esse judicem in sua arte & professione, prout LEO Sapiens Imperator judicavit *Cap. superiori VII, num.* 47 *seq.*

38. Qua, quæso, ratione tutum judicium ab Aulicis de disciplina illius Cætus feretur, cui ipsi adscripti non sunt, & in qua constituenda vel ii ipsi aliquando falluntur, qui tum scientia ecclesiastica, tum diutina experientia sunt præditi? Experimur, heu! nimium, quam infelices exitus habuerint præscripta quædam laicorum Magistratuum ad res ecclesiasticas spectantia. Deplorat Ecclesia detrimenta disciplinæ ac morum, quæ inde profecta sunt. Scilicet judicium ac scientiam sibi usurpantes rerum, quas nec norunt, nec nosse, credo, tenentur, dati sunt a Deo in perversum sensum.

39. Quod affirmavi, quando dubium eſt, pugnent, necne, nonnulli receptæ diſciplinæ articuli cum vera eccleſiaſtici Status indole; tunc hac in dubitatione expectandam eſſe Eccleſiæ ſententiam; id illi quoque faſſi ſunt, qui pro laicæ poteſtatis juribus accuratius ſcripſerunt; quos inter videtur mihi vindicare ſibi locum JOANNES PETRUS GIBERT.

40. Iſte *Tit.* 3, *Sect.* 8 *primæ Partis Prolegomenor. ad Jus Canonicum* hoc in una ſpecie faſſus eſt; unde transferri ad rem univerſam poteſt. " Magi„ ſtratus, *ait*, uſurparent auctoritatem quæ ſibi non competit, ſi appellatio„ nes tanquam ab abuſu admitterent, cum ſententia de qua appellans con„ queritur, non eſt EVIDENTER contraria legibus Eccleſiæ, quia hoc „ in caſu agitur de INTERPRETATIONE CANONUM, QUÆ „ NON COMPETIT PRINCIPI: Legis interpretatio pendet ab eo, „ qui ejus ferendæ auctoritatem habet „.

41. Maneat ergo, tunc tantum Principem tanquam Tutorem Eccleſiæ & Protectorem Canonum de violatis Canonibus aut de corrupta diſciplina ſuſcipere cognitionem poſſe aut debere, quando APERTISSIMA AC MANIFESTA intervenerit violatio Canonum eorum, unde ſtatus diſciplinæ, aut MORUM PROBITAS pendet; non eorum, quibus mutabiles diſciplinæ articuli continentur, & qui contrariis jam moribus a bonis & piis legitime abrogati cenſentur.

42. Habent autem illius generis multa tum Principes, tum Aulici, contra quæ zelum ſuum bonum exerant.

43. Alias autem Princeps tanquam Protector Eccleſiæ & Tutor Canonum ſuſcipere cognitionem debet de violatis Canonibus, poſtquam interpellatus ab Eccleſia fuerit; id eſt, quando ipſamet Eccleſia id obtinere non poteſt, quod latis legibus, vel pronunciata in aliquem ſententia intendit. Quod vel ipſum *Tutoris* nomen ſatis perſuadet.

44. " Nam quemadmodum (ait Auctor Tractatus *de l'Autorité des Rois, touchant l'Adminiſtration de l'Egliſe*, editi ſub nomine TALONII Regii Advocati celebris, Par. 2, Diſs. 1, pag. 84) „ Tutores ac Curatores pupillis da„ mus, ut eos adjuvent in illis, quæ præſtare ex ſeipſis non valent; ita Dei „ Filius ſuæ Eccleſiæ, quam in terris quaſi infantem pupillam poſuit, Reges „ dedit quaſi Tutores, ut eam protegerent, eique præſto eſſent in omnibus „ illis, ubi ſuis ſe viribus ſuſtinere ipſa non poſſet „.


Quis esse debeat ordo inter officium TUTORIS Ecclesiæ, & officium DEFENSORIS Regni.

45. Distinctis initio istius Capitis duobus officiis in Rege, Tutoris Ecclesiæ & Canonum, & DEFENSORIS REGNI ac jurium regiorum; videndum est nunc, quæ sit via conciliandi bina hæc Regis officia, si quando inter ea aliquis existat conflictus, ita ut unum destruere alterum videatur: inquirendum est, inquam, ea in pugna, quodnam duorum cedere alteri debeat.

46. Ubi hoc; non est dubitandum, in pari causa DEFENSOREM REGNI, Tutori Ecclesiæ dare locum oportere, seu utilitates Ecclesiæ spirituales præire debere rationibus Regni temporalibus. Quod ipsa rerum natura persuadet; quando tantopere & dignitate & finibus spiritualia præstant temporalibus.

47. Hoc vidit & acutus Auctor Tractatus vulgati sub nomine TALONII Par. 2, Differt. 1, citat. pag. 89, edit. Amstelod. 1700. " Rebus „ paribus, *ait*, aut etiam non multum inæqualibus dubitare nemo potest, „ quin rationibus, ut ita dicam, Dei quam longe debeat utilitas hominis „ cedere „. (que l'interét de l'homme doit infiniment ceder aux interét, pour ainsi dire, de Dieu).

48. Sed cum incidere possit quæstio Sacerdotium inter & Imperium, intersitne magis Imperii, an Ecclesiæ, Decretum aliquod sive ecclesiasticum, sive civile fieri, vel tolli, aut suspendi; jam & hoc oportebit videre, in quo homine controversiarum hujusmodi judicium & arbitrium resideat. Istud vero reservo explicandum *Capite XIII:* inde certe satis lucis ad hoc intelligendum ac definiendum habere poterimus.



CA-

CAPUT XII.

In Judicio de Rebus, quas Mixtas appellamus, Scholasticorum ratiocinationes non raro fallunt, HISTORIA quoque parum sæpe juvat. Igitur ad Quæstiones de Rebus Mixtis finiendas, habenda est vetustæ POSSESIONIS ratio. Consectaria hujus doctrinæ.

I. *Quoad Res Mixtas Scholasticorum ratiocinationes non raro fallunt.*

1. RECOLENDUM hoc loco est id, quod *Cap. V, num.* 24 *seq.* declaravimus, a nobis CAUSAS MIXTAS eas intelligi, quas per diuturnam consuetudinem; aut per concessionem vel expressam, vel tacitam alterius partis vindicavit sibi alterutrum forum, ecclesiasticum, aut laicum.

Quam tamen notionem deferat, qui volet; id enim in cujusque potestate relinquo: & aliunde non alio meum hoc Caput spectat quam ad omnes causas seu prætextus præcidendos, per quos seu Imperii seu Sacerdotii jura legitima impugnari solent.

Sed si quis tamen a me forte peteret CAUSARUM MIXTARUM descriptionem ab ipsa rei natura petitam; non autem indefinitam, promiscuam, & quasi suspensam, ut illa est, qua nos utimur; omnes, puto, illam præ omnibus probabunt, quam protulit JOANNES PETRUS GIBERT in *Prolegomenis ad Jus Canonicum Tit. VIII, Sect.* 3.

Ponit ille causas seu res esse posse *mixtas* ex duobus capitibus. Primo, quando ex vario respectu, sub quo considerantur, ad diversas potestates referuntur; veluti est Matrimonium apud Christianos, quod tum habet rationem contractus civilis, tum rationem Sacramenti, & hinc habet quoque tum effectus civiles, tum spirituales.

Se-

Secundo res esse possunt *Mixtæ* ob influxum earum tum in statum temporalem tum in spiritualem; exempli causa, quando id, quod spiritualem potestatem respicit, tantam (ait GIBERTUS) cum civili administratione connexionem habet, ut leges ecclesiasticæ effectum sortiri nequeant, nisi aliqua regimini Reipublicæ mutatio inferatur. Atque huc spectant pleraque ex impedimentis, quæ matrimonium dirimunt ex potestatis humanæ præcepto; vel, exempli gratia, Testamenta Beneficiariorum; & ejusdem generis alia.

In qua rerum seu causarum MIXTARUM descriptione includuntur definitiones illæ, quas dedere nobis *Cap. V, num.* 21 - - 23 Ægidius Romanus, Natalis ALEXANDER, & ALTESERRA; ut fiet consideranti manifestum. Sed plura non explico; quoniam quicquid ad *causarum mixtarum* naturam definiendam protulero, id omne non magnos ad rem nostram usus habiturum fore video. His præmonitis venio ad rem.

2. Atque ut ordiar ab eo, quod ponebam, in quæstionibus de rebus MIXTIS, SCHOLASTICORUM ratiocinationes non raro fallere: si mentis nostræ ratiociniis in rebus, quæ *Mixtæ* appellantur, inniti voluerimus; facile erit in alterutrum ex extremis impingere, & nostris potius præjudiciis obsequi, quam veritati servire. Nam frequenti experientia docemur, quam facile sit leves vanasque rationes nostro ex ingenio eruere ad probandum, quicquid jam animo conceptum tenemus, seu ad confirmandum errorem, qui forte animum occupaverit.

3. In primis autem industrii sumus, ubi animum excitat aut cupiditas, aut susceptæ defensionis ardor. In scientia etiam nostra multi sunt errores, in quos ii lapsi sunt, qui ex humano ingenio metiri divina ac interpretari sunt ausi: ad quam rem juvabit revolvisse memoria Annales ecclesiasticos Seculi præsertim undecimi & consequentium. Cujusmodi errorum aliquos habes quoque descriptos ac notatos a FLEURYO in suo *cinquiéme Discours sur l'Histoire Ecclesiast.*

4. Atque illi errores adoptati sunt & novis etiam accessionibus aucti a plurimis nostrorum interpretum: " Quorum tandem contentionibus (dicam cum Archiep. Parisiensi Petro DE MARCA in Præfatione ad libros de Concord. Sacerd. & Imper. §. 1) ,, prope effectum est, ut sinceram cogni-
,, tionem istiusmodi negotiorum amiserimus, & a concordia & societate illa
,, pene exciderimus, ad quam fovendam jussu divini Numinis adstringimur ,,.

5. Et istorum quidem methodum cum idem Petrus DE MARCA considerasset, ab ea sibi recedendum putavit: " Longe enim (ait in Litura Cen-

suræ

ſuræ Romanæ, contra libros illos *de Concordia* latæ Prolegom. pag. 54) „ di- „ verſa ab ea, qua Scholaſtici utuntur methodo; de rebus propoſitis diſputo „.

6. " Scholaſtici enim ſubtilium argumentorum acumina ſectantur ad pro- „ poſiti ſui probationem, vel in recentiori Decretalium aut ſane hujus vel ſu- „ perioris ſeculi Scriptorum allegatione utplurimum immorantur „.

7. Hoc tamen in loco nolim quis exiſtimet, a nobis momenta rationum contemni, quæ e rei natura petita docendi aut argumentandi cauſa ſint a noſtris allata, habita ratione antecedentium & conſequentium omnium; ita ut cuncta illis ſint mente præviſa ac comprehenſa ratione: & nihil vitii in eorum ratiocinationibus lateat. Iſta enim ego & approbo, & laudo & ſequor, ubi opus ſit.

8. Itaque ea tantum rejicio rationum momenta, quæ pugnant cum Antiquorum ſenſu, & quæ ab antecedentibus non derivantur, & a conſequentibus evertuntur, quia ſcilicet ſine juſta rerum circumſtantium comparatione fuere conficta: nec ſunt aliud quam complexio fallaciarum *in vocibus & in re*, ut Logici loquuntur.

II. *In Judicio de rebus eiſdem Mixtis HISTORIA quoque parum ſæpe juvat.*

9. Quid ergo? An potius in *Mixtis* Hiſtoria conſulenda, atque ex factis & ab exemplis judicandum? Hanc quidem ſibi viam tenendam cenſuit MARCA; pergit enim ibidem: " Ego autem res ipſas ab origine repetens, argumenta „ momentaque rationum, hiſtoriæ eccleſiaſticæ & canonum legumque aucto- „ ritati conjungo, ut eccleſiaſticam juriſdictionem ſuis fundamentis ſtabilitam „ ipſoque uſu Principibus & populis accepto confirmem „.

10. Sed clarius mentem ſuam aperuit MARCA in Reſponſione ad Notas Lucæ Holſtenii in Tomum primum *de Concordia* num. 6, pag. 51 Prolegomenorum: nam cum HOLSTENIUS objeciſſet, a Marca viam factorum & exemplorum tantum inſiſti, etiam eorum, quibus vulnus aliquod juriſdictioni eccleſiaſticæ inferri videtur; regerit MARCA: " Gravis ſane accuſatio, ſi „ juris diſputationem in rebus controverſis promiſiſſem, a qua tamen de induſtria me receſſurum dixi, ne de finibus utriuſque Juriſdictionis ego pri- „ vatus homo tranſigere viderer. FACTI diſceptationem in me ſuſcepi, „ ut pateret, quid geſtum in expanſa annorum ſerie, ſine ullo animorum diſ- „ ſidio, vel cum acerrimis CONTENTIONIBUS, & ex eo viri pruden- „ tes colligerent, quid in ſimili ſpecie ſequendum vel fugiendum foret „.

11. Verum neque hanc methodum probare poſſum, cum ſit multis magniſque incommodis obnoxia. Primo enim nemini non notum eſt, quam multis

multis tenebris Hiſtoria rerum & factorum ſit involuta, & in tanto annorum intervallo temporumque viciſſitudinibus quam multa interierint monumenta, ex quibus accuratius de re tota edoceri poſſemus. Hinc ſæpe difficillimum accidit ſtatum rerum ac factorum integre retegere, eorum præcipue, quæ variis fuerunt implicata circumſtantiis. Notum eſt autem, unius circumſtantiæ mutatione aut omiſſione naturam ſeu ſpeciem rei aut facti ſæpe mutari.

12. Ponamus, exempli cauſa, legem latam fuiſſe laicam, unde eccleſiaſtica Poteſtas læderetur; & adverſus hanc legem eccleſiaſticos Præſules eſſe conqueſtos; aut, ſi forte tacuerunt, ea de cauſa tacuiſſe, quod tempora clamare vocemque extollere non ſinerent. Narretur autem hujuſmodi factum ſine alterutra harum circumſtantiarum, & lex ſola recitetur. Jurene ac recte hoc ex facto circumſtantia ſua exuto atque ex hac lege argumenteris in gratiam laicæ Poteſtatis?

13. Ponamus iterum, ab eccleſiaſtica Poteſtate prodiiſſe legem de temporali re decernentem; ſed hanc legem fuiſſe latam petente laico Principe, aut aperte aſſentiente; vel etiam contradicente, & de ſuis juribus expoſtulante. Nemo ſane in gratiam Poteſtatis eccleſiaſticæ argumentum ex ea lege duxerit, omittendo circumſtantiam petitionis & aſſenſus, vel contradictionis & querelarum.

14. Vel ipſe Petrus de MARCA laudatus *in Præfatione ad libros de Concord. Sacerd. & Imper. num.* 2, etſi propoſuerat ſibi in hac re ſe intra facti inquiſitionem, & in ſolo antiquorum monumentorum examine continere, diſſimulare tamen non potuit, " viam iſtam multis inſidiis & veluti LATRONUM prætenturis expoſitam eſſe: quia ſcilicet in expanſa illa ſeculorum ſerie varia occurrunt exempla hinc & inde USURPATÆ juriſdictionis, quæ ancipitem animum ad deſperationem inveniendæ veritatis adigant ".

15. Deinde ſi ad Codices Legum oculos convertimus; non pauca ibi dubia, obſcura & fallacia occurrunt. Evolve Collectiones omnes CANONUM tum antiquas, tum Medii Ævi, Latinas, Græcas, Orientales; ſcrutare Codices Theodoſianum & Juſtinianeum, ac Baſilicorum volumina; exſcribe Capitularia; profer leges Longobardorum, Viſigothorum, Salicam, Ripuariorum, Bajuvariorum, & alias, ſi quas habes, Medii Ævi leges: an tandem te inde valde profeciſſe ſperas, ut ſequeſter in quæſtionibus de violata juriſdictione ſis tum doctus tum verax? Quid vero ſi frequenter ignoras, qua ratione, qua methodo, a quibus conditæ leges fuerint? aut unde earum ſententia fuerit derivata, & quarum antiquarum legum auctoritate nitantur? Recole ea, quæ de CAPITULARIUM Regum Francorum origine & indole exhibebam *Cap. X.*

16.

16. Quid si non primigenias leges sub oculis habeas quandoque, sed mutatas, inversas, aut truncas, vel ad diversum sensum inflexas? cujus rei exempla in antiquis Canonum collectionibus etiam habemus. An temporum historiam tenes perfecte, unde legum illarum modos ac vices varias describas accurate? Gentiumne antiquarum varios mores calles plene, ad hoc ut leges illas nostris aptare moribus possis? Quid etiam si aliquando nec rerum, nec verborum vim tenes, quæ iis in legibus occurrunt? Exemplum insigne erroris, in quem ob ignoratam vim sententiamque verborum lapsi sunt Viri ceteroqui nominatissimi, habes *Cap. ultimo istius Commentarii num.* 20-- 22.

17. Ut vero de factis & exemplis dicamus aliqua separatim, nihil ex omnis sani hominis sententia magis est subdolum, quam ex factis quibusdam nullo diuturno tempore continuatis, nullo certo more confirmatis, aut assensu Potestatis utriusque probatis, velle JUS constituere. Facta enim pro hominum genio seu cupiditate, potentia & voluntate sunt varia. Et sicuti absurdissimum esset, leges præcipue *naturalem* & *divinam* interpretari ex eo, quod a plerisque hominibus tum corruptis, tum cupiditate excæcatis fieri quoque videmus; seu ex factis velle juris privati regulas colligere; ita absurdum est, velle ex factis Jus Publicum constituere.

18. Neque si ea aliquamdiu patienter tulit Ecclesia, etiam probasse dicenda est: hoc enim silentium postulat aliquando Ecclesiæ causa ad majora vitanda mala. Itaque ex hujusmodi silentio non possumus de sententia Ecclesiæ judicare.

19. Quam sit res incerta ac lubrica ex gestis quibusdam vel Regum, vel Pontificum velle de juribus Potestatum judicare, ostendit Petrus de MARCA in Præfatione illa §. 2: " Non me latet (ait) eandem controversiam diversis seculis varie temperatam pro moribus Principum & utilitatibus Reipublicæ, idemque jus varie disceptatum TOLERATIS uno seculo, quæ altero damnata sunt, iterumque reposita ,,.

20. " Unde colligere licet disceptationes istas non omnino juxta exquisiti juris rationes componi solitas; sed ex æquo & bono, unitatis & CONCORDIÆ alendæ studio ex utraque parte quam plurima remissa fuisse ,,.

21. Hæc MARCA; qui ista quidem & similia cum pervidisset, testatus est quoque, nolle se ex præteritis exemplis jus, certissimum saltem, colligere. Subdit enim e vestigio ibidem: " Quare ea mente in explorandis veterum exemplis versabimur, ut inde non inferamus juris, quod alterutri Potestatum competit certissimam probationem, sed indulgentiæ & REMISSIONIS usum in simili specie ,,.

22. Et §. 4 Magiſtratus admonet, " ne putent ex præjudiciis rerum ju-
„ dicatarum EX AMBIGUO, ut ſit PLERUMQUE, jure regulas NOVÆ
„ Diſciplinæ eccleſiaſticæ conſtituendas, ſed potius ex receptis & veris majo-
„ rum REGULIS judicia componenda „.

23. Tandem ut apertiſſime demonſtrem, admodum eſſe infidam & incertam viam tum factorum & exemplorum, tum multarum etiam legum, ad definienda jura alterutrius Poteſtatis in rebus pluribus, quas *mixtas* appellamus; placet paululum per vetuſta tempora veteremque diſciplinam excurrere. Sed illud primum animo recolendum eſt, genus humanum a duplici poteſtate regi, temporali & ſpirituali; a temporali quoad corpus; a ſpirituali quoad animam: & hanc duplicem poteſtatem fuiſſe homini neceſſariam ad hoc, ut totus idem homo regi poſſet, tum quoad corpus ſcilicet, tum quoad animam.

24. Cum præterea corpus & anima ſint in homine res una conjuncta, & ſe invicem adjuvent, ſintque unius ejuſdemque operationis principia; oportuit, poteſtatem quæ corpori præeſt, & poteſtatem, quæ regit animum, conjunctis quaſi conſiliis operari, ne ex oppoſitis Poteſtatis alterutrius præceptis ulla in hominem pugna induceretur. Sed maxime oportuit, utramque Poteſtatem mutuum ſibi præſtare adjutorium; ad id ſcilicet ſupplendum, quod alterutri deeſſet; ſpiritualem adjuvari a temporali, ut fortior ſit ac validior, & ne ſine effectu piæ pro animarum ſalute ſollicitudines cadant; temporalem ſuſtineri a ſpirituali, quo magis Regni ac populorum ſtabilitati conſulatur.

25. Hanc vero operam mutuam ſibi præſtiterunt olim Poteſtates ſpiritualis & temporalis. Vide Antonii HOTMANNI *Tractatum de Libert. Gallic. num.* 24--26 *in Tomo* 1 *Collectionis Petri* PUTEANI.

26. Neque ſolum mutuam ſibi operam præſtabant; verum etiam tanquam ſociæ fœderatæque aliquas propriæ poteſtatis partes ſibi mutuo communicabant: interim vero non ignorabatur, hoc vel illud non eſſe innatum, ſed adventitium ex alia poteſtate; multoque minus querelæ aut diſceptationes de invaſis alienis finibus exoriebantur.

27. Ad quam rem optime Ludovicus THOMASSINUS ſcribit Diſcipl. Par. 2, Lib. 3, Cap. 110, num. 2. " Innumeræ propemodum leges de rebus
„ eccleſiaſticis ab Imperatoribus editæ ſunt; de rebus & perſonis Clerico-
„ rum judicia ab eiſdem ſexcenties manarunt. Quamdiu juſtitia & majeſtas
„ CANONUM honori fuit, & curæ, de juriſdictione NULLA facta eſt con-
„ troverſia, nihil non ſummo DEFENSORI SUO condonante ECCLESIA „.

28. " Viciſſim autem Principes, qui tantum ſibi ſumebant in rebus &
„ cauſis ECCLESIÆ, plurimum & ipſi EPISCOPIS IN CAUSIS
CIVI-

„ CIVILIBUS tribuebant; eaque CONCORDIA certe accommodatiſſima „ erat, tum ſanctitati judicibus & judiciis civilibus, tum authoritati firmi- „ tatique eccleſiſticis vindicandæ „.

29. Sapienter ergo dictum ab Epiſcopo Meldenſi BOSSUETO in Defenſion. Declarat. Gallic. Lib. 4, Cap. 5, edit. recogn., " non eſſe ſemper „ pro vero innatoque Eccleſiæ jure reputandum id, quod ea egerit, habuerit, „ decreverit, tacentibus Regibus; ſed diligentiſſime ſecernenda, quæ a Chriſto „ conceſſa ſint, ab iis, quæ Regum auctoritate, conſenſu, permiſſu, conni- „ ventia, ſilentio denique geſſerit, aut habuerit. Quod itidem uſu venit in „ eccleſiaſticis rebus, quas ſæpe videmus REGIBUS attributas „.

30. " Sic Imperatores id ſibi ſexto etiam ſeculo & Gregorii Magni tem- „ pore vindicabant, ut nemo in Cathedra Petri etiam electus ſederet, niſi „ qui ipſis probaretur „.

31. " Sic in Epiſcopatus omnes Reges Franci, primæ quoque dynaſtiæ „ tempore, atque aliarum gentium Reges id ſibi juris tribuebant, ut non- „ niſi eorum voluntate ac juſſu Epiſcopi fierent: eoque res devenit, ut „ edita formula, a ſe deſignatis prædicationis munus injungerent, ac *Ponti- „ ficalem in nomine Dei committerent dignitatem:* eos denique a Metropolitanis, „ ceteriſque Coepiſcopis benedici præciperent „.

32. Sic denique a tot ſeculis tot præbendas, tot eccleſiaſticas dignitates, „ tot alia beneficia cum cura & ſine cura, vel *regalium,* vel alio quocunque „ nomine, pleno etiam jure conferunt „.

33. " Non ideo adverſarii hæc omnia REGIBUS ESSE INNATA „ per ſe, imo vero ab ECCLESIA manaſſe decernent: ac tametſi nullæ „ conceſſiones producuntur, valere tamen ea omnia ex conſenſione TACITA „ facile demonſtrabunt. Quid ita? Quia ſcilicet ipſa rerum NATURA „ docet, eccleſiaſtica nonniſi PER ECCLESIAM haberi poſſe „.

34. " Sic ubi ECCLESIA feudos adimit, concedit, aut aliud quid „ ex civili poteſtate decerpit, ea CIVILIS Poteſtatis conſenſioni ſaltem „ tacitæ accepta referemus „.

35. Hic cogor eximium hunc BOSSUETI locum abrumpere, ut admoneam, hanc explicandi rationem non eſſe unius Boſſueti, utpote qui ex epiſcopali eſſet ordine, propriam ac peculiarem; ſed eandem occurrere pariter in *Tractatibus de Libertat. Gallicanis* a Petro PUTEANO collectis & editis.

36. Antonius enim HOTMANNUS ex Advocatorum cætu *num.* 35 *sui Tractatus* (qui ibidem extat in tomo 1, pag. 133 etc.) ad concessionem ECCLESIÆ, & ad ecclesiasticum privilegium refert similiter jura, quibus Francorum REGES fruuntur, investituram dandi EPISCOPATUUM, Regalium, & alia generis similis. Adeas & Jacobum Josephum DUGUET *de Institutione Principis Par.* 4, *Cap.* 4, *art.* 1; unde & istius sententiæ petere FUNDAMENTA poteris.

37. DUPINIUS quoque *de Eccles. Discipl. Diss.* 7, *Cap.* 1, §. 5 *sub initium* agnovit, *REGES debere Ecclesiæ MULTA ecclesiastica MUNIA quibus fruuntur.*

38. Ex his vero fit, ut non mirari non possim, Stephanum BALUZIUM, virum scilicet in antiquitate exercitatissimum, scripsisse in Notis in epistolam 81, LUPI Ferrariensis pag. 416, " merito rejiciendam esse sen„ tentiam illustrissimi Card. Baronii; qui ex hoc Lupi loco (in epist. citata) „ collegit, jus illud, quo per eas tempestates (seculo nimirum IX, quo LUPUS florebat) „ in dandis Episcopatibus, non ex ipsorum auctoritate „ fluxisse, sed ex concessione Sedis apostolicæ, nullum enim penitus in re„ bus ecclesiasticis jus habere Reges „. Quid enim respondet BALUZIUS, ut merito rejectum Baronium doceat?

39. " Sane diffitendum non est (reponit), quin ita cum Baronio sen„ tiant Transalpinæ gentes. Nos vero Galli REGES nostros non summo„ vemus prorsus a rebus sacris, ab iis nimirum quæ disciplinam ecclesiasti„ cam respiciunt, & EXECUTIONEM regularum ecclesiasticarum „. Ubi vides, Lector, a BALUZIO res misceri, ac quæstionis statum mutari. Sufficiat dicere, morem illum dandi EPISCOPATUS nullo modo esse in *executionem regularum ecclesiasticarum*; quoniam *regulæ ecclesiasticæ* electionem canonicam per plurium SUFFRAGIA postulant.

40. Cum superioribus doctis viris concordat Natalis ALEXANDER *Hist. Eccles. Sec. XV & XVI, Diss. XI, Art.* 6, *num.* 7; cujus verba eo libentius profero, quod inde pandatur nobis via ad leniendum æqua interpretatione allatum modo BALUZII dictum.

41. " Non prohibetur Principibus, (ait Natalis ALEXANDER), „ ne EPISCOPOS Ecclesiis designent, si id ipsis ECCLESIA concesserit, „ vel permiserit: quod quidem eo casu præstabunt NON JURE IMPERII, „ sed præsidii, ad Ecclesiam juvandam; & nominatio Regia vim electionis „ habebit, quatenus Rex ut Ecclesiæ DEFENSOR, & ut populi caput, „ seu ut persona inter Clerum & laicos media, utrumque Ordinem in negotio

„ electio-

„ electionis Episcoporum repræsentat, sive utriusque jura exercet, ECCLE-
„ SIA concedente„.

42. Secundum hæc ergo interpretari licebit BALUZIUM, ubi indicat, regiam ad Episcopatus nominationem pertinere ad *executionem regularum ecclesiasticarum.*

43. Sed iterum pergo cum BOSSUETO: " Passim occurrit, *ait*,
„ in Imperatorum Regumque authenticis & capitularibus, ut qui hæc &
„ hæc fecerit, sacro ordine deponatur, excommunicetur, in pœnitentiam
„ redigatur: quæ haud minus intelligimus CANONUM auctoritate fieri;
„ tametsi non id semper expressum est„.

44. " Multa etiam a Regibus de Ecclesiis ordinandis edicta sunt, quæ
„ in Canonibus vix ac ne vix quidem invenire possumus, CONSENSU
„ ECCLESIÆ valere ea facile intelligimus„.

45. *Sit etiam id exempli causa positum. Decernit ita Carolus Calvus*: Hæc si quis transgressus fuerit, anathematis vindicta feriatur, & comitis districtione constringatur: *quæ uno licet tenore posita, tamen ad suos fontes quæque revocamus.*

46. " Sic cum Pontifices eodem contextu ecclesiasticis CIVILIA mi-
„ scent, sane meminerimus haud minus secernenda esse, quæ ipsis per sese
„ competant ab iis, quæ a civili potestate mutuantur„.

47. " Nempe utriusque potestatis sancta SOCIETAS postulabat, ut
„ altera alterius munia in speciem usurparet eo jure, quo AMICI amicorum
„ rebus utuntur: his certe omnibus communi societate & CONSENSIONE
„ valituris „.

48. Addit BOSSUETUS " quo jure Reges ex Canonibus super
„ animarum statu toties cum Episcopis decreverunt; eodem jure Pontifi-
„ ces in Conciliis Lateranensibus III & IV super temporalia cum Re-
„ gibus Synodo adhærescentibus atque præsentibus ex legum auctoritate
„ decrevisse „: de quorum Conciliorum Decretis prolixe agit BOSSUETUS in hujus ejusdem Libri quarti capitibus primo, secundo, tertio, & quarto. Et de similibus Decretis pœnas scilicet temporales inferentibus, quæ a Conciliis Constantiensi & Basileensi prodierunt, disserit idem Præsul ibidem cap. decimo.

49. Ea autem omnia eo pertinent tantum, " ut & Pontificia ab Re-
„ giis distinguantur officia (ait cap. 5. cit.), & liquido appareat, sic Re-
„ gem inter & Pontificem consentire, ut si quid alter ex altero usurparit,
„ id ambobus volentibus consensione mutua, tacita vel expressa factum,
„ neutri fraudi esse possit„.

50. *Hoc societatis ac mutuæ amicitiæ jure Lucius III capite* ad abolendum *de hæreticis statuit*, ut Comites, Barones, Rectores, & Consules civitatum & aliorum locorum nisi requisiti Ecclesiam adjuvent contra hæreticos, honore quem obtinent spolientur, neque ad alios assumantur. Legesis, ejusdem BOSSUETI *Librum* 2, *cap*. 29.

Alios loquendi modos horum fere similes in priscis monumentis frequentes depromsit ac explicavit Ludovicus THOMASSINUS *Discipl. Par.* 2, *Lib.* 3, *Cap.* 92, *num.* 12, -- 14, 16.

At multo plura eo de genere collecta habemus a JOANNE PETRO GIBERT in Prolegomenis ad jus Canonicum *Par.* 1, *tit. VIII*, *pag.* 14 -- 22, *tomi* 1. Hoc in loco Vir doctus plurima congerit Decreta, ab ecclesiasticis Præsulibus circa res temporales sancita; multasque vicissim profert leges, quas Principes de rebus mere ecclesiasticis condidere: ubi & illud videre est, ait in sectione illius tituli altera, Concilia persæpe reticere, a quo teneant auctoritatem, qua Decreta illa sua faciant; utrum a Christo, an vero a Principibus eam potestatem acceperint? Et par silentium esse in legibus PRINCIPUM circa res mere ecclesiasticas; eos enim perraro dicere se ideo statuere, ut procurent EXECUTIONEM legum Ecclesiæ.

Unde duo ille colligit. Primo, utrum leges auctoritate spirituali, an autem temporali conditæ fuerint, dignosci non posse ex eo, quod in *Conciliis* existant, aut in *constitutionibus Principum.* Judicium scilicet ferri debere ex natura materiæ, quam præcipiunt aut vetant.

Secundo, eum fore in errore qui contenderet, Deum dedisse Principibus potestatem determinandi quid credendum sit, & ordinandi res mere ecclesiasticas; quia inter leges Principum Christianorum quædam tales existunt.

At nihilo verius dictum iri, Ecclesiam accepisse a Christo veram potestatem circa res temporales; quia *Concilia* sæpe leges super iis rebus tulerunt. Utramque ratiocinandi viam æqualiter perniciosam fore; utriusque vitium ac falsitatem facile ex prædictis detegi.

Si quis sane velit, quasi sponsione facta, provocare ad exempla, & leges priscæ ætatis, ut ex iis de juribus utriusque Potestatis statuatur; nocebit Imperio forte magis quam Sacerdotio. Quam ad rem Auctor Tractatus (qui prodiit sub nomine TALONII Jcti Galli notissimi) *de l'autoritaté des Rois touchant l'administration de l'Eglise* in fine Partis primæ, non dubitavit affirmare, qui certare exemplis vellet, eum inde multo grandius formaturum volumen pro Sacerdotio, quam pro Imperio (*feroit un volume plus gros de beaucoup.*

Omni-

Omnino autem adversus allegantem pro Imperio leges & exempla superioris ætatis unicuique vicissim erit integrum, pro Ecclesiæ juribus provocare ad leges & exempla a Sacerdotio profecta non unius speciei, nec temporis aut loci unius. Sed tandem utriusque conatus ac labor recideret in nihilum, quoniam instabili ac fluxo fundamento uterque inædificaret.

Ergo quoniam habemus (dicam cum laudato GIBERTO *loc. cit.*) decreta Superiorum ecclesiasticorum circa omnes fere res temporales; & paucæ vicissim sunt spirituales, circa quas non habeamus leges Principum, hæc legum ecclesiasticarum & secularium quasi confusio circa res easdem spirituales aut temporales non aliunde est derivanda, quam ex ea concordia, qua ecclesiastica Potestas ac laica jungi invicem debent, ex eoque studio, quo utraque SECUNDUM SPIRITUM DEI, officio suo satisfacere satagebat........ ambæ Potestates mutuo auxilio indigent; Deusque illarum auctor vult eos, quibus alterutram committit, sibi mutuam necessariamque ad continendos in officio populos opem ferant.

51. Colligamus ergo iterum cum BOSSUETO, non esse semper pro vero innatoque Ecclesiæ jure reputandum id, quod ea egerit, habuerit, decreverit tacentibus Regibus, & idem usuvenire in ecclesiasticis rebus, quas sæpe videmus REGIBUS attributas. Colligamus item rursus cum Joanne Petro GIBERT, utrum leges auctoritate spirituali, an autem temporali conditæ fuerint, dignosci non posse ex eo, quod in Conciliis sint, aut in Constitutionibus PRINCIPUM; sed judicium ferri debere ex natura materiæ, quam præcipiunt aut vetant.

Et colligamus tandem ex istis, ubi de Juribus quæritur alterutrius Potestatis quoad res plures, quas *mixtas* appellamus; quam infida sit & incerta via tum LEGUM, tum exemplorum & factorum, per quæ nunc unum disciplinæ caput arripitur, mox aliud, quæve nullo diuturno tempore, nullo ordine continuata fuere, nullo fixo more confirmata, nullo firmo Potestatis alterius assensu probata.

III. *Ad Quæstiones de Rebus* Mixtis *finiendas habenda est vetustæ POSSESSIONIS ratio.*

52. Quæret ergo aliquis, quæ sit via expeditior ac tutior ad Quæstiones de Rebus MIXTIS finiendas. Respondeo, in hisce rebus habendam esse rationem vetustæ POSSESSIONIS; seu videndum, quis Patrum nostrorum memoria possederit; & tunc Patrum terminos movendos non esse.

53. Habenda igitur eſt ratio PRÆSCRIPTIONIS immemorabilis, etiam in iis diſceptationibus, quæ de Juriſdictione incidunt inter Sacerdotium & Imperium. Hæc eſt via ad pacem, amicitiam & concordiam veterem revocandam ac reſtituendam inter utramque Poteſtatem. Hac via pax inter Reges ac inter Regna ſtat; eademque via concordia inter privatos viget. Cur eodem PRÆSCRIPTIONIS jure querelæ inter Sacerdotium & Imperium non terminentur? Non minoris certe facienda eſt pax inter Eccleſiam & Regnum, quam Regum inter ſe, aut privatarum familiarum.

54. Si originem ac fontem Jurium multorum Sacerdotii ac Imperii inveſtigamus, ac ſua unicuique parti reddere volumus; aliqua forte adhuc ab Eccleſia auferre alicubi oportebit; at multo plura de REGNO demenda erunt. Quid ergo ob iſta excitamus diſſidia, quæ tandem in magnum Regni & Eccleſiæ damnum recidunt?

55. Atque hic audire juvat non Epiſcopos forte aliquos, non Monachos, qui fortaſſe dicerentur pro domo ſua perorare, ſed Jureconſultos ex laicorum cætu. Eximius Comes CHRISTIANI in urbe Mediolano Magnus Cancellarius uſque ad annum 1758, quo mortuus eſt, in tractatu *de Aſylo ſacro*, quem italico idiomate ſcripſit, exponit primo, quam multis abhinc ſeculis Eccleſia ſola potiatur jure imponendi Aſylis ſacris leges: tum ſubdit *pag.* 41:

56. " Cum igitur nec legale ſit, nec facile poſſeſſionem & morem „ invertere adeo antiquum, tum quoad hoc caput, tum quoad alia, quæ „ turbarent in PRINCIPATIBUS univerſa, ſi ANTIQUOS rerum „ ſtatus conquirere ac inveſtigare vellemus; NEQUE enim quicquam „ eſſet IN PRINCIPATIBUS ſtabile ac tutum: propterea amore PACIS, „ quæ ſummum eſt hominum bonum, in vetuſtis POSSESSIONIBUS „ origo LEGITIMA præſumitur (ſi preſume ne' poſſeſſi antichi il dritto „ di origine) „.

57. Ita ſane; niſi ſocietatem generis humani ſubverſam plane volumus. Sed Italo Juriſconſulto ſuccedat Gallus. Eſt is Antonius HOTMANUS, quem *Libertatum Gallicanarum ſcientiſſimum* nominat Petrus PUTEANUS ſub initium Commentarii ad Petrum PITHÆUM de iisdem Libertatibus. HOTMANNI tractatum jam citavimus ſupra *num.* 36; is itaque *ibidem num.* 40 -- 45 tum poſſeſſionem ac PRÆSCRIPTIONEM Romani PONTIFICIS agnoſcit in rebus non paucis, quas ex innato jure non habeat, tum TITULUM hujus præſcriptionis aſſignat.

58. Hunc Titulum reponit in SUPERIORITATE, ut ait; ſeu in eo quod Romanus PONTIFEX ſupra Eccleſias ceteras poſitus eſt.

„ Quando

" Quando enim Superior quicquam sibi more vindicavit, id ei loco TITU-
" LI est. Atque id habet SUPERIOR commodi, quod ea, quæ sibi
" consuetudine asseruit, juribus SUPERIORITATIS tribuantur ".

59. " Et hinc subsidia, quæ Pontifices ab Ecclesiis inferioribus perci-
" piunt, juribus illius adscribuntur. In præscriptione immemorabili non
" opus est ostendere titulum, sed illum allegasse sufficit: & non immerito
" TITULUS frequentior est SUPERIORITAS: quemadmodum,
" causa exempli, vectigalia & tributa non solvuntur nisi in agnitionem
" superioritatis ".

60. " Hanc ergo ob causam alienum videri non debet, si Pontifices
" sua tueantur jura, etsi ea titulo in scriptis exhibito probare non valeant.
" Præeminentia enim supra Ecclesias reliquas ad hoc Pontifices juvat, ut
" putentur in antiqua possessione esse ex bona & justa causa. Quando cum
" possessione conjungitur justi tituli species seu TITULUS apparens, ut
" SUPERIORITATIS; tunc Doctores dicunt, sufficit allegare titulum ".

61. " Sed hanc possessionem necesse est esse IMMEMORABILEM.
" Quod non sic tamen intelligendum est, quasi oporteat hæc jura ita esse
" vetusta, ut credantur a prima Ecclesiæ origine fuisse imposita. SUFFI-
" CIT enim impositionis hujus seu perceptionis jurium initia esse extra
" hominum memoriam; hoc est, possessionem ita esse antiquam, ut nemo
" viderit aliter fieri, nec a majoribus suis audierit, id aliter fuisse factum ".
Omnium est opinio nec audivisse, nec vidisse, cum id opus fieret, nec ex
iis audisse, qui vidissent aut audissent. l. si arbiter, de probat.

62. *Cicero de amicitia*, verum est quod a Tarentino Archita dici solitum
nostros senes commemorare audivi, ab aliis senibus auditum; *& hæc est vera
consuetudo seu possessio immemorabilis; ad quam rem allegare licet id quod Imperatoris
Valentiniani est.* Quis ferat institui jurgia, quæ Avi Proavique nescierunt?
Quæ alia improbum litigatorem tam valida defensio summovebit, si non
secula in infinitum transacta defendunt? Novel. 8.

63. " Et quidem PONTIFICES multis potiuntur juribus, quæ ab
" antiquo immemorabili tempore soliti fuerunt percipere; quæ absurdum
" esset nunc in quæstionem vocare; & possunt id dicere, quod Judicum XI
" legimus: *Quando habitavit Israel in Hesebon & viculis ejus per trecentos annos,
" quare tanto tempore nihil super hac repetitione tentastis "?*

64. Concludit HOTMANNUS: " Data opera immoratus sum in
" hac IMMEMORABILI possessione, quia pleraque JURA ecclesiastica
" infinitis contentionibus sunt obnoxia, quæ nisi per hanc tolli non possunt ".
Profert deinde querelas tum S. BERNARDI tum Joannis GERSONII,

tum aliorum adversus Romanam Curiam & Pontifices: tum meritissime colligit, " tam abesse ut hujusmodi querelæ auctoritati Pontificum Romanorum „ officiant; ut potius valeant ad confirmandum, ab IMMEMORABILI „ TEMPORE Pontifices esse in POSSESSIONE „.

65. Hæc brevi spatio contraxi, ac conjunxi in unum ex prolixo loco HOTMANNI. Placuit autem hæc omnia recitare, utpote bonis jurisprudentiæ luminibns referta, & simul apprime opportuna ad id confirmandum, quod proposui.

66. Ceterum hæc HOTMANNUS valere vult pro rebus etiam mere temporalibus. Scribit enim jam a principio: " Certum est Pontifices acqui„ sivisse sibi quibusdam in regionibus jura non pauca superioritatis (des droits de superiorité) „ non solum spiritualia, sed etiam TEMPORALIA, „ non solum supra Ecclesias, sed supra REGNA & Principatus, & a tam „ antiquo tempore, ut adversus eos omnes præscripserint, qui ea jura revo„ care in dubium tentant „.

67. " Et quidem PONTIFICES Jura feudalia sibi afferunt (pretendent des droits feodaux) „ supra Regna Angliæ, Neapolis, Siciliæ, & Prin„ cipatus alios plures; & hæc sunt bona temporalia: sed aliis præterea juri„ bus potiuntur, in quibus TITULUM habent, & quibus potiti sunt per „ longum temporis spatium. Hanc ob causam INNOCENTIUS III „ dicebat, præter Sedis Apostolicæ jura ordinaria esse alia, quæ ipsi sunt „ acquisita per speciale Privilegium vel CONSUETUDINEM „, *cap. novit. de judic.* Loquitur autem ibi INNOCENTIUS de judicio in quæstione de Feudo.

68. Anno 1539 FRANCISCUS I Rex Galliarum jurisdictionem ecclesiasticam supra LAICOS edicto suo coarctavit ad causas Sacramentorum, & alias pure spirituales & ecclesiasticas; interdicto facto judicibus Ecclesiæ ne laicos juberent coram se sisti in actionibus pure personalibus. Attamen his in causis pure PERSONALIBUS eos judices declaravit exceptos fore, qui contrario titulo aut POSSESSIONE niterentur. Scilicet naturæ vocem non potuit Princeps sapientissimus negligere. Non quæro autem, quæ inde postea consecuta sint: disces hoc tamen *ex Cap. XVIII hujus commentarii num.* 31 *seq.* De laudato Decreto consulas Carolum FEVRET. *de Abusu Lib.* 4, *Cap.* 1, *num.* 11.

69. Jus quod ex PRÆSCRIPTIONE existit, agnovit & Claudius FLEURY *Institut. Jur. eccles. Par.* 3, *Cap.* 1, *num.* 10: cum enim num. præced. ea Ecclesiarum jura numerasset, quibus a nulla humana Potestate privari Ecclesia potest; addit: " Cetera jura, quorum possessionem Ecclesia„ stici

„ ſtici & olim habuere, & etiamnum nonnullibi habent, nihilominus legi-
„ time acquiſita ſunt, & a Regibus vel expreſſe vel tacite conceſſa „.

70. " Nam quemadmodum bona immobilia fundi & dynaſtiæ iis datæ,
„ ita dari quoque potuit poteſtas judicandi, mulctas dictandi, carcerem,
„ apparitoreſque & alios officiales habendi, & corporis afflictiones magis per
„ modum caſtigationis quam ſupplicii imperandi. NEC minores cauſas
„ HÆC JURA conſervandi habet Eccleſia, quam cetera BONA ſua „.

71. In notiſſima illa diſceptatione, quæ de juriſdictione eccleſiaſtica eſt habita Anno 1329 Vincennis & Pariſiis coram Philippo Valeſio, Cardinalis BERTRANDUS pleraque eccleſiaſticorum jura in cauſas temporales & *mixtas* tuitus eſt adverſus Petrum de CUGNERIIS advocatum regium titulo Conſuetudinis & POSSESSIONIS, itemque PRINCIPUM conceſſione expreſſa vel tacita. Habes diſceptationem illam, ſeu diſceptationis ſummarium & acta in tomo 1 *Tractatuum de Libertat. Gallican.* a Petro PUTEANO collectorum.

72. " Multa poſſunt (ait Ludovicus THOMASSINUS Diſcipl. Eccleſ. Par. 2, Lib. 3, Cap. 65, num. 5) „ & jure ſuo poſſunt PRINCIPES terreni
„ in cauſis rebuſque ECCLESIASTICIS, quæ tamen poteſtas non aliter
„ ipſis parta, quam LONGA conſuetudine & antiquiſſima POSSESSIONE „.

73. " Sunt conſimiliter Pontificibus & Prælatis jura non pauca in res
„ CIVILES & temporales, de quibus controverſia illis fieri jam non poteſt,
„ ubi diutina illis POSSESSIONE firmata ſunt „. Sapienter de more Thomaſſinus.

74. Juvat etiam hodiernam eccleſiaſticam juriſdictionem ſeorſim conſiderare. Demus, multa eſſe, aut (id quod tanquam veritati propius ponit Petrus DE MARCA *Concord. Lib.* 3, *cap.* 6) eſſe aliqua tantum hodiernæ eccleſiaſticæ diſciplinæ ſumma capita, quæ originem ſuam debeant decretalibus illis ſuppoſitis & tam vexatis ISIDORI Mercatoris. Proptereane ea movenda erunt, quæ in exercitio eccleſiaſticæ juriſdictionis, ſecundum Epiſtolas eas decretales conſtituta fuerunt, & quæ abhinc multa ſecula ſervantur? Ab utraque parte Epiſtolæ illæ fuerunt tandem in uſum deductæ: atque etſi, cum ſubdititiæ eſſent, per errorem habitæ ſunt veræ; Romani tamen Pontifices defendebantur tum titulo apparenti, ut ajunt, tum bona fide; quæ ſunt præcipua legitimæ PRÆSCRIPTIONIS requiſita.

75. Et ſi ea, quæ occaſione illarum Epiſtolarum innovata ſunt in eccleſiaſtico regimine, movere loco volumus; juri POSSESSIONIS, quæ hominum memoriam excedit, vim inferimus: nec video, qui tandem ſtatus rerum futurus ſit fixus ac tutus, ſi hunc, de quo ſermo eſt, invertimus.

76. Licebit autem argumentari pari modo pro universo jure ecclesiastico hodierno, quoad ea scilicet capita, in quibus disciplina mutata est, moresque inducti sunt ab antiquis discrepantes. Nam jus hoc ecclesiasticum hodiernum receptum fuit in omnibus Ecclesiis, & per spatia plurium seculorum in solemnem usum deductum universo orbe consentiente. Sed hæc obiter dicta sint.

77. Fixum interim sit ac certum, nullam esse expeditiorem ac tutiorem viam ad quæstiones de Rebus *Mixtis* tollendas ac finiendas, præterquam viam vetustæ possessionis, seu PRÆSCRIPTIONIS, quam appellamus immemorabilem.

78. In hac erit finis litium ac dissidiorum; quando reliqua componendarum istarum disceptationum media sunt aut deceptioni, & fallaciis obnoxia, aut incerta, obscura, difficilia.

IV. *Consectaria Doctrinæ hoc Capite propositæ.*

79. Consequitur autem ex his, LAICAS Potestates rata habere debere jura & privilegia particularium Ecclesiarum, quæ in earum Regnis sunt, sive ea acquisierint ex munificentia superiorum Principum, sive longa possessione ac USU; sive sint jura ipsis peculiaria, sive sint illis cum Clero aliorum etiam Regnorum communia; sive in Corpore Juris contineantur, sive extra Corpus Juris sint.

80. Sane cuique suum tribuendum est ac conservandum a Principe, qui Pater est ac Custos positus suorum subditorum tum quoad corpus, tum quoad bona & jura temporalia. De onere, quod Principi incumbit, conservandi privilegia subjectorum, legas BOSSUETUM *Politiq. tirée de l'Ecriture Lib.* 8, *Art.* 3, *Prop.* 2 *seq.*, & GRONOVIUM in Grotium de Jur. B. & Pac. *Lib.* 2, *Cap.* 7, *num.* 27, *not.* 33.

81. Si vero contingeret, ut ob publicam causam, quæ reparari alia via non posset, demeretur a Principe pars aliqua privilegii aut juris cujuspiam clericalis alicujus societatis; tunc ex iis regulis, quas circa *eminens Dominium* in bona subditorum præscribunt juris naturalis interpretes, tenebitur PRINCEPS summus tantundem aliunde compensare, quantum de memorato jure aut privilegio demtum fuerit; ea solum parte oneris excepta, quæ e distributione facta super capita omnium subditorum ad illam clericalem societatem pervenit.

82.

82. Bene enim HUGO GROTIUS ſcribit *de Jure Belli & Pacis Lib.* 2, *Cap.* 14, *num.* 13: " Sunt quædam beneficia quæ Rex de ſuo facit, & quæ „ vim habent perfectæ donationis. Hæc revocari non poſſunt, niſi in pœnam „ aut ob utilitatem publicam CUM compenſatione ſi fieri poteſt„. Conſonat Joannes Frider. GRONOVIUS in Not. dicens, ſi beneficia illa revocentur, quia " ea reipublicæ detrimento eſſe cæperint; tum pro jure „ quæſito, quod aufertur aliquid PAR ſubjectis reſtituendum eſſe„. Reliquai ex eo GROTII loco nunc non expendo.

83. Huc facit & id, quod GROTIUS habet *num.* 8 *Capitis* 14 *cit.* " Ubi „ dominium aut jus aliud alicui legitimo modo partum eſt, id ne ſine cauſa „ ei auferatur, juris eſt naturalis. Contra, ſi REX faciat, haud dubie tenetur reparare damnum datum: facit enim contra verum jus ſubditi„. Agit autem ibi GROTIUS de jure quæſito ex vi legis CIVILIS.

84. Rationem omnibus tamen perviam dabit Samuel PUFENDORF *de Jur. Nat. & Gent. Lib.* 8, *Cap.* 5, §. 7: " Naturalis eſt æquitatis (ait) ut, „ ſi ad communem quampiam rem conſervandum ab iis, qui de eadem participant, conferendum quid ſit, ſinguli ratam duntaxat partem conferant, „ NEC UNUS ſupra ceteros graviter oneretur„.

85. CONSEQUITUR ſecundo ex dictis, ad Clericos & maxime ad eccleſiaſticas Poteſtates pertinere, ut jura Eccleſiarum tueantur, non ea modo quæ communia ſunt cætus eccleſiaſtici univerſi, verum etiam ea, quæ vigent in uno tantum regno, provincia, aut urbe; etſi forte eadem, cum in regnis ceteris non ita pridem obtinerent, hiſce poſtremis temporibus fuerint abrogata.

86. Exemplum ſit in immunitate a tributis. Ponamus, adhuc ſupereſſe urbem aut provinciam, cujus Clerici aliqua privilegii iſtius particula potiantur: velit autem harum ditionum Dominus eam tollere. Jure ſane & ex officio hac in ſpecie Clerici & eccleſiaſtica Poteſtas reliquias immunitatis hujuſmodi tueri ſtudebunt.

87. Jure quoque & ex officio tuebuntur privilegia particularia, quæ nimirum non ſint aut fuerint Clericorum omnium communia, ſeu quæ non extent clauſa in Corpore Juris. Merito tandem & ex dignitatis ſuæ munere Pontifices Romani jura ſedis ſuæ defendent, ſive ea ab omnibus Regnis percipiantur, ſive ab aliquibus tantum. Confer hujus *Commentar.* Cap. ultim. num. 12 - - 14.

88. Ex officio ab eccleſiaſtica Poteſtate hæc defendenda fore dixi. Jura enim hæc Clerici & eccleſiaſtici Præſules non modo poſſunt defendere, ſed

etiam tenentur; ſicut tutor jura puppilli tueri debet; cum ipſi non domini ſint jurium ac bonorum ſuæ Sedis, ſed adminiſtratores ac tutores.

89. CONSEQUITUR tertio, jura unius Principis non debere nos metiri ex juribus alterius; ſeu iniquos eos fore, qui vellent politiam unius Regni componere ad normam politiæ Regni alterius. Etenim cum poſſeſſio vel præſcriptio ex parte vel Sacerdotii vel Imperii ſit diverſa pro diverſitate Regnorum ac Regionum; una forma regiminis aut eccleſiaſtici aut civilis non valet in Regna omnia induci, quin ſimul jura Eccleſiarum lædantur aut Principum, quorum diſſimilis eſt poſſeſſio vel præſcriptio.

90. Nam ſi uno in Regno Eccleſia amplioribus uteretur juribus, quam in alio; illa per politiam Regni iſtius pateretur in re ſua detrimentum. Contra vero ſi reſtrictioribus juribus potiretur; tunc inducendo externam politiam inferretur injuria Poteſtati CIVILI.

91. Non ergo ex Gallicana Politia, exempli cauſa, Hiſpanarum Eccleſiarum jura metiatur Hiſpanus; neque Hiſpanam Politiam quærat Gallus ad definienda jura Eccleſiarum Galliæ: ſed Regnis & Eccleſiis ſingulis jura ſerventur ſua ſecundum terminos a Patribus conſtitutos.

92. Ad hanc rem BENEDICTUS XIV *de Syn. Diœceſ. Lib. 9, Cap. 9, num.* 12 *ſeq.* ſapientiſſime admonet Epiſcopos, videndum illis eſſe primo, " ne Princeps ſecularis ſibi unquam arroget jus ſacrorum; hoc eſt, ne in „ ullo rerum eventu ſe immiſceat in cauſis mere ſpiritualibus & ECCLE- „ SIASTICIS„.

93. " Secundo, ne Judex laicus eam quoque partem eccleſiaſticæ juriſ- „ dictionis invadat, quæ hactenus perſeverat intacta; niſi enim Epiſcopus „ ejus vindicem ſtatim ſe præbeat, hanc pariter pedetemtim amittet„.

94. " Tertio denique, ubi aut privilegio, aut legitima conſuetudine „ fori eccleſiaſtici limites ULTRA juris communis ſanctiones ampliati ſunt, „ quod ceteroquin perquam raro contingere ſcimus; curabit Epiſcopus, ne „ ſua incuria aut conniventia contrahantur„.

95. Exempli gratia ſi contra juris communis regulam obtineat, prout vere aliquibus in locis obtinet; ut Clericus actor non ſequatur forum rei laici in cauſa mere CIVILI & profana; mos iſte defendendus ſane erit ab Epiſcopo: " neque conqueri poterunt laici (ait Pontifex), quod Epiſcopus „ hoc ſecularis juriſdictionis minimum fruſtulum conſuetudine acquiſitum „ ſibi vindicet; cum ipſi ſola CONSUETUDINE, quæ ab initio dici „ potuit ABUSUS & corruptela, fere integram devoraverint juriſdictio- „ nem eccleſiaſticam„. Hæc BENEDICTUS XIV.

97.

96. Si quando ergo graviores aliqui inciderint rerum articuli in jurisdictionis ecclesiasticæ detrimentum; utendum tunc est Episcopis evangelica libertate, ac exerenda episcopalis constantia exemplo AMBROSII, CHRYSOSTOMI, GREGORII Turonensis, HINCMARI Remensis, HILDEBERTI Cenomanensis, IVONIS & FULBERTI Carnotensium Episcoporum, ANSELMI & THOMÆ Cantuariensium, CAROLI tandem Borromæi & aliorum, quorum sunt clara nomina in Ecclesia, & qui dati sunt posteris ad imitandum.

97. Sed ad constantiam & virtutem excitandam Episcoporum in tuendis Ecclesiæ & sedium suarum tum juribus tum legibus præclaræ ex omni antiquitate regulæ & nobilissima exempla extant collecta a THOMASSINO *Discipl. Eccl. Par.* 2, *Lib.* 3, *Cap.* 58 - -61, 63, & ab illustri viro Jacobo Josepho DUGUET *Institution. Principis Par.* 4, *Cap.* 15.

98. Pro eadem re legere præstat epistolas S. AMBROSII, vicesimam ad Sororem, & vicesimam primam ad Valentinianum Augustum, necnon sermonem Ambrosii ejusdem contra Auxentium de Basilicis tradendis *col.* 852 - - 873 *Tomi* 2 *Oper. edit. Benedictin.*; itemque ejus epistolam 40 ad Theodosium Augustum *col.* 946 *ibidem;* & sancti GREGORII Magni epistolam 40 libri 5 ad Mauritium Imperatorem, *in eorundem Monachor. edit. tom* 2, *col.* 765; ut innumera alia tum istorum tum aliorum Ecclesiæ Patrum & Scriptorum ecclesiasticorum ac Præsulum scripta prætermittam.

99. CETERUM illud quoque ecclesiasticis Præsulibus videndum est, ne, dum nimia sibi petunt, totum perdant. Cedendum præterea aliquando temporum perversitati, ut damna majora vitentur. Quod in solis tamen illis rebus intelligo servandum, quæ a lege naturali non pendent, aut a lege divina & evangelica, sed solum a lege humana.

100. Et secundum hæc IVO Carnotensis vir sanctitate clarus " Paschalem II (animadvertente Thomassino *Discipl. Eccl. Par.* 2, *Lib.* 3, *Cap.* 29, *num.* 1,) " commonefecit, quam provide & quam necessario toleranda essent " fidei sacramenta, quæ tum REGES ab Episcopis exigebant, quamquam " ea tunc Canonicis Constitutionibus prohiberentur ".

101. " Cum æterna enim lege non interdicantur, sed iis tantum Ecclesiæ decretis, quæ libertati ecclesiasticæ patrocinantur; hæc sane tum necesse est relaxari decreta, ubi servari non possunt, nisi ingenti discrimine " PACIS, unitatis & concordiæ labefactandæ, Ecclesiæque Imperio collidendæ ".

102. Scitum est illud BOSSUETI Ep. Meldensis *Defens. Declar. Gallic. Lib.* 4, *Cap.* 12 *edit. recogn.* " Non promoveri aut augeri, sed potius " atteri

„ atteri rem ecclesiasticam nimiis aut præposteris inceptis „: id quod semel & iterum admonet pariter BENEDICTUS XIV *cap.* 9, *citato Libro* 9, *de Synod. Diœces.*

103. DEINDE jura quædam Ecclesiarum onus grave inferentia oportet aliquando interpretari in gratiam potius Principum quam Ecclesiæ. Nec male forte colligit Petrus DE MARCA *Concord. Lib.* 6, *Cap.* 22, *num.* 7, " non ita severe accipienda esse verba CANONUM, quando de jurisdictione seculari agunt, ut ab iis discedere nefas esse putemus vel transversum unguem; contra æquum esse, ut explicentur ac terminis quibusdam circumscribantur, eaque modificatio adhibeatur, quæ legibus antiquis & PRINCIPUM POSSESSIONI congruat, ne REGIA Auctoritas detrimentum patiatur. Ea porro regula in primis uti oportebit quoad posteriorum seculorum Concilia, quæ maxime tentarunt imminuere regiam Potestatem in res & personas ecclesiasticas „.

104. Videtur tamen mihi MARCA hoc loco aliud nihil dicere, nisi PRÆSCRIPTIONIS antiquæ & possessionis PRINCIPUM laicorum in memoratis rebus esse rationem habendam; & secundum hanc oportere CANONES interpretari; id quod jam nos posuimus in antecedentibus.

105. SI VERO contigerit quoad aliquam rem ex iis, quas *mixtas* nominant, & cujus judicium jure præscriptionis soli debeatur Ecclesiæ, a laica Potestate læsam fuisse ECCLESIAM; prudens mihi videtur illud ejusdem Petri DE MARCA consilium; ut legem de ea re a Principe latam non ipsa ecclesiastica Potestas abroget, sed per eundem revocandam curet, qui eam tulit.

106. " Leges (ait Lib. 2, Cap. 11, num. 8) „ quæ Canones infringunt, sunt quidem NULLÆ ipso jure, sed nec Pontifices nec Synodus œcumenica hoc sibi arrogarunt, ut eas decretorum suorum auctoritate rescinderent, verum id a Principibus exorarunt „. Atque hic consentientem habeo Ludovicum THOMASSINUM in Concilia Dissert. XII, §. 49--51.

107. Cetera inter exempla ad auctoritatem huic consilio seu monito conciliandam allata a Petro DE MARCA est præsertim factum illud vulgatissimum GREGORII M. occasione legis MAURITII Imp., qua decernebatur, ne militibus Monachismum liceret amplecti: ex quo facto idem quod Marca, collegit & Meldensis BOSSUETUS *Defens. Declar. Gallic. Lib.* 2, *Cap.* 8 *edit. cit.* Liceret vero mihi indicare præterea exemplum summi ac sapientissimi Pontificis BENEDICTI XIV; de quo consulas Thomam Mamachi *Del Diritto libero tom.* 4, *pag.* 486 *in not.*

CA-

CAPUT XIII.

In controversiis, quæ incidunt inter Sacerdotium & Imperium, an ad ecclesiasticam Potestatem spectet judicare, utrius Partis clarius ac firmius sit jus.

1. HAC postrema ætate inventus est nonnemo (*Dialoghi de' Morti pag.* 379--381, *edit. Ven.* 1770), qui Pastores Ecclesiæ tanquam a causa propria excludendos voluit a judicio de controversiis, quæ incidunt inter Sacerdotium & Imperium; quando etiam inter partes litigantes non conveniat, utrum res juris divini in disceptationem cadat, an non; seu, utrum res, de qua disputatur, sit spiritualibus annumeranda, an temporalibus.

2. Vult ille contra ad terrenas potestates judicium illud pertinere, si earum Consiliariis visum fuerit, controversiam esse tantum de re temporali. Hæc est summa sententiæ; quæ in illius disputatione continetur, vel saltem ex disputatione illius colligitur manifeste.

3. Sed hic cogitandi modus est insidiosissimus ac periculi plenus; quem si sequamur, nihil erit in Ecclesia firmum ac tutum; neque enim unquam defuerunt assentatores Principum, adjudicantes regio throno causas ecclesiasticas quascunque, sive dicendo agi de re temporali, sive publicæ tranquillitatis causam obtendendo, sive jus TUITIONIS regiæ allegando. Vetustum esse hunc morbum, is fatebitur, qui historias legit; & licebit illius initia ducere, saltem jam inde a CONSTANTII Imperatoris Semiariani gestis.

4. Et, si vellemus generatim huic principio insistere, neminem in causa propria audiendum, utpote qui se judicem & partem constituat; " nullus violator legum (dicam cum Natali ALEXANDRO Differt. ultima in Histor. Eccles. art. 16, num. 17), „ nullus Reipublicæ perturbator, nullus „ Majestatis reus a Principe, vel a judicibus ejus auctoritate constitutis in „ judicium vocari ac damnari posset, quia rei excipere possent, ipsius causam agi, & æquitati repugnare, ut judicis & partis disceptatricis personam „ idem sustineat „.

5. " Nullus Novator, nemo Hæresiarcha, & cujuscunque sectæ perfidæ ,, auctor damnari unquam legitime potuisset: Quis enim Arius, Macedo- ,, nius, Nestorius, Eutyches; quis postremis temporibus Servetus & Socinus ,, expostulare non potuit adversus Ecclesiam, Concilia, Pontifices, vel alios ,, quoscunque suis erroribus infestos, ipsos judices legitimos in eorum causa ,, esse non posse, cum Ecclesiam, quæ ipsos damnavit, novitatis & cor- ,, ruptelæ circa fidem pariter postularent ,, ?

6. Quis vero non videat, eadem fere imminere pericula, si in controversiis, quæ incidunt inter Sacerdotium & Imperium, rejiciamus judicium Ecclesiæ, velut illius, quæ judex sit & pars simul? si rejiciamus, inquam; simul ac Consiliario cuipiam in mentem venerit dicere, quæstionem esse de re mere temporali; vel agi de bono publico regni & de quiete subditorum; vel adesse jus regium seu officium TUITIONIS Ecclesiæ, disciplinæ ecclesiasticæ, & religionis.

7. Præterea dum circa jus disceptant Sacerdotium & Imperium; qua æquitatis lege Sacerdotis rejecto judicio jus sibi Imperans adjudicabit, seque cum sit pars, constituet etiam judicem? Si hoc non licet Sacerdoti, non licebit sane nec Imperanti. In causa enim propria versatur non Sacerdos solus, sed Rex quoque.

8. Sed forte fallor concedens versari Sacerdotem in causa propria, & esse judicem simul & partem. Profecto non summi Pontificis, exempli gratia, causa est, sed Ecclesiæ, cujus ille pro sui Primatus officio conservator & custos est. Tuetur Pontifex, tuentur Episcopi jura Ecclesiæ; ideoque ECCLESIA pars est in ea disceptatione ac judicio. Cui, quæso, venit unquam in mentem, Prælatos esse jurium Ecclesiæ dominos; & Prælatorum rem agi, quando defensionem eorum jurium suscipiunt?

9. Concedent, credo, Politici, Reges etiam non aliud esse quam conservatores & custodes Regni & JURIUM illius. Falsum ergo ponunt ii, qui in controversiis inter Sacerdotium & Imperium autumant, eos esse partes, qui simul sunt & judices.

10. Habeant ergo sibi novi Politici sua hæc sophismata cum acutis illis inventis *causæ propriæ, judicis & partis*, quæ in controversiis de juribus & finibus utriusque potestatis nullum certe, ut mihi videtur, locum babent.

11. Etsi nova non sunt hæc inventa; usurpata quippe proxima ætate fuerunt ab Hæreticis seu Protestantibus adversus Pontifices Romanos & Concilium TRIDENTINUM; prout videre licet apud Natalem ALEXANDRUM loco allegato.

12.

12. Ineamus ergo viam tutiorem ac veriorem, quam *Cap. II, num.* 28 *etc.* designavimus; ac dicamus, in controversiis inter Sacerdotium & Imperium distinguenda esse tria causarum genera. Vel enim quæritur de juribus, quæ ad solam Ecclesiam pertinere constat ex divinis oraculis, & ex traditione; vel dissidium est circa eas res *mixtas*, quas vetus POSSESSIO vindicavit Ecclesiæ, vel Imperio; vel demum ambigitur, utri Partium res debeatur, quæ in controversiam venit.

13. Si de primo causarum genere agatur; audire oportet Ecclesiam, cui soli divinitus commissa est juris divini interpretatio; & tunc Rex velut ovis ac filius Ecclesiæ fidem habere eidem debet; ne secus agendo terminos sibi divinitus constitutos temere mutet.

14. Si autem vetus POSSESSIO rerum *mixtarum* fuerit violata; postulant justitiæ leges sua possidenti servari jura.

15. Quod verum est, etiamsi jura sint Ecclesiæ in res mere temporales; quæ alias Rex natura rei inspecta deberet in sua potestate habere. Neque enim bene pronunciat nuperus Scriptor supra memoratus, nunquam audiendam esse Ecclesiam, si de re mere temporali agatur. Non dubium sane quin hoc quoque loco habenda sit ratio longævæ POSSESSIONIS: eo plane modo quo Ecclesia intactam servat possessionem terrenarum potestatum in rebus non paucis, quæ mere sunt ecclesiasticæ, ex sententia non modo magni illius BOSSUETI Meldensis, verum etiam DUPINII, Jacobi Josephi DUGUET, & Antonii HOTMANNI inter illustratores Libertatum Gallicanarum celebris. Sed de hac re adeas *Cap. XII, num.* 29 *etc.*

16. Quemadmodum igitur Ecclesiastica non pauca REGES sibi vindicant ex concessione saltem tacita Ecclesiæ; ipsique ægre ferrent, se ab hac possessione deturbari; ita, si quo jure mere temporali potiatur Ecclesia in Regna aliena, non est loco movenda possessio illius vetusta.

17. DENIQUE si dubium sit utri Partium sit causa adjudicanda; neque finiri quæstio possit vel jure divino, vel ex possessione: tunc oportebit mutuis consultationibus ac æqua compositione omnem controversiam tollere; eo saltem modo quo cum aliis summis Imperantibus fit. Neque enim decet, causam ECCLESIÆ esse deteriorem, quam alterius Principis.

18. Tres isti canones, quos ad controversias inter Sacerdotium & Imperium componendas existimo tenendos, ratione persuadentur & naturali æquitate: & familiares sunt in communi vita hominum; ita ut solis barbaris ignoti esse possint; quos nolim imitentur Consiliarii quidam inconsulti, qui auctores esse solent dissidiorum inter Imperium & Sacerdotium, ac sanctæ illius pacis & concordiæ rumpendæ, quæ, si usquam, maxime est necessaria Sacerdotem inter & Regem, utpote qua stet felicitas Ecclesiæ & Regni.





CAPUT XIV.

Quo Jure potiatur Imperans in reditus & fundos Ecclesiarum sui Regni.

1. SCRIBEBAT Carolus FEVRET. *de l'Abus* Lib. 1, Cap. 8, num. 1, " Patrimonium Ecclesiæ, etsi, dum seorsim a titulo beneficii consi-„ deratur, nihil de spirituali natura participet; non ob hoc tamen esse in „ libera Potestatum secularium dispositione; quoniam DEO donatum ac con-„ secratum est: sed esse solum sub TUITIONE ac protectione REGIS, „ & sub regiæ auctoritatis defensione„ (sous la garde et protection du Roi, et sous l'appui de son autorité).

2. " Et quia Ecclesia Gallicana dotata non fuit ac ditata nisi a magni-„ ficentia & liberalitate REGUM; ideo ipsos in sacrum hoc ac temporale „ patrimonium Ecclesiæ nonnulla sibi reservasse jura, inter cetera jus pote-„ statis seu imperii, vel, ut Recentiores appellant, dominii eminentis„ (le droit de superiorité).

3. Hujus vero potestatis seu imperii partes sunt, eodem auctore FEVRETO *num.* 4: Condere leges, & edicta promulgare pro ejusdem sacri ecclesiastici patrimonii conservatione & administratione; ne eodem ecclesiastici viri abutantur, sed ad Ecclesias reparandas, ad alendos egenos, & ad victum beneficiariorum uti debeant.

4. Hinc prodierunt, ait, edicta & statuta Regum, quibus ecclesiastici viri vetantur temporalia Ecclesiæ bona alienare, nisi necessitas coegerit aut utilitas evidens, & non servatis solemnibus formulis. Quibus item prohibentur proceras arbores prædiorum ecclesiasticorum cædere: jubentur contra nemorum recentium tertiam partem reservare, ut arborum majorum copia futuris beneficiatis suppetere valeat. Quibus, ut verbo dicam, iis omnibus consultum est, quæ necessaria erant ad bona ecclesiastica protegenda & in utilitatem Ecclesiæ conservanda.

5. Auctore igitur FEVRETO hoc maxime ad Imperium & potestatem Regis pertinet, ut redituum ac fundorum Ecclesiæ TUTOR sit ac defensor. Ceterum nunquam illi venit in mentem dubitare an penes Ecclesias

esset

esset PROPRIETAS bonorum ecclesiasticorum; ac multo minus eo venit insaniæ, ut bonorum illorum proprietatem Principi ac fisco adjudicaret, administratione sola & solo usu, seu usufructu ecclesiasticis cætibus relicto. Immo in tanta licentia cogitandi ac scribendi nullus (quod sciam) catholicorum hactenus ausus est proprietatem illam adscribere Principi seu fisco.

6. Etsi hoc ita est; verum est tamen, non defuisse hoc tempore quosdam, qui, sin aperte, obliquis tamen modis ac fraudulentis proprietatem illam Principi tribuere viderentur. Scilicet isti exuerunt lumen illud rationis, quod SENECAM impulit, ut scriberet de Benefic. Lib. 7, Cap. 4: *Ad Reges potestas omnium pertinet, ad singulos PROPRIETAS.* Notissimus est locus; in cujus sententia ETHICI reliqui concordant: qui de privatis familiis prolatus multo magis pro Ecclesiis singulis facit.

7. Se ipsum autem SENECA explicat clarius *Cap. 5* dicens: " Sub opti-
„ mo Rege, omnia Rex imperio possidet, singuli DOMINIO „. *Et Cap. 6*:
„ Cæsar omnia habet, fiscus ejus privata tantum ac sua: & universa in im-
„ perio ejus sunt, in patrimonio propria. Quid ejus sit, quid non sit, sine
„ diminutione imperii quæritur „. Hæc ille pag. 135 Operum edit. Parisiens. 1627. Sed legendum propono Caput ejus Libri tertium usque ad septimum.

8. Suorum itaque cujusque Ecclesiæ bonorum proprietas & dominium est penes illam, seu (si ita loqui mavis) penes personam illam *moralem*, quam Pastorum, Clericorum, aut Monachorum congregatio constituere intelligitur in unaquaque Ecclesia; minime vero penes Clericos vel Monachos singulos, multoque minus penes Principem.

9. " Proprietatem ergo bonorum Ecclesiarum inferiorum (dicam cum Natali ALEXANDRO Hist. Eccl. sec. 15 & 16, Diss. 9, art. 6, num. 13)
„ ipsis ECCLESIIS particularibus vindicamus, administrationem & dispen-
„ sationem PRÆLATIS earundem Ecclesiarum „.

10. Ad REGES vero sola *potestas & imperium* pertinet; hoc est, illa TUITIO ac Defensio, de qua antea dicebat FEVRETUS; & quod inde scatet, jus tributorum, vectigalium, & similium ad regni incolumitatem tuendam imperandorum; dum tamen exactionem hujusmodi super Clericos non impediant vetusta privilegia a beneficientia Principum olim profecta, & quæ hactenus integra vigeant.

11. Sensu igitur explicato ad singulas Ecclesias proprietas & dominium pertinet, ad Reges potestas omnium & imperium. Ad quam rem sine errore intelligendam plenius legi poterunt interpretes Juris Naturæ & Gentium

 sanio-

ſaniores, ubi iſti differunt de Principis imperio ſeu poteſtate in bona ſubditorum, ſive, ut noſtri loquuntur, *de dominio eminenti.*

12. Quorum tamen juriſtarum doctrinam jam antea præocupaverant tum alii multi, tum Dominicus SOTO *de juſtit. & jure lib.* 4, *quæſt.* 4, *art.* 1, *concl.* 1 docens, " Neque Imperatorem, neque Principem ullum eſſe pro„ prietarium honorum omnium regni ſui. TURCAM enim eſſe, qui ut „ fertur, illa dominatur tyrannide, ut cunctas ſubditorum ſubſtantias tan„ quam ſuas proprias ſic poſſideat, ut pro libitu, univerſa ſibi, ut putat, „ poſſit uſurpare „.

13. " Jure autem naturæ facultatibus ſubditorum Principem uti non „ poſſe, niſi quando eidem reipublicæ tuendæ & adminiſtrandæ neceſſe „ fuerit „. Quæ poſtrema verba Dominici SOTO decantatiſſimum illud dominium EMINENS repræſentant; ac ſolum in iis deſunt modus & ratio, quæ in uſu illius dominii ſint tenenda.

14. Sed ad rem propius accedamus. Et ne de verbis lites hoc loco cum Catholicis quibuſdam ſerere velle videamur; habeamus Eccleſias velut collegia. Ita enim loqui amant illorum nonnulli, etſi diverſa mente ab ea, qua Proteſtantes ſolent.

15. Jam vero " corpora, collegia, & univerſitates (judice ex Proteſtantibus Juſto Henn. BOEHMERO jur. publ. univerſal. part. 2, lib. 2, cap. 10, §. 7, in not.), „ inſtar privatorum & ſubditorum judicantur, & „ ita bona eorum non ſunt BONA reipublicæ, ſed PRIVATA „.

16. Hinc Joannes HEINECCIUS (Element. jur. ſecundum inſtitut. lib. 2, tit. 1), ex l. 6, §. 1, D. de diviſ. Rer. & ex l. 14, D. de adquir. rer. dom. hanc promit regulam: " Res univerſitatis, quod ad proprietatem ſunt „ univerſitatis; quod ad uſum, ſunt ſingulorum ex ea univerſitate „.

17. UNIVERSITATIBUS porro BOEHMERUS *ibid. lib.* 3, *cap.* 3, *num.* 5, *in not.*, ex juris civilis placitis recte accenſet provincias, urbes, pagos, vicos ſub unius Principis imperio poſita: ſcilicet, " iſti cætus „ ſinguli (ait) inter ſe peculiarem conſtituunt univerſitatem, uti vocan„ tur in jure romano, & peculiaria jura inter ſe habent „.

18. " Agunt (pergit) inter ſe adinſtar ſingulorum. Poſſident bona in „ commune. Unde reſpectu ſummi imperantis adinſtar PRIVATORUM „ ſunt, quod recte obſervarunt juriſconſulti romani, qui civitates Imperio „ romano ſubjectas privatorum inſtar eſſe judicarunt. Quæ bona ad civi„ tatem, pagum & vicum ſpectant, ſunt in ejus PATRIMONIO, NEC „ confundenda cum bonis reipublicæ „.

19. " Sunt tamen (addit) suo modo publica, quatenus imperanti plus
„ juris in illa competit, quam in singulorum patrimonium, cum ejus intersit,
„ hæc bona universitatibus PERPETUO conservari, & bene administrari.
„ Plura sunt permissa singulis in res proprias, quam universitati in res suas „.
Legi meretur ad hunc locum Joannes HEINECCIUS de Colleg. & Corpor. Opific. cap. 2, §. 17, *pag.* 415, *tomi* 2, *Oper. part.* 1, *edit. Genev.* 1771.

20. Cum talis sit collegiorum & universitatum indoles, & talis sit natura bonorum, quæ ab illis possidentur; vident omnes quid ex hoc consequatur. Consequitur nimirum, iis non magis posse collegia ac universitates privari, quam possint privati quique. Quod æque verum est, sive illa bona a privatorum donationibus derivata sint, sive ab ipsius Principis munificentia.

21. Bene propterea Jacobus MASCOVIUS *Princip. jur. publ. Germ. Lib.* 5, *Cap.* 4, §. 3 affirmat, vel ipsas " terras fiscales Imperii, æque ac re-
„ ditus, quæ in manus potestatemque Statuum Imperii dudum pervenerunt,
„ sive per concessionem in feudum, sive per fundationes & DONATIO-
„ NES PIAS, per oppignorationem, aut longam denique ac sæpius agni-
„ tam confirmatamque possessionem; hæc, inquam, vindicare Imperatori
„ amplius fas non esse „.

22. Atque idem pronunciat merito HEINECCIUS *de jur. Nat. & Gen. Lib.* 2, §. 176, *in schol.* de ECCLESIIS verba faciens: " Quum tam
„ profusa fuerit (ait) veterum Imperatorum & Regum liberalitas in bonis
„ Domanialibus, maxime in ECCLESIAS transferendis, ut ex iis hodie
„ vix quidquam supersit: nemo tamen dixerit, licere Imperatori, ea vindi-
„ care, cum eas alienationes jam pridem ratas habuerint Imperii Ordines „.

23. " Immo quamvis Imperator promittere soleat, se imperii jura & re-
„ ditus recuperaturum, id tamen ita intelligendum est, ut id salvis legibus
„ publicis fiat „.

24. Nituntur illi regulæ lumine naturali notæ, quam Hugo GROTIUS habet de jur. B. & Pac. Lib. 3, Cap. 20, num. 9, " dominium ex
„ qualicunque causa ortum sit, nempe seu ex gentium jure, seu ex jure ci-
„ vili, suos semper effectus habere ex ipso JURE naturali, ut scilicet auferri
„ nequeat nisi ex causis, quæ aut dominio insunt suapte natura, aut ex domi-
„ norum facto ortum habent „.

25. Idque apertius proponit Georgius Adamus STRUVIUS Syntagm. Juris Feudal. Cap. 5, §. 6, pag. 161, scribens: " Quæri solet, an Imperator
„ bona subditorum auferre, ac alteri in feudum dare possit? Quod negan-
„ dum: ubi enim dominium aut aliud jus alicui legitimo modo partum est,
„ id

„ id ne ei auferatur, juris eſt NATURALIS, quod etiam Principem ob„ ligat: adeoque ne ex plenitudine poteſtatis illud tranſgredi ipſi licet...... „ ac potius id abuſus, quam uſus eſſet legitimæ poteſtatis, atque in TYRAN„ NIDEM declinaret „.

26. Addit vero STRUVIUS, ſecundum regulas dominii eminentis, " ſi evidens reipublicæ utilitas ac neceſſitas exigat, ut de bonis ſubditorum „ feudum conſtituatur; quod reipublicæ cauſa unus ſubditorum præſtitit, „ id ipſi ex publico, vel aliorum ſubditorum collectis refundendum eſſe: ne „ PLUS oneris præ aliis ſuſtineat „.

27. Placet hic tantiſper ſubſiſtere, ut diſtinctionem quamdam ſane feſtivam referam, quam memini mihi factam in ſermone familiari cum amico. Diſtinctio ponebatur inter ea collegia, quæ coaluerunt ex ceſſione juris ſingulorum collegarum, ſeu quæ ſi arcam communem, ædes & alia communia habent, hæc habent, quia ad ea formanda ſinguli collegarum contulerunt de ſuo: & ea collegia, quæ fundatorem habent extraneum, ſeu quæ a corpore collegarum per communes collationes formata non ſunt.

28. Primo igitur collegiorum generi aſſentiebatur titulum competere proprietatis & dominii in ſua bona: alteri vero generi dicebat non deeſſe qui titulum illum negarent.

29. Ego vero minime miror non deeſſe, qui hunc titulum collegiis iſtis fortaſſe negent. Nam quid adeo certum ac evidens eſt, quod non inſana noſtrorum temporum licentia fallaciis vaniſſimis ac cavillationibus obſcurare tentaverit?

30. Deinde animadverto, juriſconſultos ſaniores proprietatem bonorum æque concedere collegiis generis alterius, ac collegiis generis prioris; prout intelligimus ex ſupra dictis. Provinciæ enim, urbes, pagi, vici, Status Imperii plerique ſunt ex iis collegiis ſeu univerſitatibus, quæ fundatæ ſeu dotatæ fuerunt a perſona extranea; ut ab Imperatoribus & Regibus; adeoque collegia ſunt generis ſecundi. Quibus tamen jureprudentes laudati ſuam bonorum proprietatem tribuunt ac vindicant.

31. Nec ſolum vindicant illis, ſed etiam ECCLESIIS, quarum item fundatores fuerunt extranei; quarum proinde reditibus ac fundis comparandis nihil Clerici de ſuo contulerunt.

32. Meritiſſimo autem hujuſmodi etiam collegiis ſuam bonorum proprietatem juriſconſulti vindicant; cum perſonam *moralem compoſitam*, ut appellant, tam iſta conſtituant quam illa priora. Hæc enim eſt, cui affixa eſt proprietas in quacunque ſocietate, & in ipſa Republica ſeu ARISTOCRATICA, ſeu Democratica.

33.

33. Habeantur ergo ECCLESIÆ, ut libet, velut Collegia, jam vides, hoc ſolum nomine proprietatem bonorum eccleſiaſticorum ipſis vindicari; Principe ab ea proprietate prorſus excluſo.

34. Atque id quod de reditibus & fundis Eccleſiarum dicebam, ex pari fundamento transferre cum proportione oportet ad jurisdictiones & jura feudalia, Comitatus, Ducatus, & ſimilia; quæ ad lautiorem conditionem ſpectant. De quibus verba faciens FLEURYUS in ſuo quarto *Diſcours ſur l'Hiſtoire eccleſiaſt. num.* 9 merito affirmavit, *ea jura cuncta eſſe legitima, nec magis permiſſum eſſe, ut quæſtio de iis moveatur ECCLESIÆ, quam laicis.* Loquitur autem FLEURYUS tam de Abbatibus Monachorum, quam de Epiſcopis.

35. Majora iſtius proprietatis Eccleſiarum fundamenta ponemus *Cap. ſeq.* ducibus etiam iis, quorum principiis uſi hactenus ſumus, nempe Proteſtantibus. Quorum tamen Majores quam liberales fuerint erga Imperantes, quo primum tempore facta eſt diſceſſio ab Eccleſia catholica, notum eſt omnibus.

36. Iſti vero eorum poſteri, cum naturalis legis dictatis reſiſtere amplius non poſſent, nec ulla amplius utilitatis ac lucri ſpe foverentur, exuerunt errorem, quem a Majoribus hauſerant: elataque voce proprietatem ac dominium ſic ECCLESIIS aſſeruerunt, ſicuti privatis quibuſque familiis aſſerendam videbant: de qua re legas Capitis indicati numeros 91--97.

37. Nihil vero tam ſuam cuique Eccleſiæ ac Sodalitati PROPRIETATEM bonorum vindicat, quam vindicant aperta ac clariſſima PIARUM DONATIONUM verba Eccleſiis ac MONASTERIIS factarum. Quarum donationum formulas non paucas ſpeciminis loco prolaturi ſumus *Cap. XVII;* unde compertum cuique fiat, quæ de proprietate ac dominio mens fuerit Donatorum in transferendis reditibus ſuis ac fundis ad Eccleſias & Monaſteria.

38. Inde enim intelligemus, hos proprietatem ac dominium, quæ ſibi in propria bona competebant, tranſtuliſſe declaratione expreſſa & aperta ad Monaſteria & Eccleſias.

39. Modo placet nonnulla dare, & primo quidem loco ex Annalibus CAMALDULENSIBUS, ſeu ex appendice veterum monumentorum & diplomatum ſolius tomi tertii eorundem Annalium. Ibi num. 73 Albericus Comes ait: " Prænominatum itaque fundum do & dono, offero, & a „ mea proprietate translato & transfero tibi prælibato Abbati recipienti pro „ te & toto collegio dicti monaſterii in perpetuum „.

40. Et num. 160 Raimundus filius Gerardi donat Eremo Camaldulensi sua jura in castra Tuiliani & Laurentiani, „ sicut mihi pertinent (ait) PRO„ PRIETARIO jure, aut quocunque modo, ut omni tempore suprascriptæ „ res IN PROPRIETATE prædictæ Ecclesiæ permaneant „.

41. Vix vero aliquid esse potest expressius aut fortius, quam sit formula donationis in Carta 318 ejusdem appendicis spectante ad Monasterium SS. Hippoliti & Laurentii de Faventia: " Hanc itaque rem (ajunt pii Donatores) „ nos damus & donamus, & a nostro jure nostroque dominio irre„ vocabiliter alienamus supradicto monasterio. Ita ut eam a præsenti die „ absolute pleno jure habeat & teneat JURE PROPRIETATIS ET „ ALLODII in perpetuum „.

42. Alia item donatio sub num. 186 hæc habet: " A præsenti die dare, „ & tradere, atque offerre providi in Ecclesia sanctæ Mariæ, ubi Martinus „ presbyter præsens esse videtur, in perpetuum pro futuris temporibus pos„ sidendum do, concedo, offero, trado & transfero, perpetualique trans„ acto facio de meo jure meoque dominio meisque hæredibus, alieno & „ transcribo & subduco in jure & DOMINIO ipsius Ecclesiæ, ut omni „ tempore ad jura PROPRIETATEM (*sic*) de ipsa Ecclesia ad haben„ dum, tenendum etc. „. Similem formulam lego in Charta 201. Horum vero similia habes frequenter in tomo altero Bullarii CASINENSIS, collectore D. Cornelio MARGARINO.

43. Et in *Codice donationum piarum*, Auberto MIRÆO collectore Cap. 35, anno 962 a quodam Comite Monasterio Blandiniensi conceditur villa; tum adjicitur: " Hæc omnia, sicut præfatus sum, ad idem venerabile „ Cænobium Blandiniense trado, transfundo, atque transcribo, & DE JURE „ MEO CEDENS EI, JURIS POTESTATISQUE DOMINIUM (*sic*) „ ejusdem loci destino atque concedo, ut ipsi servi Dei amodo & dein„ ceps hæc recipiant ad utilitatis suæ profectum, habeant, teneant, possi„ deant etc. „.

44. Lotharius autem Lotharingiæ Rex primus, Lotharii Imperatoris filius, anno 860 dat Monasterio San-Dionysiano mansum unum in hæc verba: " Nos igitur sancto & gloriosissimo Dionysio Martyri, seu venera„ bili loco mansum unum AD PROPRIUM largimur, jure perpetuali „ inibi mansurum, ac DE JURE NOSTRO ET DOMINATIONE IN „ POTESTATEM IPSIUS LOCI tradimus atque transfundimus . . . . . .; „ faciatque JURE PROPRIETARIO quidquid elegerit vel voluerit dein„ ceps „. Extat diploma apud MIRÆUM Cap. 9 Libri 2 Diplomatum Belgicor.

45. Carolus Craſſus Imp. ſimili formula dono dat Curtem quandam cum parte Sylvæ Monaſterio Prumienſi, in Præcepto, quod evulgavit Edmundus MARTENE col. 216 tomi 1 Collectionis ſuæ Monumentor. & Scriptor. Veterum: " Jure perpetuo tradimus (inquit) atque DE NOSTRA DOMI-„ NATIONE IN JUS ET DOMINATIONEM IPSIUS MONASTERII „ donamus atque transfundimus; ea videlicet ratione, ut Rectores ipſius mo-„ naſterii de ſupradicta curte, & tertia parte prænominatæ Sylvæ liberam „ ac ſecuram habeant poteſtatem ordinandi, regendi, & diſponendi ſecun-„ dum ſuum libitum, & utilitatem ſæpe fati monaſterii & Fratrum ibidem „ Deo famulantium „.

Pares formulæ ex hoc quoque genere occurrunt frequenter in memorato Bullario CASINENSI per MARGARINUM collecto.

46. Addo nunc diploma Ottonis III Auguſti primo vulgatum a MURATORIO *in tomo quinto Antiquitatum Medii Ævi col. 647;* per quod iſte Imperator Leoni Epiſcopo Vercellenſi, ejuſque Eccleſiæ duas inſignes Cortes, ut tunc nominabant, elargitur in hæc verba: " Dedimus ſancto Euſebio, „ cui Domnus Leo Epiſcopus præeſſe videtur, duas Cortes juris noſtri .... „ ut tam Leo Epiſcopus, quam omnes ſui ſucceſſores habeant, teneant .....; „ quia omnino DE NOSTRO JURE, ET DE NOSTRA PRO-„ PRIETATE IN JUS PROPRIUM ET PROPRIETATEM „ ſancti Euſebii Vercellenſis Epiſcopi contulimus, ut omnem poteſtatem tam „ Leo Vercellenſis Epiſcopus etc. „.

47. Adeo vero res erat comperta, PROPRIETATEM bonorum in Eccleſias per Donatores pios transferri, ut aliquando cartis donationum adderetur, ne quis proprietate eadem in poſterum ſpoliare Eccleſiam auderet. Exemplum adeſt mihi in alio diplomate ejuſdem OTTONIS III pro donatione Curtis cum Caſtello facta Canonicis Eccleſiæ Parmenſis; quod item primus in lucem eduxit MURATORIUS *ibidem col.* 555.

48. " Nos (ait Imperator) interventu Sigefredi ſanctæ Parmenſis Ec-„ cleſiæ venerabilis Epiſcopi, maxime vero ob Dei omnipotentis honorem, „ ſuæ ſacroſanctæ Sedi in honoreglorioſiſſimæ Virginis, Deique Genitricis „ conſtructæ AD JUS ET PROPRIETATEM Canonicæ (*ſic*) ibidem „ Deo modo inſervientium, & in futuro ſuccedentium concedimus etc. „.

49. " Inde præcipimus, ut nullus Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, „ nullaque Imperii noſtri magna parvaque perſona prædictæ Eccleſiæ Cano-„ nicos DE JAM HABITA PROPRIETATE DISVESTIRE „ aut moleſtare præſumat „.

50. In idem ferme recidit formula donationis anno 722 factæ Monasterio Prumiensi a Bertradana cum Chariberto filio, in tomo primo Collectionis MARTENII pag. 23: " Donamus atque transfundimus de jure nostro „ IN JURE ET DOMINATIONE ipsorum servorum Dei, ut ibidem per- „ petualiter proficiat eis. . . . . . Si quis vero . . . . contra hoc testamentum „ a nobis factum venire tentaverit, aut hoc IMMUTARE VOLUERIT; „ inprimitus iram Dei omnipotentis incurrat etc. „. Bertradanam Prumienses faciunt aviam Berthæ Regis Pippini uxoris; uti in subjecta adnotatione MARTENIUS scribit.

51. Et in Libro 2 *Donationum Belgicarum* per Aubertum MIRÆUM collectarum Cap. 14 Carolus Calvus Imperator variis possessionibus Monasterium Nivellense donat; declarans: " Hæc omnia prædicti Monasterii usi- „ bus concedimus; eo videlicet modo, ut prædictæ res usibus sororum seu „ fratrum deserviant, & a nullo deinceps seniore ALITER QUAM „ A NOBIS DEPUTATÆ SUNT, per futura tempora VALEANT „ IMMUTARI „.

52. Sunt hæc argumenta apertissima PROPRIETATIS Monasteriorum & Ecclesiarum; quam iterum omni amota verborum circuitione fatentur Henricus II Lotharingiæ inferioris & Brabantiæ Dux ejusque filius Henricus in diplomate anni 1247 pro Abbatia Indensi S. Cornelii, *Diplomat. Belgicor.* Auberti MIRÆI Lib. 1, Cap. 84, " consentientes, ut Venerabilis „ Abbas Monasterii Indensis ac ejusdem loci Conventus, QUORUM NO- „ SCITUR ESSE PROPRIETAS ET DOMINIUM, de dictis „ Wastinis possint ordinare, prout eis visum fuerit expedire „.

53. Et PROPRIETAS ea transfertur in locum illum, quem Donator elegit, & in Monachos Ordinis, qui est eo loci constitutus. Sic in præcepto sancti Henrici Imperatoris pro Monasterio Prumiensi ex anno 1020, *col.* 380 *tomi cit. MARTENII* dicitur: " Ad monasterium sancti Salvatoris situm „ in loco qui dicitur Prumea, IN USUS FRATRUM DEO INIBI „ SUB REGULA S. BENEDICTI servientium concessimus, & IN „ PROPRIETATEM DONAVIMUS, ut per omnia succedentium „ temporum curricula eidem Monasterio firmum atque stabile in æternum „ permaneat „.

54. Pari modo Godefridus Virdunensis Comes & uxor ejus Machtildis anno 979 varia prædia in Monasterium Blandiniense S. Petri transferunt in charta apud MIRÆUM *Diplomat. Belgicor. Lib.* 1, *Cap.* 23. " Hæc igitur „ omnia (ajunt) a præsenti in futurum jugi ævo possidenda, in JUS & „ POTESTATEM ipsius loci tradimus & transcribimus, & ipsis Dei

„ fa-

„ famulis, regularis vitæ ſtudiis, SUB MONACHALI HABITU, in „ eodem cœnobio Chriſto famulantibus, donata atque firmata eſſe volumus; „ quatenus hæc etc. „. Alia hoc de genere expreſſiora ac luculentiora dabimus *Cap. XVII cit.*

55. Sed vide, quam aperte PROPRIETATEM eandem Monaſteriorum teſtetur, & ab omni calumnia vindicet diploma Zuendeboldi Regis Lotharingiæ Arnulphi Imperatoris filii (Zuenteboldum appellat HEINECCIUS *de Lotharing. Prærogativ.* §. 3), datum anno 895 pro Monaſterio Stabulenſi, & a MARTENIO vulgatum *in Tomo ſecundo laudatæ Collection. col.* 34. Ibi Proprietas ſeu DOMINIUM DIRECTUM Monaſteriorum opponitur USUIFRUCTUI ſeu DOMINIO UTILI ejus, qui rem teneat in beneficium ſeu feudum. Locum enim, quem Lintfridus Comes habebat a Rege in beneficium, Rex idem Stabulenſi Monaſterio concedit perpetuo habendum JURE PROPRIETARIO. Profero verba diplomatis:

56. " Lintfridus fidelis & dilectus Comes noſter adiit culmen Serenitatis „ noſtræ deprecans, ut quaſdam res JURIS NOSTRI quas prius IN BENEFICIUM habuit . . . . ., ad monaſterium ſancti Petri traderemus. Nos „ vero . . . . . conceſſimus præfatum locum ad idem cœnobium, ut illud „ JURE PROPRIETARIO ÆTERNALITER conſiſtendum (*ſic*) „ cum curtilibus & ædificiis, familiis, manſis etc. etc. „. Sed addamus ea, quæ aliquibus interjectis ſequuntur:

57. " Juſſimus quoque hoc præſens Auctoritatis noſtræ præceptum inde „ conſcribi, per quod decernimus, ut præſcriptus donationis noſtræ locus „ ab hodierna die & deinceps perpetuis temporibus AD ANTEDICTUM „ MONASTERIUM IN USUS FRATRUM IBI DOMINO FAMULANTIUM, nullo inquietante, perpetim conſiſtat, liceatque ipſis fratribus „ eundem locum VELUTI CETERA IPSIUS MONASTERII LOCA „ juxta commoditatem ſuam poſſidere atque diſponere etc. „.

58. Eadem forma ſcripta eſt donatio Ludovici III Germaniæ Regis facta Monaſterio Ratiſponenſi S. Emmerami, quæ extat in Codice Diplomatico Ratiſponenſi *pag.* 41, *partis tertiæ tomi* 1 *Theſauri Anecdotor.* D. Bernardi PEZ: in qua Rex villulam quandam, quam Gundboldus Comes tenebat in *beneficium*, ſancto Emmeramo tradit in PROPRIETATEM.

59. " Tuto (ait Rex) reverendus ſanctæ Ratiſponenſis Eccleſiæ Præſul „ noſtram precatus eſt Clementiam, ut quandam villulam . . . . . ., ad ſanctum Emmeramum donaremus. Statimque nos . . . . . ., conſentiente „ Gundboldo ejuſdem BENEFICII poſſeſſore, præfatam villulam ad

„ Christi Martyrem Emmeramum, jure perenni delegavimus IN PRO-„ PRIUM .... Volumus, ut ipsa concessionis nostræ villula nunc & „ deinceps tempore perpetuo jure firmissimo sine ulla contradictione per-„ sonæ integriter AD MEMORATUM DEI ELECTUM pertineat, & ir-„ refragabiliter consistat „. In hoc ipso Codice diplomatico Ratisponensi occurrunt formulæ aliæ superiorum similes; quas brevitatis gratia præ-termitto.

60. Neque opus est alia addere hoc loco. Plura enim reservo proferenda *Cap. cit. XVII, num.* 35--62, ubi PROPRIETATEM cujusque Ecclesiæ, Sodalitatis, aut Ordinis in clara luce iterum ponemus ex aliis donationum tabulis & donatorum verbis.

Hoc solum admoneo in usus tum istius tum memorati capitis decimi septimi, eadem ratione eodemque modo ex publicæ politiæ norma conscriptas olim fuisse a publicis Notariis DONATIONES PIAS CETERAS; sicuti nunc testamenta, contractus, & cetera humanæ societatis negotia solent secundum statas ac receptas FORMULAS a Notariis publicis scripto consignari.

Id vero cognoscere is poterit, cui formulas a MARCULFO, SIRMONDO, BIGNONIO, LINDENBROGIO, & BALUZIO collectas, & Capitularibus Baluzianis subjectas percurrere placuerit; quibus formulis continetur modus & ratio DONATIONUM PIARUM veterum, testamentorum, venditionum; & aliorum contractuum, prout ab antiquis NOTARIIS perscribi, ac in tabulas publicas sive in acta referri consueverunt. Ex istis, inquam, formulis id, quod affirmo, fit manifestum.

Nam formulæ istæ, quantum ad DONATIONES PIAS attinet, cum nostris supra allatis consentiunt; quod argumento est, formulas supra allatas fuisse expressas ex istis ex politiæ publicæ præscripto.

Recte enim ac sapienter pro sua in his rebus peritia adnotavit MURATORIUS in Antiquitatib. Italic. Med. Ævi: " Sicuti nunc typis im-„ pressos habemus complures libros, ubi variorum instrumentorum for-„ mulæ pro negotiorum diversitate præscribuntur, & specimina Testamento-„ rum, Codicillorum, ceterorumque publicorum contractuum exhibentur; „ ita paria ANTIQUIS etiam fuisse præsidia, NULLAMQUE RE-„ GIONEM AUT CIVITATEM fuisse, cui non aliquod FORMU-„ LARIUM suppeteret, atque usurparetur a Notariæ artis alumnis „.

Om-

" Omnium vero antiquiſſimum formularum ejuſmodi collectorem GAL-
„ LIAM nobis ſervaſſe MARCULFUM, cujus libros illuſtravit eruditiſſimus BIGNONIUS, eique veteres alias formulas add dit a SIRMONDO, LINDENBROGIO, atque a ſe ipſo collectas, quas habemus a clariſs. BALUZIO editas tom. 2 Capitularium Regum Francorum „.

" Sed nullum dubitationi locum eſſe, quin & pro ITALICIS Tabellionibus ſuæ forent ac peculiares FORMULARUM collectiones, quamquam eas tempus abſumſiſſe jamdiu videatur. Antiqua vero illa Formularia in deſuetudinem abire, & ſenſim contemni cæpiſſe, ex quo Romanarum Legum uſus & ſtudium ſeculo Chriſti XII magna contentione animi in ſcholis & in foro reſtitutum eſt. Sublata vero prorſus fuiſſe ſeculo XIII, quum nempe Rolandinus Bononienſis *ſummam artis Notariæ* evulgavit, cujus adhuc formulæ & præcepta plurima uſurpantur in publicis tabulis conſcribendis „.

Addit præterea MURATORIUS, " auctorem eſſe eundem Rolandinum, non defuiſſe ITALIS alia ANTIQUA FORMULARIA; ſed quod ibi deſiderarentur ſubtilitates terminorum & cautelarum, quas recentiores invexerant, propterea in animum induxiſſe novam conſtruere ad Artem Notariam manuductionem „.

Hæc MURATORIUS Diſſertat. XII, quæ *de Notariis* inſcribitur. Etſi vero tempus forte (ut Muratorio viſum eſt) abſumpſit formularum ITALICARUM Collectiones; hic illarum interitus non effecit, ne ſciremus, formulas piarum donationum ITALIS NOTARIIS uſitatas non diſcrepaſſe a formulis aliarum Nationum. Non diſcrepaſſe enim videmus tum ex ſuperioribus, tum conſtabit amplius ex *Capite cit. XVII.* Reſpondent ſcilicet italicæ donationum formulæ formulis donationum piarum Tranſalpinis & FORMULARIIS, quæ MARCULFUS & ceteri nobis ſervarunt; adeoque formularia ITALICA quoad hoc caput fuerunt Tranſalpinorum ſimilia.

Ex his vero, quæ explicata ſunt hactenus, quid tandem conſequitur? Ex iſtis conſequitur, ut quod de donationibus piis nonnullis demonſtraverimus, id ad ceteras ſit transferendum: neque ſit opus, Eccleſiarum ſingularum chartas donationum proferre, ut de Donatorum mente aut de donationum earundem ratione & modo judicemus.

De iſtis enim ferendum eſt judicium ſecundum alias ejusdem temporis & loci; quoniam ſecundum receptas ac PUBLICAS FORMULAS donationes omnes piæ a publicis NOTARIIS ſcripto conſignabantur.

Ita-

Itaque qui aliquas piarum donationum formulas legit, hic se legisse ceteras putet: nam omnes in summa rei conveniunt, sive omnes ad eundem aut verborum aut sententiarum modum revocantur.

ERROR quidam insanus de PROPRIETATE bonorum ecclesiasticorum coarguitur.

61. Ne quis existimet, nos hoc loco munere nostro jam esse plene defunctos. Ad se enim nunc nos vocant inconsulti illi Scriptores, quos initio memoravimus; quibus (*Confermat. del Ragionam. intorno ai beni Eccl. Part.* 1, *pag.* 152 *seg.*, 150, 177: *Dialoghi de' Morti pag.* 251 -- 253), hoc subiit in mentem dicere, reditus ac fundos Ecclesiarum a pietate Christianorum non fuisse donatos Clero, sed universitati fidelium, quatenus Laicis constat & Clericis.

62. Hinc vero Imperanti non modo horum bonorum tuitionem tribuunt; verum etiam illi facultatem afferunt eosdem fundos ac reditus a Clero ad Laicos transferendi; nixi ea ratione quod sic nihilominus bona illa adhuc maneant in Ecclesia, quæ Laicis constat & Clero, & cui revera collata fuerunt. Hæc aperta fronte scribit *Auctor Dialogorum* præsertim.

63. Unde autem probant, bona ecclesiastica fuisse dono data universitati fidelium, adeoque etiam Laicis? Probant ex eo, quia Clerici, quicquid eorum victui ac vestitui superfuerit, tenentur conferre in egenos orphanos, pupillos, viduas. Scilicet liberam bonorum ecclesiasticorum dispositionem non habere Clericos, sicuti libere atque ex arbitrio de suis bonis disponere possunt Laici.

64. Miror sane, acutum hoc inventum effugisse mentem Joannis Wiclefi & Joannis Hus aut discipulorum; qui nec tantam tamen in bona ecclesiastica potestatem tribuerunt summo Imperanti; prout *ex Capite seq.* intelliges. Hoc invento evitassent, credo, quoad hoc caput damnationem Concilii generalis CONSTANTIENSIS. Sed novis hisce Doctoribus respondendum est, & brevissime quidem.

65. Nemo est, qui neget, ad Laicos pertinere proprietatem bonorum suorum, quamvis & ipsi teneantur, æque ac Clerici, id quod superfuerit, dare pauperibus; juxta apertum CHRISTI Domini præceptum non semel in Evangelio inculcatum, perpetuamque sanctorum Patrum doctrinam, immo ipsa JURIS NATURALIS præscripta. Ergo par bonorum ecclesiasticorum proprietas immerito cœtibus ecclesiasticis negaretur, etsi isti, quod superest, dare debeant pauperibus, seu egenis, orphanis, pupillis, viduis.

66.

66. Qui autem ex adverſo dicit, libere & ex arbitrio de ſuis bonis diſponere laicos poſſe; hunc remittimus ad prima chriſtianæ doctrinæ elementa addiſcenda. Plura quidem ea ſunt, quibus proſpicere oportet Laicos, quam ea quæ proſpicienda ſunt Clericis. Attamen Laici æque ac Clerici, quando neceſſitatibus proprii ſtatus ſecundum LEGES modeſtiæ, frugalitatis ac temperantiæ CHRISTIANÆ ſatisfecerunt, tenentur ea quæ ſuperfuerint, conferre in egenos, orphanos, pupillos, viduas.

67. Maneat ergo, SINGULOS quidem Clericos eſſe meros bonorum eccleſiaſticorum adminiſtratores, minime autem Dominos: ſed maneat etiam, dominium & proprietatem eorumdem bonorum eſſe penes ſingulas ECCLESIAS & Sodalitates eccleſiaſticas; nec magis eas per quamcunque Poteſtatem poſſe bonis ſuis ſpoliari, quam ſpoliari valeat privata quælibet laicorum familia.

68. At addunt acutiſſimi jurium Correctores, bona eccleſiaſtica adſtricta eſſe legibus reparandi ædes ſacras aliaque pietatis opera faciendi, ac præcipue legibus fundationum & donationum; unde colligunt, ad Eccleſias non pertinere eorumdem bonorum dominium & proprietatem.

69. Ego vero eos admonebo, familiarum quoque laicarum hæreditates & bona variis legibus ac vinculis eſſe frequenter adſtricta, aut erga familias alias, aut erga aliquem de ipſa familia, aut erga defunctos, vel erga alios; & hactenus tamen nemini in mentem venit, ulli laicorum familiæ ob hujuſmodi onera & vincula proprietatem bonorum abrogare; ergo neque erit Eccleſiis abroganda propter ullas leges ac vincula, quibus reditus earum ac fundi teneantur.

70. Sed hujuſmodi homines negligamus; id unum eos monere contenti, ne nimium ludant (ut faciunt) in nomine tutoris Eccleſiæ, quo Princeps potitur; & ne tutorem iſtum ad leges tutorum civilium exigant: nam ſecus erunt abſurdi & ridiculi: cum notum ſit, eam fuiſſe, & eſſe ſolere tutorum civilium poteſtatem, ut pupillus ſine tutoris auctoritate nec poſſit promittere, donare, commodare, remittere, tradere, nec poſſit contractus emptionis, venditionis, locationis, conductionis, mandati, depoſiti, inſcio tutore inire, ex quibus ipſe pupillus obligatus maneat. Nota hæc ſunt ex Inſtitutionibus JUSTINIANI *Lib.* 1, *tit.* 21; ſed adire etiam juvabit HEINECCIUM in hunc ipſum titulum *tom.* 5 *Oper. part.* 1, *edit. memoratæ.*

71. Abſit ergo, ut Principes piiſſimi pravis iſtorum vel ſimilium aſſentationibus inducantur ad violanda jura & PROPRIETATEM Eccleſiarum in ſua bona. Curent profecto pro ſua pietate Principes, ut Clerici laicis exemplo præeant in chriſtiano bonorum eccleſiaſticorum uſu; ita tamen

ut laicis criminatoribus non faciles ſtatim aures præbeant; immo nec proprio etſi ſapientiſſimo fidant judicio: ſed antequam aliquid in adminiſtratione eccleſiaſtica innovandum præcipiant, Clericos ipſos adminiſtratores audiant, utpote quibus eccleſiaſticæ adminiſtrationis rationes ac cauſæ magis ſunt perſpectæ, quam ceteris. Scilicet non raro contingit, ut malignis aut ignaris id inordinatum appareat, quod revera non eſt; & hinc falſo apud Principem criminentur adminiſtratores Clericos.



CAPUT XV.

Longe abeſt, ut Imperanti liceat Reditus, Prædia ac Fundos Eccleſiarum a Clericis transferre ad Laicos, vel FISCO Regio addicere: ubi ERRORES de Reditibus & Fundis Eccleſiarum referuntur; & Errorum iſtorum proſcriptio ab ECCLESIA facta narratur.

1. AD vindicandam Eccleſiis PROPRIETATEM redituum ac prædiorum, quibus illæ a pietate fidelium donatæ ſunt, *Cap. ſuper.* verba fecimus hominibus, quatenus ratione utuntur, ſeu ſolo naturali lumine præditi ſunt. At *hoc Cap.* ad eandem Eccleſiarum proprietatem vindicandam, loquemur CATHOLICIS, qui ut veri Eccleſiæ filii ſint parati vocem ECCLESIÆ audire ac ſequi.

2. Scilicet hoc loco mihi propoſitum non eſt, niſi ERRORES narrare, invectos ab Hæreticis & a Schiſmaticis adverſus DOMINIUM rerum ac fundorum Eccleſiæ; ac primigeniis ex fontibus docere, quam ſententiam adverſus errores eos ECCLESIA Catholica tulerit.

3. Ex quibus quidem cuique deinde licebit de hodiernis chriſtianæ politices hoſtibus ac everſoribus judicare, quorum minuti libri, erroribus ſolum ac audacia grandes, typis dati hiſce poſtremis annis fuere.

I. *ARNALDUS Brixienſis.*

4. " Arnaldus (ſcribit OTTO Friſingenſ. Epiſcop. de geſtis Friderici Imp. Lib. 2, Cap. 21), ex Italia civitate Brixia oriundus, ejuſdemque Eccleſiæ Clericus, ac tantum Lector ordinatus, Petrum Abailardum olim Præceptorem habuerat . . . . . . „.

5. " Is a ſtudio a Gallis in Italiam revertens religioſum habitum, quo amplius decipere poſſet, induit . . . . . . Dicebat nec Clericos proprietatem, nec Epiſcopos Regalia, nec Monachos poſſeſſiones habentes, aliqua ratione ſalvari poſſe. Cuncta hæc Principis eſſe, ab ejuſque beneficentia in uſum tantum laicorum cedere oportere. Præter hæc de Sacramento Altaris, Baptiſmo parvulorum non ſane DICITUR ſenſiſſe . . . . . . „.

6. " In magno (*Lateranenſi* 2) Concilio Romæ ſub Innocentio (*ſecundo*) habito . . . . . accuſatur. Romanus Pontifex, ne PERNICIOSUM DOGMA ad plures ſerperet, imponendum viro ſilentium decernit: ſicque factum eſt „. Hæc & alia de Arnaldo OTTO Scriptor coævus; ſecundum editionem Muratorii in Tomo ſexto *Scriptor*. *Rer. Italicar.*

7. Fateor vero, in Lateranenſi generali Concilio II habito anno 1139 Innocentio II Pontifice, nullam reperiri apertam Arnaldi damnationem. Si ſummam doctrinæ ſpectes; ad rem facere aliqua parte poſſet Canon 25, qui ſic ſe habet in tom. 12 Concilior. edit. Ven. Colet. col. 1505: " Si quis præpoſituras, præbendas, vel alia eccleſiaſtica beneficia de manu laici acceperit, indigne ſuſcepto careat beneficio. Juxta namque decreta ſanctorum Patrum, LAICI, quamvis religioſi ſint, NULLAM tamen habent diſponendi DE ECCLESIASTICIS FACULTATIBUS POTESTATEM „. Cujus Canonis ſecunda pars conſentit cum Canone 4 Concilii Lateranenſis I, quod anno 1123 a Calliſto II celebratum eſt.

8. Qui idem Canon quartus apud Stephanum BALUZIUM in Additione ad Caput 21 Libri 8 de Concord. Sacerd. & Imperii inter hujus Lateranenſis I Concilii Canones ab eo recuſos *ex pervetuſto Codice MS. Monaſterii Anianenſis in prima Narbonenſi*, eſt octavus. Damus nos tamen illum ex tomo allegato 12 Concilior. col. 1333. " Juxta beatiſſimi Stephani Papæ ſanctionem ſtatuimus, ut LAICI, quamvis religioſi ſint, NULLAM tamen de eccleſiaſticis rebus aliquid diſponendi habeant facultatem; ſed ſecundum Apoſtolorum canones omnium negotiorum eccleſiaſticorum curam Epiſcopus habeat, & ea velut Deo contemplante diſpenſet „.

9. " Si quis ergo PRINCIPUM, aut laicorum aliorum, diſpenſationem, vel donationem rerum ſive POSSESSIONUM eccleſiaſticarum

 „ ſibi

„ ſibi vindicaverit, ut SACRILEGUS judicetur „. Legit BALUZIUS ex Codice Anianenſi: *Si quis ergo Principum* aut aliorum vel laicorum diſpoſitionem, *vel donationem rerum* etc. Sed mendoſa lectio certe eſt.

10. Etſi vero recitatus ARNALDI error non inveniatur damnatus manifeſte in Lateranenſi II Concilio; nihil tamen adjumenti ex hoc capere quiſpiam poteſt; quaſi Concilio viſum ſit, erroribus Arnaldi ceteris damnatis, hunc præterire. Etenim nec alius quiſpiam Arnaldi error in hoc Concilio commemoratus invenitur aut damnatus.

11. Quare non erat, cur quidam jactaret (*Ragionam. intorno ai Beni Eccleſ. pag.* 36 - - 39), Lateranenſe Concilium II damnaſſe quidem errores Arnaldi reliquos. At illis damnatis eum tanquam parvi momenti prætcriiſſe, qui fert, " nec Clericos proprietatem, nec Epiſcopos regalia, nec monachos „ poſſeſſiones habentes, aliqua ratione ſalvari poſſe. Cuncta hæc Principis „ eſſe ab ejuſque beneficentia in uſum tantum laicorum cedere oportere „.

12. Intelligi ſane non poteſt, unde ille iſta didicerit, aut diſcere unde potuerit; præcipue cum admodum incertum ſit, an quo tempore illud Lateranenſe Concilium eſt habitum, alium errorem ARNALDUS diſſeminaret præter eum, de quo diximus. Eos igitur errores damnare in Arnaldo Lateranenſes Patres non potuere, quos tunc nondum cæperat ſpargere: damnaſſe autem, ex actis illis Concilii quæ ſuperſunt, vel etiam ex ſcriptoribus ARNALDO coævis, doceri a nemine poterit.

13. Quæ vero fuerit Pontificum & Scriptorum illius ætatis de recitato Arnaldi ERRORE ſententia; quod item ſancti BERNARDI judicium de Arnaldo; ſatis jam notum eſt, & plenius docemur a Natali ALEXANDRO *in Hiſt. Eccl. Sec. XI & XII, Cap.* 4, *Art.* 8, & a MAMACHIO *Del Diritto libero Lib.* 1, *Cap.* 5, §. 2 - - 6, *pag.* 331 - - 346 *tom.* 1. Et in decurſu præterea *bujus Capitis* multo fiet exploratius; quid de errore illo ſentire Catholicos univerſos oporteat.

II. *MARSILIUS Patavinus, & Joannes de JANDUNO.*

14. Natalis ALEXANDER Hiſt. Eccl. Sec. 13 & 14, Cap. 3, Art. 13 ſcribit, " Marſilius de Menandrino Patavinus, & Joannes Jandunus Peruſinus, Ariſtotelici magis quam CHRISTIANI, Politici magis quam Catholici, venales calamos Ludovico Bavaro ſchiſmatico Imperatori adverſus Joannem XXII P. Max. & eccleſiaſticam auctoritatem commodarunt. „ Marſilius peſtiferum librum de Juriſdictione Imperiali & Pontificia anno „ 1324 ipſi nuncupavit, quem inſcripſit *defenſorem pacis*, cui etiam conſarcinando damnatiſſimam operam JANDUNUS impendit „.

15.

15. *Hos errores homines impii propugnarunt*, I. Chriſtum Dominum, quando ſolvit tributum Cæſari, id ex neceſſitate & obligatione non ex pietate feciſſe, quod res ejus temporales Imperatori ſubeſſent: ex quo inferebant, res Eccleſiæ temporales ita Imperatori ſubjectas eſſe, ut velut ſuas pro libitu repetere illas poſſit . . . . VII. Eccleſiam bona temporalia poſſidere non poſſe. . . . . XII. . . . . . . Principis eſſe numerum Eccleſiarum ſacrorumque Miniſtrorum decernere, & beneficia eccleſiaſtica conferre; Religioſos Ordines approbare, de rebus temporalibus ad PIAS cauſas deſtinatis diſponere . . . . . .

16. " Errores præcipuos erudite ac prolixe refellit JOANNES XXII „ in ſententia illa ſua, quam apud Odoricum Raynaldum ad annum 1327 „ num. 27 legere eſt „. Hæc P. ALEXANDER.

17. Hæc Joannis XXII conſtitutio ad annum memoratum RAYNALDI tenet numeros 28--35, pag. 326 etc. tomi 15, edit. Colon. Agrippin. 1691. Pauca hæc damus ex ea: " In primis itaque iſti viri reprobi (ait Pontifex) „ dogmatizare præſumunt, quod illud, quod de Chriſto legitur in „ Evangelio B. Matthæi, quod ipſe ſolvit tributum Cæſari, quando ſtaterem „ ſumptum ex ore piſcis, illis, qui petebant didrachma juſſit dari, hoc fecit „ non condeſcenſive e liberalitate ſuæ pietatis ſed neceſſitate coactus . . . . . . „.

" Ex prædicto autem dicto ſuo nituntur concludere præfati viri repro- „ bi, quod omnia temporalia Eccleſiæ ſubſunt Imperatori, & ea poteſt acci- „ pere velut ſua. Videntur enim ſupponere, quod ex hoc, quod Chriſtus „ tributum ſolvit ex debito, res temporales ejus Imperatori ſubeſſent; & per „ conſequens, quod res Eccleſiæ temporales ſint Imperatori ſubjectæ, & eas „ poſſit recipere velut ſuas. Quæ quidem concluſio nullatenus ex præmiſſis „ ſequitur, nec ſequi poteſt etiam apparenter . . . . „.

Secundo iſti filii Belial dogmatizare præſumunt etc. pergit Pontifex; & quinis ſchiſmaticorum illorum articulis recitatis ac ſermone prolixo confutatis; ſententiam adverſus eos ſubjicit edicens:

" Articulos prædictos, videlicet quod illud, quod de Chriſto legitur in „ Evangelio beati Matthæi, quod ipſe ſolvit tributum Cæſari, quando ſta- „ terem ſumptum ex ore piſcis, illis, qui petebant didrachma juſſit dari, „ hoc fecit non condeſcenſive & liberalitate ſuæ pietatis, ſed neceſſitate „ coactus; item etc.; velut S. Scripturæ contrarios & fidei catholicæ inimi- „ cos, hæreticos, ſeu hæreticales & erroneos; necnon & prædictos MAR- „ SILIUM & JOANNEM (Jandunum) HÆRETICOS, immo hæreſiar- „ chas fore manifeſtos & notorios ſententialiter declaramus . . . . . ., Si quis

„ doctrinam prædictam defendere, vel approbare præsumpserit........; „ tanquam HÆRETICUS ab omnibus confutetur „.

18. Pergit autem RAYNALDUS num. 36 ibid.: *Alvarus Pelagius in libro de planctu Ecclesiæ Lib.* 1, *Cap.* 68 *duas alias hæreses insuper MARSILIUM vomuisse memorat his verbis:* Dicit enim ille perfidus Marsilius, quod *etc.* Insuper quod dicit ille impius, subdolus, & sophista, quod Ecclesia temporalia habere non potest, falsum est, quia nedum laici, sed etiam Clerici possunt habere temporalia & proprium. Sed illa de antiqua hæresi traxit; hi sunt enim hæretici, qui condemnant proprium habentes in hoc mundo, 24 *quæst.* 3. *Quidam* versic. *Apostolici.* Alii etiam sunt, qui dicunt, quod a tempore Silvestri Papæ, qui recepit donationem a Constantino, de qua 96 di. *Constantinus*, Ecclesia non fuit in statu salutis.

19. Sed mentita est iniquitas sibi; nam Ecclesia primitiva habebat pecunias & proprium in communi....... Deinde fideles dederunt eis possessiones, quæ in ditione Episcoporum consistunt, 12. q. 1. *Videntes*, de prædiis Ecclesiarum, 12. q. 2, quasi per totum..... Quod autem & Episcopi & alii Clerici possint habere proprium in speciali, qui religiosi non sunt, clarum est *etc.*

20. *Sparsi sunt* (subdit RAYNALDUS num. 37), *præter memoratas hæreses plures alii errores in venenatis MARSILII libris* etc. Adeas, si placeat, Tomum 3 Bibliothecæ Maximæ pontificiæ pag. 244 - - 251, ubi in citato Capite 68, Libri 1 *de Planctu Ecclesiæ* plura legere poteris ab ALVARO PELAGIO Episc. Sylvensi in Lusitanorum Algarbiis scripta adversus multiplices MARSILII Patavini errores.

III. *WALDENSES.*

21. Joannes de POLEMAR Archidiaconus Barcinonensis, apostolici Palatii causarum auditor in oratione, qua civile dominium Clericorum in BASILEENSI Concilio anno 1433 defendit adversus Bohemos, scribit tom. 17 Concil. edit. cit. col. 1216: " Fuit quidam Cancellarius Parisiensis, „ qui sic initiat suum tractatum:...... Error Waldensium fuit, successoribus Apostolorum, videlicet Papæ & Prælatis ecclesiasticis repugnare dominium in temporalibus, nec eis licere habere divitias temporales...... „ Hanc opinionem erroneam omnes putant.... Prælatis enim Ecclesiæ non „ repugnat habere dominium in temporalibus & jurisdictionem „. Hæc, nec multo plura Polemarius de hac re.

22.

22. Natalis vero ALEXANDER Hist. Eccl. Sec. XI & XII Cap. 4, Art. 13, §. 2 hos Waldensium errores circa ecclesiastica temporalia bona recenset: XIII. *Decimas solvendas non esse: siquidem Ecclesiæ primitivæ non solvebantur.* XIV. *Clericos possessiones habere non debere, secundum illud Deuteronomii* 18: Non habebunt Sacerdotes etc. XV. *Clericos & claustrales præbendas habere non debere.* XVI. *Episcopos & Abbates jura regalia obtinere non posse.* XVIII. *Malum esse fundare dotareque Ecclesias & claustra. Item non esse condenda Ecclesiis testamenta etc.* Lege sis ibidem & §. 7 *de Waldensium damnatione & impugnatoribus.*

IV. *WICLEFI Errores postremi, & Errorum fundamenta.*

23. Joannes WICLEF Anglus, Doctor Theologus, Ecclesiæ de Lutthleworth Lincolniensis Diœcesis Rector docuit articulo 10 inter eos, quos Synodus CONSTANTIENSIS Sess. 8 damnavit, *contra Scripturam sacram esse, quod viri ecclesiastici habeant possessiones.* Articulo 32: *Ditare Clerum esse contra regulam Christi;* & horum similia in articulis reliquis.

24. Sed considerandus in primis est articulus 16, qui sic est: *Domini temporales possunt ad arbitrium suum auferre bona temporalia ab Ecclesia, possessionatis habitualiter DELINQUENTIBUS, id est, ex habitu, non solum actu delinquentibus.* Vid. Concil. tom. 16, col. 120 seq. edit. Ven. Colet.

25. Hoc articulo 16 recitato subjungit Natalis ALEXANDER Hist. Eccl. Sec. 13 & 14, Cap. 3 cit. Art. 22, §. 3: "Facilitatem revocandi do„ nationes & rescindendi dotationes Ecclesiarum colligebat Wiclefus ex jure „ Regaliæ, quo Rex Angliæ fruebatur„: Constat, *inquit,* ex Regalia Regis Angliæ, quod decedente Episcopo vel Abbate, aut quocunque notabiliter dotato de Anglia, temporalia ejus ad denotandum Regalia Regis cadere debent in manum ejus: & non procedetur ad electionem, nisi obtenta Regis licentia, nec habebuntur ab electo mortificata Regni dominia, nisi Rege noviter approbante.

26. Contineat ergo se Rex ab innovatione delicti, maxime Progenitorum suorum, & in brevi erit totum Regnum purgatum a mortificatione stolida bonorum temporalium, quæ jam sunt in manu mortua. *Hæc Hæresiarcha apud Thomam Waldensem.*

V. *WICLEFI Errores PRIMI. Damnati.*

27. Ceterum Wiclefus ab initio errores suos aliquanto aliter ac lenius, proposuerat; quemadmodum videre licet in Epistola GREGORII XI. ad Archi-

Archiepiſcopum Cantuarienſem, & Epiſcopum Londinenſem de iiſdem erroribus (ſunt autem univerſim XIX) data anno 1377, quam habes in tomo XV Concilior. edit. cit. col. 917 - - 919.

28. Ad rem noſtram faciunt articuli hujus Epiſtolæ *ſextus:* " Si Deus „ eſt, domini temporales poſſunt legitime ac meritorie auferre bona fortunæ „ ab Eccleſia DELINQUENTE „, *ſeptimus:* " Numquid Eccleſia eſt in „ tali ſtatu vel non, non eſt meum diſcutere, ſed Dominorum temporalium „ examinare, & poſito caſu confidenter agere, & in pœna damnationis „ ejus temporalia auferre „, *decimus ſeptimus:* " Licet Regibus auferre tem„ poralia a viris eccleſiaſticis ipſis abutentibus habitualiter „, *decimus octavus:* " Sive Domini temporales, ſive ſancti Papæ, ſive Sancti, ſive caput „ Eccleſiæ, qui eſt Chriſtus, dotaverint Eccleſiam bonis fortunæ vel gratiæ, „ & excommunicaverint ejus temporalia auferentes; licet tamen propter „ conditionem implicitam DELICTO proportionatam eam temporalibus „ ſpoliare „.

29. Hos vero cum ceteris primos Wiclefi errores GREGORIUS XI *ex Cardinalium conſilio* (ait ALEXANDER art. 22, memor. § 6, num. 1) *damnavit. . . . . Wiclefi dogmata pleraque cum damnatis Marſilii Patavini & Janduni erroribus congruere monuit* in literis ad Anglos datis, quæ in memorato XV tomo Concilior. editæ ſunt col. 914 - - 917. Sunt autem epiſtolæ duæ; & utraque inſcribitur *Archiepiſcopo Cantuarienſi, & Epiſcopo Londonienſi.*

30. Idem Pontifex in alia ſupra citata Epiſtola affirmat, Wiclefi *concluſiones non ſolum eſſe erroneas in FIDE; ſed ſi bene advertatur, innuunt,* ait, *omnem deſtruere POLITIAM.*

31. Regni Comitiis ſive Parlamento Londini anno 1382 congregato, has inter ceteras Propoſitiones Wiclefus obtulit: *Secundam:* " Quod nec „ curiæ Romanæ, nec Avenionicæ, nec alicui exteræ emittatur Regni pe„ cunia, niſi doceatur hoc eſſe debitum ex Scriptura „. *Quintam:* " Quod „ Regni communitas non oneretur tallagiis inſuetis, antequam totum patri„ monium, quo Clerus dotatur, deficiat. Patet quia omnia iſta ſunt bona „ pauperum charitative exponenda ad eorum egentiam, vivente Clero in „ perfectione primariæ paupertatis „.

32. *Sextam:* " Quod quocunque Epiſcopo vel Curato dotato de Anglia „ in contemptum DEI notorie incidente, nedum liceat Regi, ſed teneatur „ ſua temporalia confiſcare „.

33. " Has Wiclefi propoſitiones (ait Natal. ALEXANDER §. 6 annotat. num. 10) „ refert Walſinghamus in Richardo ſecundo. Illas Anglicani „ Proceres, ut par erat, REJECERUNT „.

34.

34. Anno vero 1388 Rex, ut idem ALEXANDER narrat, libros Wiclefi & fequacium profcripfit, ac igni tradi juffit; errorefque propugnari prohibuit.

35. Habetur in tomo 15 Concilior. citato col. 961 fub anno 1382 ejufdem RICHARDI Regis edictum, datum ad preces Willelmi de Courtenay (de quo dicemus *num.* 39 - - 43), per quod auxilium coercitionis fecularis adverfus Wiclefitas concedit, ac Regiis Miniftris mandat, ut Epifcoporum petitionibus obfequantur, quoties fuerint ab iftis requifiti contra defenfores errorum, quos Courtenayus cum Suffraganeis in Synodo Londinenfi damnaverat.

36. *Wiclefiftas edictis fuis* (pergit ALEXANDER) *pariter infectati funt & coercuerunt Henricus IV & Henricus V Reges, ut Nicolaus Harpsfeldius in Hiftoria Wiclefiana Cap.* 17 *obfervat;* Unus, *inquit*, ex præcipuis fcopis quo Wiclefiani collimabant, ille erat, ut poffeffiones omnes Clero excuterent, atque in fumma illum egeftate conftituerent ......

37. Jactabant itaque temporales Ecclefiæ poffeffiones, quas monaftici Viri, & alii ex Clero, male & perdite (ut ifti ajebant) collocabant, poffe infignem & incredibilem Regi Regnoque fructum afferre. Poffe ex his emolumentis 15 comites, 1500 Equeftris Ordinis homines, duo millia armigerorum (ut appellamus) ad reipublicæ defenfionem atque tutelam foveri. Poffe præterea centum pauperum hofpitia ædificari, præter viginti mille librarum annuos proventus qui Regio Fifco accederent. Hoc certe fuit novum SUB PIETATIS SPECIE aucupium, quo Reges facile irretiendos exiftimabant ......

38. Sed privatis REGES compendiis Dei & Ecclefiæ honorem pro infita fua pietate prætulerunt ...... HENRICUS præterea uterque Wiclefianorum infolentiam SEVERISSIMIS LEGIBUS coercuit. Henricus Pater maximorum comitiorum auctoritate conftituit & fancivit *etc. etc.*

VI. *Iterum de WICLEFI erroribus POSTREMIS; & de variis fententiis adverfus eos latis.*

39. Ut ad errores Wiclefi poftremos, quos Conftantienfe Concilium damnavit, redeamus: eos anno 1382 commemorato notaverat jam Synodus Londini habita in conventu FF. Prædicatorum a Primate Cantuarienfi Guillelmo Courtenayo feu de COURTENAY & feptem Epifcopis, cum omnium ordinum Theologis ac juris canonici Doctoribus.

40. Eorum errorum aliquos proclamavit *hæreticos & determinationi Ecclesiæ repugnantes;* alios *erroneos & determinationi Ecclesiæ repugnantes.* Ad primum genus pertinet ille: *Est contra Scripturam sacram, quod Viri ecclesiastici habeant possessiones temporales.*

41. Alteri generi Synodus annumerat illum: *Domini temporales possunt ad arbitrium auferre bona temporalia ab ecclesiasticis habitualiter DELINQUENTIBUS; & populares possunt ad arbitrium Dominos delinquentes corrigere.* Habes hanc Synodum in tomo 15 Concilior. edit. memor. col. 951 -- 962.

42. Hac ipsa in Synodo habita est quæstio in Nicolaum Hereford, Philippum Rapyngdon Canonicum regularem, & Joannem Ayshton, WICLEFI discipulos. Priores duo vocibus ambiguis errores ex propositis præcipuos ejurarunt; hinc datis induciis jussi sunt fidem suam clarius profiteri.

43. Tertius petulantius respondit; ac hæreseos statim convictus atque damnatus est. HEREFORDIUS & Rapyngdonius articulum illum: *Est contra Scripturam,* in prima declaratione sic explicaverunt: " Asserere quod ,, est contra Scripturam sacram, quod viri ecclesiastici habeant possessiones ,, temporales, adjuncta pertinacia, concedimus quod EST HÆRETICUM ,,. Ad aliud caput, *Domini temporales*, sic exposuerunt: " Quod ,, Domini temporales possunt ad arbitrium eorum auferre bona temporalia ,, ab ecclesiasticis habitualiter delinquentibus; concedimus quod EST ERROR, ad hunc sensum, quod possunt LEGITIME sic auferre bona ,, temporalia ecclesiasticorum extra casus limitatos in legibus ECCLESIÆ ,, & regnorum ,,.

44. Ad Concilium Londinense, anno 1396 celebratum *a Thoma ARUNDELIO Cantuariensi Archiepiscopo cum Suffraganeis, mortuo* WICLEFO, inter articulos alios XVIII *excerptos ex Trialogo Wiclefi* delati sunt & isti: " *XI.* Numerorum 18 & Ezechielis 44 præcipitur simpliciter negative, quod ,, nec Sacerdotes Aaronitæ, nec Levitæ habeant partem hæreditatis cum ,, aliis tribubus, sed quod pure vivant de decimis & oblationibus. *XII.* Non ,, est major hæreticus vel Antichristus, quam Clericus qui docet, quod licitum est Sacerdotibus & Levitis legis gratiæ dotari cum possessionibus temporalibus: & si aliqui ex prævaricatione in lege Dei sunt hæretici, apostatæ, vel blasphemi, sunt illi Clerici, qui hæc docent. *XIII.* Non solum ,, domini temporales possunt auferre bona fortunæ ab Ecclesia habitualiter ,, DELINQUENTE: non solum eis hoc licet, sed debent hoc facere ,, sub pœna damnationis æternæ ,,.

45. En autem cenſuras ad hos articulos a Londinenſi ARUNDELII Concilio datas. " *XI* articulus pro HÆRESI condemnatus. *XII* arti-„ culus pro ERRORE condemnatus. *XIII* articulus, ut HÆRETI-„ CUS in ſuo univerſali intellectu condemnatus „. Hæc extant in Tomo 15 Concilior. cit. col. 999 - - 1002.

46. Prætermitto hic mentionem facere Decreti, quod anno 1413 ſanxit Joannes XXIII in Synodo Romana contra libros Joannis WICLEFI, *dialogum*, *trialogum*, *&* *alios plures*, eorumque doctrinam; & adverſus eos, qui hos libros *legerint*, *expoſuerint*, *docuerint*, *vel tenuerint*. Nam in hoc Decreto articuli ſpeciatim non indicantur; ſed generatim de libris & doctrina ſententia fertur. Illud habes *in Tomo Concilior. allegato col.* 1379 - - 1382. Lege ſis ibi & Concilium Londinenſe anno eodem habitum adverſus Wiclefi ſectatores a laudato ARUNDELIO.

VII. *SENTENTIA Concilii Oecumenici CONSTANTIENSIS contra POSTREMOS WICLEFI Errores.*

47. Synodus CONSTANTIENSIS (quod *num.* 23 commemoravimus) Seſs. VIII errores WICLEFI quadragintaquinque proſcripſit. Sed ſententiam prolatura præmonet in primis, quomodo eoſdem " Reverendiſſimi Pa-„ tres Archiepiſcopi, Epiſcopi, pro tempore CANTUARIENSIS & „ Eboracenſis Sedis Apoſtolicæ Legati in Angliæ, & Pragenſis in Bohemiæ „ Regnis, condemnarunt „.

48. Tum ſubdit iis ſuo juſſu examinatis, " repertum eſſe (prout in „ veritate eſt) aliquos & plures ex ipſis fuiſſe & eſſe notorie hæreticos, & „ a ſanctis Patribus dudum reprobatos; alios non catholicos, ſed erroneos; „ alios ſcandaloſos & blaſphemos, quoſdam piarum aurium offenſivos, non-„ nullos eorum temerarios & ſeditioſos „.

49. " Propterea in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti hæc ſancta Syno-„ dus, *ait*, SENTENTIAS prædictorum ARCHIEPISCOPORUM ...... „ RATIFICANS & approbans prædictos articulos & eorum quemlibet...... „ reprobat & condemnat ....; inhibens omnibus & ſingulis Catholicis „ ſub ANATHEMATIS interminatione, & ne de cetero dictos articulos, „ vel ipſorum ALIQUEM audeant publice prædicare, dogmatizare etc. „.

50. Anno vero 1418 VIII Cal. Martii per tempus Seſſionis Conſtantienſis XLI, Martinus V. anno Pontificatus ſui 1, *ſacro approbante CONCILIO* per Conſtitutionem: *Inter cunctas,* commiſit omnibus Archiepiſcopis & Epiſco-

pis, ut " tamquam HÆRETICOS judicarent, & velut hæreticos feculari „ Curiæ relinquerent *eos*, *qui* ARTICULOS feu libros & doctrinas hære- „ fiarcharum Joannis WICLEFI, & Joannis HUS, & Hieronymi, per Con- „ ftantienfem Synodum cum fuis auctoribus damnatos, tenere, credere & „ dogmatizare .... præfumpferint; *& ut* omnes infamatos feu fufpectos „ de tam peftifera labe .... ad fingulos articulos (Wiclefi & Huffi)....... „ juxta infrafcripta interrogatoria ad quemlibet articulum convenientia re- „ fpondere compellant „.

51. Inter reliqua autem interrogatoria hæc ad rem noftram faciunt: " Utrum credat, quod liceat perfonis ecclefiafticis abfque peccato hujus „ mundi habere poffeffiones & bona temporalia. Item utrum credat, quod „ LAICIS ipfa ab eis auferre poteftate propria non liceat; immo quod fic „ auferentes, tollentes & invadentem bona ipfa ecclefiaftica, fint tanquam „ SACRILEGI puniendi, etiamfi MALE VIVERENT perfonæ ec- „ clefiafticæ bona hujufmodi poffidentes „.

52. " Item, utrum credat, quod hujufmodi ablatio & invafio cuicun- „ que Sacerdoti etiam MALE VIVENTI temere vel violenter facta „ vel illata inducat SACRILEGIUM „. Vid. Concilior. tom. 16 edit. Ven. Colet. col. 751 - - 765; & ibid. col. 1482 *Concilii Oecumenici Conftantienfis Faftos ab Hermanno Von der Hardt in compendium contractos.*

53. Recte igitur a Natali ALEXANDRO *in Hift. Eccl. Sec.* 15 *&* 16 *Cap.* 2, *Art. I*, §. 3, *num.* 18 ad hanc rem adnotatum fuit; " Huffitarum (& Wiclefitarum) „ hærefim damnavit rurfus (poft Conftantienfe Concilium) „ Martinus V, feu damnationem a Synodo Conftantienfi factam promulgavit „ & executus eft, formamque habendæ in ipfos quæftionis Archiepifcopis, „ Epifcopis & Inquifitoribus hæreticæ pravitatis encyclicis literis, quæ inci- „ piunt: *Inter cunctas*, datis Conftantiæ octavo Kalendas Martii anno 1418 „.

VIII. *HUSSITÆ & Joannes HUS. Sententiæ Theologorum Conftantienfium de WICLEFITARUM Erroribus.*

54. Notum eft, HUSSITAS Wiclefitis in plerifque erroribus adhæfiffe. Hinc Martinus V. (quod *num.* 50 - - 52 vidimus) utrofque fimul damnandos cenfuit. Et Synodus CONSTANTIENSIS ficut errores Wiclefitarum Seffione VIII profcripferat, ita HUSSITIS anathema intulit Seffione XV.

55. Sunt in tomo 16 cit. Concilior. col. 244 ifti HUSSITARUM errores circa dominium bonorum ecclefiafticorum: " Dominus Papa, Epi- „ fcopi

„ ſcopi, omnes Religioſi vel puri Clerici titulo perpetuæ poſſeſſionis dotati „ debent renunciare illis in manibus brachii ſecularis: Quod ſi pertinaciter „ noluerint, per ſeculares debent regi. Non eſt major hæreticus vel Anti- „ chriſtus, quam ille Clericus, qui docet, quod licitum eſt Sacerdotibus & „ Levitis legis gratiæ dotari in poſſeſſionibus temporalibus „.

56. Tandem: “ Non ſolum poſſunt domini temporales auferre bona „ Eccleſiæ ab habitualiter DELINQUENTIBUS: nec ſolum hoc eis licet, „ ſed debent hoc facere ſub pœna damnationis æternæ „.

57. Sequitur autem *ibi col.* 246 ſententia ei fere per omnia ſimilis, quam ex Seſſione VIII deſcribebam *num.* 47 - - 49. Iſta acta ſunt anno 1415.

58. Biennio ante, id eſt anno 1413 “ Sacra Facultas Pariſienſis (ait Natalis ALEXANDER Hiſt. Eccl. Sec. 15 & 16, Cap. 2, Art. 1, §. 3, cit. num. 6) “ Auctore Gerſone Cancellario, Joannis HUS errores ex illius „ Tractatu de Eccleſia excerptos damnavit. Hos articulos & cenſuram ſin- „ gulis inuſtam refert Auctor hæreticus Hiſtoriæ Joannis Hus, initio ejus „ Operum editæ „. Hæc ALEXANDER. Do autem articulum. *Quod eccleſiaſtici MALE VIVENTES poſſunt & debent per laicos coerceri per ſubtractionem decimarum, & aliorum emolumentorum temporalium.* En cenſuram Facultatis: *Error pernicioſiſſimus & ſcandaloſus, ad SACRILEGIA perpetranda ſeculares inducens, & eccleſiaſticam ſubjiciens libertatem.*

59. In Appendice Concilii Conſtantienſis num. XXII *col.* 846 - - 870 *tomi* 16 *Concilior.* habemus *Theologorum Conſtantienſium brevem cenſuram XLV articulorum WICLEFI an.* 1415 *in Concilio proditam.* Et ibid. num. XXIII *col.* 870 - - 939 extat *Theologorum Conſtantienſis Concilii diffuſa condemnatio XLV articulorum WICLEFI.* Ex his articulis, decimum & decimum ſextum jam *num.* 23 *& ſeq.* protulimus; & ſic exordiuntur: *Contra Scripturam;* & *Domini temporales.*

60. Auctores itaque cenſuræ brevioris ita de Articulo X cenſent; “ Iſta „ concluſio eſt erronea & ſeditioſa. Sacra enim Scriptura non contradicit..... „ Legimus de Chriſto, quod ipſe habuit loculos. Item 1 Corinth. 3, & ad Tit. 1: „ Oportet Epiſcopum eſſe bene præpoſitum domui ſuæ, & eſſe hoſpitalem, „ quod eſſe non poſſet, niſi domum & hoſpitium poſſideret. Unde Augu- „ ſtinus ad Bonifacium, ubi loquens de ſe etc. Item eſt ſeditioſa & incitatoria „ ſecularium ad recipiendas poſſeſſiones Eccleſiaſticorum & Clericorum „. *Vid. loc. cit. col.* 850.

61. At in prolixiori cenſura ad eundem Articulum X ita lego: “ Iſte „ articulus eſt contra legem divinam. Nam ſecundum legem divinam Clerus „ veteris legis habebat 48 civitates *etc.* Nec populus chriſtianus minus debet

„ offerre Domino ſacrificia, oblationes, conſecrare agros, poſſeſſiones & „ ſimilia. . . . Nec clericatus novæ legis eſt minus idoneus habere ſacrificia, „ oblationes, decimas Domini, poſſeſſiones conſecratas. . . . . Nam & „ Epiſcopum oportet eſſe hoſpitalem *etc.* Eſt igitur prædictus Articulus „ HÆRETICUS „. *Vid. col.* 883.

62. Ad XVI Articulum, *Domini temporales*, venio. De hoc Articulo ſic Cenſor primus judicat col. 853 tomi 16 alleg.: " Iſta aſſertio . . . . . invitat „ Dominos temporales ad avaritiam, rapinam & SACRILEGIA, contra „ bonos mores. Nam viri eccleſiaſtici poſſunt habere bona temporalia. . . . . „ Qui auferunt bona temporalia ab Eccleſia . . . ., nocent etiam PAU- „ PERIBUS, quod eſt crudele „.

63. Cenſor vero alter Articulum hunc 16 appellat " HÆRETICUM „ errorem, *cum* ei Scriptura ſacra contrarietur; *& quia* bona Eccleſiæ ſunt „ ſpecialiter bona DEI . . . . . SACRILEGIUM eſt ſubtrahere bona ec- „ cleſiaſtica Domino, & ſuo divino juri, auferendo ea ab ECCLESIA „.

64. " Conſecrantur autem & ſanctificantur talia bona temporalia Domino, „ inſtitutione (id eſt, *fine*), poſſeſſione, per verbum Dei principaliter, active, „ & per orationem Eccleſiæ miniſterialiter, impetrative. . . . . . Error præ- „ dictus obviat directe ſacræ Scripturæ. Nam Levit. ultimo dicitur: *Omne* „ *quod Domino conſecratur* etc. Et in eodem capitulo dicitur poſt alia: *Poſſeſſio* „ *conſecrata ad jus pertinet Sacerdotum* . . . . . „.

65. " Chriſtus Dominus Deus eſt Rex, habens regnum eccleſiaſticum „ ſuper terram, ad cujus regni coronam pertinent bona temporalia Domino „ conſecrata. . . . . . . Et cum ſervi talis Domini, ſcilicet CLERICI, ſunt „ officiales & MINISTRI eccleſiaſtici in illo regno, poſſeſſio conſecrata „ pertinet ad jus talium . . . .; & non pertinet ad jus temporalium Do- „ minorum, quia tales non ſunt miniſtri & officiales eccleſiaſtici. . . . . . Per „ conſequens adminiſtratio ac DISPENSATIO talium bonorum tem- „ poralium Eccleſiæ ſuæ, ad officiales & Miniſtros eccleſiaſticos pertinet; „ non ad Dominos temporales „.

66. Ultimo loco Auctor iſtius cenſuræ ex morte Ananiæ & Saphiræ, ſeu ex illis Petri, *Non es mentitus hominibus, ſed Deo*, tria colligit. *Primo*, " quod bona temporalia eccleſiaſtica ſunt bona Dei, & non hominum, quo- „ modo Anania & Saphira mentiti ſunt Deo, & non hominibus. *Secundo*, „ quod qui fraudat de bonis eccleſiaſticis, injuriatur Deo & non homini- „ bus. . . . . *Tertio*, patet ex ipſo facto, quam gravis eſt culpa fraudare de „ bonis Eccleſiæ, & quam gravem IRAM DEI fraudantes incurrant „. *Vid. col.* 891 *& ſeq. tomi illius* 16 *Concilior. edit. Veneto-Labbeanæ.*

Hæc

Hæc vero ex CENSURIS iſtis exſcribebam non alio conſilio, quam Hiſtoriæ proſequendæ errorum WICLEFI, ſeu ut Theologorum etiam illorum de his erroribus ſententiam ac judicium palam facerem.

IX. *Recentior quidam Scriptor redarguitur ex Decretis CONSTANTIENSIBUS.*

67. Ea omnia, quæ diximus a num. 23 ad hunc uſque locum, ſi expenderimus diligenter, ac una ſimul omnia contulerimus; intelligemus ſtatim, nonniſi imperitiſſime ab Auctore libri, qui inſcribitur *Dialoghi d' Morti pag.* 12 *& ſeq. edit. Ven.* 1770 affirmari potuiſſe, propoſitiones WICLEFI ad temporalia Eccleſiæ bona ſeu reditus & fundos eccleſiaſticos ſpectantes, reportaſſe *la marca non di Eretiche, ma di erronee, e ſcandaloſe.*

68. Quid enim eum juvat, quod *il dotto Dupin nel compendio della ſua Iſtoria della Chieſa al ſecolo XVI. ei faccia ſapere, che le Propoſizioni ERRONEE riguardavano i Beni temporali della Chieſa, e gli Ordini Religioſi?* Ea omnia, quæ in cauſa Wicleſitarum acta ſunt, diligenter expendiſſe oportuit: tum vero de mente Concilii pronunciare.

69. Tulitne *la marca non di eretico, ma di erroneo, e ſcandaloſo*, ille etiam WICLEFI articulus, *ditare Clerum eſt contra regulam Chriſti*; aut ille, *Silveſter Papa, & Conſtantinus Imperator erraverunt Eccleſiam dotando?* Ita profecto, ſi hunc hominem audimus, qui inter alios de reditibus & fundis eccleſiaſticis articulos recitat & iſtos; & eodem modo de iſtis ac de aliis pronunciat. Confer. *Cap. XIV ſupr. num.* 61 *etc.*

70. Atqui Archiepiſcopi COURTENAYUS in ſua Synodo articulum cum iſtis prorſus affinem HÆRESIS nomine notavit. CONSTANTIENSE autem Concilium *ratificavit & approbavit* tum iſtius, tum aliorum Epiſcoporum ſententias; prout vidimus *num.* 47 -- 49, & notavit tanquam hæreticum eundem articulum Theologus Conſtantienſis in cenſura prolixiori a me *num.* 61 relata. En articulum pro HÆRETICO a Synodo COURTENAYI habitum: *Eſt contra Scripturam ſacram, quod Viri eccleſiaſtici habeant poſſeſſiones temporales.*

71. Quod autem ſpectat articulum: *Domini temporales poſſunt* etc.; in primis eum moneo, ut advertat ad notam ipſi illatam per Archiepiſcopum ARUNDELIUM, de qua *num.* 44 *& ſeq.* diximus; itemque per Theologos Conſtantienſes prolixioris Cenſuræ auctores; id quod *ſuperiori num.* 63 videre licet.

72.

72. Tum ſuadeo, ut conſideret interrogatoria a nobis *num.* 50 -- 52 memorata, ad quæ MARTINUS V. eos reſponſuros decrevit, qui Wiclefum aut Huſſum olerent. Item, ut aſpiciat ad SACRILEGII crimen, cujus ibi a Martino fit mentio; quemadmodum facta eſt & in BASILEENSI Concilio per Joannem POLEMARIUM, & eodem tempore per ipſam PRAGENSEM Bohemorum Academiam; ſicuti *num.* 122 *ſeq.* & *num.* 127 *ſeq.* viſuri ſumus.

73. Expendat quoque cenſuram Facultatis Pariſienſis in eundem articulum auctore GERSONE latam; quam afferebamus *num.* 58.

74. Proxime præterea *num.* 114 -- 119 CLARIUS conſtabit, ablationem illam fuiſſe a damnatis Huſſitis eo tantum nomine propugnatam, quatenus loco pœnæ imponeretur. Itaque ex Huſſitica erronea opinione oportebit primum, ut in judicium vocati eccleſiaſtici Viri criminis damnentur, ac gravi POENA ob commiſſa crimina declarentur digni; tum ut in delectu pœnæ imponendæ ablatio hæc potius decernatur, quam alia gravis pœna, quæ Clericorum manifeſtis delictis jure ac lege debeatur.

75. Sed adhuc hæc ipſa ſic temperata Huſſitica opinio ab Eccleſia, a Theologis, & ab Academiis declarata eſt ERRONEA & ſcandaloſa; ne graviora commemorem. Et hoc fuiſſe Eccleſiæ de ea re judicium, non inficiatur interpres noſter. Omnes ſane cenſent, Huſſiticam illam opinionem SACRILEGIIS viam pandere; eſſe regulam morum impiam: atque huc recidit nota, quam noſter admittit, *articuli ſcandaloſi.*

76. ERRONEUM autem, ſeu ERRONEA PROPOSITIO quid ſit, docebit nos Melchior CANO de Locis Theolog. Lib. 12, Cap. 10, pag. 388. *Error*, ait, *qui & minus quiddam quam aperta hæreſis, & CATHOLICÆ doctrinæ tamen contrarius eſt, propoſitio ERRONEA vocatur.*

77. Scilicet, ut ibi paullo ante explicat CANUS " quædam ſunt catholicæ veritates, quæ ita ad fidem pertinent, ut his ſublatis fides quoque ipſa tollatur. Quas nos uſu frequenti non ſolum catholicas, ſed fidei veritates appellavimus ".

" Aliæ veritates ſunt etiam ipſæ catholicæ & univerſales, nempe quas univerſa Eccleſia tenet, quibus licet everſis fides quatitur, ſed non evertitur tamen .... ".

" Quæ igitur propoſitiones hujus poſterioris generis veritatibus contradicent, eas equidem ERRONEAS appello: quæ quoniam doctrinæ catholicæ adverſantur, errores ſunt HÆRESI PROXIMI, hæreſes non ſunt ". Hæc CANUS.

78.

78. Sed ut catholico viro invisus fiat articulus propositus, *Domini temporales*; sufficit quod Concilium CONSTANTIENSE, super. num. 49, *inhibuerit omnibus & singulis Catholicis sub ANATHEMATIS interminatione, ne de cetero articulos WICLEFI & Hussi, vel IPSORUM ALIQUEM audeant publice prædicare, dogmatizare* etc.

79. Neque enim audaciam Scriptoris illius purgat, quod in Constantiensi Concilio *con la violazione del Salvocondotto in persona di Giovanni Hus, e di Girolamo di Praga siasi data occasione ai Boemi Discepoli di Wiclef, di involvere in sanguinose guerre la Germania sotto la condotta del valoroso Zisca* (apprime tamen impii, & crudelis) *capo de' Taboriti.* Non puduit catholicum virum has calumnias, alias jam plene protritas adversus hæreticos, in Oecumenicum Ecclesiæ Concilium jactasse?

80. Quinam Husso, & Hieronymo Pragensi Salvusconductus datus sit per Concilium & per Sigismundum Imperatorem, seu quibus liberi commeatus litteris isti fuerint donati, & an vere fides hæreticis istis data, violata fuerit; didicisset sane, si, depravatis fontibus relictis, legisset potius Acta Sessionum Constantiensium 6, 19 & 21 *in tomo* 16 *Concilior. cit.*; aut si adiisset saltem Natalem ALEXANDRUM *in Hist. Eccl. Sec.* 15 *&* 16, *Dissert.* 7; cujus Dissertationis hoc thema est: " Sacra Synodus Constantiensis fidem hæreticis „ violandam non docuit: NEC AB EA, aut etiam a Sigismundo Imperatore „ Joanni Hus, & Hieronymo de Praga violatam unquam probabitur „.

X. *Idem nuperus Auctor refellitur ex posterioribus ecclesiasticis monumentis; ex ipsorum PROTESTANTIUM sententia; & ex theologicis Principiis.*

81. Quid autem? Anne sacrosanctum Oecumenicum Concilium TRIDENTINUM inique judicavit, an erravit, quando *Sess. XXII Cap. XI de Reformat.* censuit gravissimam pœnam decernendam in quoscunque bonorum Ecclesiæ cujuscunque, aut pii loci invasores? Catholicus hoc non dicet, & si dixerit, non is erit, qui videri vult.

82. " Si quem Clericorum (ait sancta Synodus) vel laicorum, quacun„ que is dignitate, etiam IMPERIALI aut REGALI præfulgeat, in tantum „ malorum omnium radix cupiditas occupaverit, ut alicujus Ecclesiæ, seu „ cujusvis secularis vel regularis beneficii, montium pietatis, aliorumque „ piorum locorum JURISDICTIONES, bona, census ac JURA etiam „ FEUDALIA & emphyteutica (jurisdictiones & jura feudalia conditionem

 lau-

lautiorem faciunt, & affluentiorem potentioremque ſtatum. Hoc vero non ſine cauſa a me adnotari ii ſciunt, qui venalium quorumdam Scriptorum hujus temporis libellos percurrerunt) „ fructus, emolumenta ſeu quaſcunque obven-„ tiones, quæ in miniſtrorum & pauperum neceſſitates converti debent...., „ quocunque quæſito colore in proprios uſus convertere, illoſque uſurpare „ præſumpſerit ....; is ANATHEMATI tamdiu ſubjaceat, quamdiu „ JURISDICTIONES, bona, res, jura, fructus & reditus, quos occu-„ paverit, VEL QUI ad eum quomodocumque etiam ex donatione ſup-„ poſitæ perſonæ, PERVENERINT, Eccleſiæ, ejuſque adminiſtratori „ ſive beneficiato integre reſtituerit, ac deinde a Romano Pontifice ab-„ ſolutionem obtinuerit ......„.

83. " Clericus vero, qui nefandæ fraudis & USURPATIONIS „ hujuſmodi fabricator ſeu conſentiens fuerit, eiſdem pœnis ſubjaceat, nec „ non etc. „.

84. Ex his omnibus & ſingulis adductus ſane eſt BENEDICTUS XIV *in Conſtitut.* 90 data ad Epiſcopos Germaniæ, quæ in tomo 1 Bullarii hujus Pontificis extat *pag.* 308 - - 310 *edit. Rom.*, ut " ſecularizationem aliquot „ Eccleſiarum Germaniæ, aut earumdem REDITUUM IMMINUTIONEM „ a quibuſdam propoſitam reprobaret, & nunquam tolerandam ediceret „.

85. Scilicet *ad rerum in Germania ſtatum componendum, pacemque in ea ſtabiliendam* nonnulli hanc rem moliebantur. Et præterea " non deſunt (ait num. 3) „ catholicis Principibus laxioris conſcientiæ Theologi, & ASSEN-„ TATORES, qui ad eorum aures inſuſurrare non dubitant, fieri quidem „ non poſſe, ut eccleſiaſtica bona in ſecularem ſtatum redigantur; poſſe „ tamen EA MINUI; tum propter illorum abuſum, tum propter immo-„ deratum luxum ......„.

86. " Nos (pergit) .... haud prætermiſimus ſententiam adeo PER-„ NICIOSAM refutare atque diluere ......: neque ob unius vel alterius „ ABUSUM generale aliquid ſtatui debere, quo Eccleſia vetuſtiſſimis „ juribus (Principatus adnexi epiſcopatui) exuatur, quove ſucceſſoribus in „ perpetuum adimatur facultas ejuſmodi bonis utendi in Eccleſiæ emolumen-„ tum, & juxta laudabilem piamque majorum inſtitutionem „.

87. Præter hæc dixerat Pontifex num 1, " ſe pro viribus enixe cura-„ turum, ut omnia & ſingula Eccleſiarum Germaniæ PRINCIPATUS, jura, „ JURISDICTIONES, HONORES, bona .... integra atque „ intacta permaneant; neque unquam conceſſurum, aut aſſenſu comprobatu-„ rum, adverſum hiſce quidpiam fieri, ulloque modo attentari; cum omnino „ parati ſimus (ait) SANGUINEM potius noſtrum omnem effundere,

„ quam

„ quam pati, ut Ecclesiæ jura ac libertas violentur, & conscientiæ nostræ „ MACULA per ejusmodi assensum afferatur „.

88. Ipse itaque Rom. Pontifex fassus est, nec sibi licere assensum dare, ut " Episcopatus, insignesque Abbatiæ, SECULARI PRINCIPATU cum eis „ conjuncto, præclarissimis juribus, spectabilibus honorificentiis spolientur; „ aut in profanos usus Ecclesiæ PATRIMONIA convertantur, aut IM- „ MINUANTUR illis OPES, quarum possessionem per non intermissam „ tot seculorum memoriam Episcopi Catholici integre sanćteque servarunt; „ atque ea bona, quæ Ecclesiis summa pietate ac liberalitate a Majoribus do- „ nata fuerant, per abusum maxime reprehendendum in sumptus & propria „ commoda usurpentur „.

89. " Curavimus (inquit) ut hæc ipsa Principibus sedulo inculcarentur „ ab Apostolicis Nunciis, qui apud illos sunt....... Testati sunt, sibi consilia „ hujusmodi haudquaquam probari „. Hæc ex laudatis BENEDICTI XIV litteris.

90. Discere ergo poterat noster ille, quid de ecclesiasticis juribus & reditibus christiana ferat doctrina, discere poterat a Conciliis, a Pontificibus, a Principibus ipsis; ne spernenda exponeret vera jura Principis, dum falsa & aliena ei asserere conatur.

91. Quodsi quem forte gravat Concilia & Ecclesiæ Pastores ac Patres audire; Ecclesiæ ipsius hostibus aurem saltem præbeat. Hieronymus SCHUARFF Jurisconsultus Witembergensis in Comitiis Spirensibus Lutheri patronus *Centur. I. Consil.* 48, *num.* 2 ita pronuntiat: " Invadens res Ecclesiarum com- „ mittit horrendum crimen SACRILEGII...... Sequitur quod PRIN- „ CIPES & aliæ Potestates seculares usurpantes & invadentes RES eccle- „ siarum ordinationi Dei resistunt „.

92. Joachimus MORLINUS Lutheri & Melanchtonis discipulus apud Casparum Alock *Tom.* 1, *Conf.* 35, *num.* 107, & apud Besoldum *in Docum. rediviv. Monast. Wirtemb. pag.* 21 *seq.* " Ecclesiis (ait) subtrahere bona, est opus „ Juliani..... Juxta effatum S. Augustini, NON remittitur peccatum, nisi „ restituatur ABLATUM, ut scribit LUTHER....... Docendi sunt „ MAGISTRATUS, nequaquam ipsis jus competere in bona ecclesiastica „.

93. WESSEMBECIUS Lutheranus apud Arnoldum *Hist. Eccles. & Hæres. lib.* 16, *cap.* 6, *num.* 2 ita scribit: " Ut in usum & fiscum (Principis) „ Ecclesiæ proventus convertantur, nulla ratione.... potest effici....... „ Nec possunt res Deo Ecclesiæque semel dicatæ profanari, vel in profanos „ usus redigi....... ne quidem propter abusum, cum potius in meliorem

„ tunc usum sint convertendæ . . . . Quodsi contra fiat, a SACRILEGIO „ & homicidio non multum id putatur abesse „.

94. Philippus MELANCHTON in Catechef. tit. de Red. Eccl. pag. 19 edit. Witemb. 1562 T. 1 Oper. Theol. “ Dominium (inquit) rerum (ecclesiasticarum) „ pertinet non ad Pontifices, aut PRINCIPES, aut populum, sed „ AD ECCLESIAM: hoc est, nec Episcopis, nec Principibus, nec po- „ pulo licet hos reditus transferre ad alios usus, quam ad conservationem mi- „ nisterii & studiorum. Hinc facile judicari potest multiplicia esse FURTA „ in hoc genere . . . . . . Sicut enim milites dividunt VESTES CHRISTI, & „ de eis sortiuntur; ita PRINCIPES & potentes partiuntur inter se Episco- „ patus & Sacerdotia neglecto ministerio & neglectis studiis „. In edit. Opp. Melancthonis Basileensi 1541. Adeas tomum tertium pag. 242 & seq.

95. LUTHERUS ipse *in Cap. 6 Amos Oper. Tom. 3 Edit. Jenens. p.* 529 sic de quibusdam Principibus ac Catholicis loquitur: “ Ita per omnia nostri „ hodie Principes eadem IMPIETATE laborant . . . . Misere dissipari „ Ecclesias sinunt, dum neque ipsi docent; nec qui doceant, alunt. Nam re- „ ditus, quos habent collegia Sacerdotum, quibus præsunt, fundi, ARCES, „ OPPIDA in hunc usum juvandæ Ecclesiæ a PIIS HOMINIBUS pri- „ mum eis donata sunt „.

96. Idem LUTHERUS *in Symposiacis edit. Aurifabr.* 1567 *pag.* 193 dixit: “ Experientia testatum facit, bonis ecclesiasticis potitos (LAICOS) deni- „ que ad MENDICITATEM redigi „. Burchardo Hundio Johann. Electoris Saxoniæ Consiliario familiare fuit hoc testimonium: “ Nos Nobiles BONA „ Monasteriorum equestribus nostris BONIS adjunximus. Jam vero MO- „ NASTERIORUM BONA DEVORARUNT NOSTRA eque- „ stria, & ita consumserunt, ut NEC ILLA, NEC HÆC amplius habeamus „.

97. Plures si cupis hostium Ecclesiæ Catholicæ sententias pro re, de qua nunc agitur, legas Opus *del Diritto libero della Chiesa* Auctore Thoma MAMACHIO *Tomo* 4 *pag.* 407 - - 420 *edit.* 1770.

98. Sed Dialogorum Scriptor cautiorem, credo, se præbuisset, si regulam illam Theologiæ Christianæ considerasset, quæ habet, hæreticum plerumque esse illum, qui adhæret propositioni ab Ecclesia damnatæ sub quacunque nota, sive tanquam hæreticæ, sive tanquam scandalosæ, vel falsæ, vel erroneæ, vel simili nota; hæreticum, inquam, plerumque esse ex hoc solum capite, quia dum hujusmodi propositioni assensum præbet, simul judicat ut plurimum, Ecclesiam in sua illa definitione errasse: quod utique hæresis est.

99. Nimirum, ut S.Thomas docet *Lect* 4 *in Caput XI Epistolæ I. ad Corinth. pag.* 74 *Tomi* 16 *Oper. Edit. Rom.* 1570: “ Pertinet aliquid ad disciplinam fidei „ du-

„ dupliciter. Uno modo directe: ſicuti articuli fidei, qui per ſe credendi pro-
„ ponuntur . . . . Quædam vero INDIRECTE pertinent ad fidei di-
„ ſciplinam, in quantum . . . . ex negatione eorum ſequitur aliquid con-
„ trarium fidei: ſicut ſi negetur Iſaac fuiſſe filium Abrahæ, ſequitur aliquid
„ contrarium fidei, ſcilicet ſacram Scripturam continere aliquid falſi . . . .
„ Sic igitur PERTINACIA, qua aliquis contemnit in his, quæ ſunt fidei
„ directe vel INDIRECTE, ſubire judicium Eccleſiæ, FACIT HO-
„ MINEM HÆRETICUM „.

100. Hoc eodem S. Thomæ loco recitato, ſubdit doctiſſimus ille ac vere chriſtianus Theologus MERBESIUS *Summ. Chriſtian.* prima ſecundæ q. 55, Concl. 2, pag. 164 tomi 1 Edit. Pariſ. " Ergo perſonæ poſſunt eſſe hæreticæ
„ non ſolum repugnando iis, quæ directe pertinent ad fidem, verum etiam iis,
„ quæ INDIRECTE pertinent ad eandem fidem, ſi nimirum in iis, quæ
„ utroque illo modo ſpectant ad fidem, ECCLESIÆ judicium ſubire renuant „.

101. Poſitæ regulæ certe innixus MARTINUS V. in Conſtit. *Inter cunctas*, de qua *num.* 50 - - 52 verba fecimus, edixit, ut " judicarentur tanquam HÆRETICI, & velut HÆRETICI ſeculari Curiæ relinquerentur
„ tur *ii*, *qui* articulos WICLEFI, Huſſi & Hieronymi Pragenſis, per CON-
„ STANTIENSEM Synodum damnatos tenere, credere, & dogmatizare
„ præſumpſiſſent „; in quo nullam fecit diſtinctionem inter Defenſores Articulorum, qui hæretici, aut qui ſcandaloſi, vel erronei eſſent: immo ſingulos paribus *interrogatoriis* ſupponi voluit.

102. Regula autem modo poſita tunc maxime evidens cunctis eſt, quando de præceptis MORUM agitur. *ECCLESIA enim in MORUM doctrina eorum, qui ad ſalutem neceſſarii ſunt, errare non poteſt;* ut bene ait Melchior CANO. Atqui, ubi quæritur, liceatne PRINCIPI temporalia Eccleſiarum bona tollere aut MINUERE, agitur de articulo MORUM gravi, adeoque ad ſalutem neceſſario. Ergo hæreticus eſt ille, qui Eccleſiæ articulum hunc definienti non acquieſcit: judicat enim illam erraſſe in ea re, in qua vi divinarum promiſſionum errare non poteſt; prout diſcere licebit ex eodem CANO *de Loc. Theolog. Lib.* 5, *Cap.* 5, *q.* 5, *Concl.* 1, *pag.* 168 *Edit. Patav.* 1727. Eſt autem id Catholicis omnibus compertum, ut non ſit neceſſe in hoc confirmando morari diutius.

103. Quacunque igitur ſub nota memoratos WICLEFI errores CONSTANTIENSE Concilium damnaverit; ille notam HÆRESIS ac damnationem non effugiet, qui illis poſt ſolemne Eccleſiæ judicium adhærere auſus fuerit CUM PERTINACIA.

104.

104. Hæc pauca obiter dicenda fuerunt, ut Catholicis minus peritis consuleremus, qui in libellum Dialogorum forte incidissent; ne incauti deciperentur. Redeo nunc ad historiam errorum circa dominium fundorum ac redituum Ecclesiæ. Dicendum autem de iis est, quæ in causa HUSSITARUM post Constantiense Concilium acta sunt.

XI. *HUSSITÆ mitiores seu Pragenses Calixtini, & Thaboritæ.*

Prima Gesta in Concilio BASILEENSI cum Pragensibus, & Thaboritis.

105. Hussitæ, qui *Thaboritæ* nominati sunt a civitate *Thabor* in Bohemia, immo & Pragenses ipsi, qui mitiores fuere Hussitæ, & sunt *Calixtini* appellati, sententiæ Catholicorum, & Ecclesiæ in Constantiensi Concilio congregatæ definitioni non acquieverunt, sed anno 1421 Capitanei, Consules, totaque communitas Civitatis Pragensis conjurarunt tum de tribus aliis articulis propugnandis, tum de hoc, qui ad nostram rem pertinet, defendendo: " Quod „ dominium seculare super divitiis & bonis temporalibus, quod contra præ„ ceptum Christi Clerus occupat, in præjudicium sui officii, & damnum bra„ chii secularis ab ipso auferatur, & ipse Clerus ad regulam evangelicam & „ vitam apostolicam, quam Christus vixit cum suis Apostolis, reducatur„.

106. Et de hoc articulo simul & de reliquis anno 1433 in Concilio BASILEENSI latissime disputatum est. Vid. Histor. Eccles. Natalis ALEXANDRI *Sec.* 15 & 16 *Cap.* 2, *Art.* 1, §. 2, *num.* 16.

107. In ea Synodo adversus illum articulum Bohemis per triduum responsionem fecit Joannes de POLEMAR Archidiaconus Barcinonensis, Causarum sacri Palatii Auditor: cujus Orationem legere potes post Acta Concilii Basileensis in *Tomo* 17 *Concilior. Edit. Veneto-Labbeanæ col.* 1207 - - 1269. Inscripta est: " Joannis etc. Oratio, qua in Concilio Basileensi anno 1433 „ per dies tres refutavit quartum articulum Bohemorum de civili dominio „ Clericorum, quem proposuit per triduum Petrus RAYNE Anglus„; (alibi in eodem tomo non semel legitur *Payne*, sed mendum est).

108. Ad ea, quæ duobus præcedentibus annis 1431, 1432 acta fuerant inter Catholicos & Bohemos, spectant Epistolæ & alia, quæ sunt in eodem Conciliorum tomo col. 443, 807 - - 811, 242 - - 246, 612 - - 615, 637 - - 639, 779, 798 - - 804, 686 - - 705, 1355 - - 1366.

109. Eum articulum sic Petrus RAYNE proposuerat, prout videre licet in Oratione POLEMARII tom. 17 cit. col. 1217: " Secularis possessio, sicut „ & civile dominium, jure divino & humano Doctorum sanctorum sententiis „ & ratione efficaci tempore legis gratiæ prohibetur Clero Christi „.

110. Deinde vero teste eodem Polemar. col. 1235 *tom. cit. Conc.* Bohemi " in schedula ultimo data dixerunt, quod usus bonorum temporalium est ipsi „ Clero licitus, resecata omni SUPERFLUITATE & abundantia vitiosa „.

111. Tandem " cum constrictus a me (inquit idem Joannes de Polemar col. 1255 ibid.) „ pridem rationibus esset (Petrus RAYNE); concessit civile „ dominium in Clero non esse prohibitum materialiter, sed formaliter „; hoc est, prout postea videbimus, si hujusmodi dominium intelligatur, quod legibus sive honestatis & æquitatis, sive justitiæ non sit adstrictum.

112. Joannes autem de POLEMAR in oratione memorata *col.* 1219, *tom. cit.* statuit, " quod Clerici non religiosi . . . . licite possunt habere „ & possidere quæcumque bona temporalia, hæreditates paternas *etc.* Et „ quod Ecclesia potest licite habere & possidere bona temporalia . . . . . ., „ domos, prædia, villas, oppida, castra, civitates, & in eis habere privatum „ & civile dominium „. Ista iterum afferenda sunt *num.* 132 - - - 135.

113. Pergit deinde POLEMARIUS *col.* 1238 sic differens: " Cum au„ tem schedula ultimo data dicit: " Dominium civile ipsi Clero Christi non „ congruit, aut convenit, sed nec licet ipsi in persona propria civiliter do„ minari; si intendit quod Clericus in persona propria non debet judicium „ sanguinis exercere; fateor . . . . . .: tale tamen judicium per laicos officiales „ faciet exercere, prout dicit Hugo etc. „. *Est Hugo Victorinus de Sacram. Lib.* 2, *Par.* 2, *Cap.* 7, *in Tom.* 3 *Oper. edit. Ven.* 1588 *fol.* 277.

114. Alii errori patrocinati sunt Bohemi in Synodo BASILEENSI; cui item errori occurrendum fuit per Polemarium. Hunc audiamus *col.* 1240 *ejusdem tomi* in laudata oratione: " Jam nil restat ex dictis ex adverso (a Bohemis), „ nisi finis schedulæ ultimo datæ, ubi sic habetur; insuper circa „ prædictum punctum tenemus, quod IN TANTUM POTEST INIQUITAS „ REGNARE IN CLERO, quod IN DEFECTU spiritualis PRÆPOSITI „ liceret brachio seculari auferre bona temporalia a viris ecclesiasticis habi„ tualiter DELINQUENTIBUS „.

115. Videamus quibus momentis assertionem suam Bohemi fulciverint. Dicebat itaque Petrus RAYNE; sicuti in POLEMARII oratione *col.* 1263 - - 1269 *tomi ejusd.* videre licet: " Reges veteris Testamenti auferebant „ bona temporalia ad NUTUM DIVINUM ab ecclesiasticis delinquen„ tibus,

„ tibus, igitur & reges novi Teſtamenti poſſunt ſimiliter facere AD NU-
„ TUM DIVINUM, habitualiter delinquentibus Sacerdotibus novæ legis„.
Unuſquiſque videt argumentum riſu excipiendum.

116. Tum proferebat celebre caput, *Si tributum* XI quæſt. 1, quod ſumptum ex Ambroſio eſt. *Si tributum petit* etc. *Non dono* etc.

117. Inter multa alia hoc etiam Petrus RAYNE dixit: " Haud rectificatio facillima Clericorum (ſunt verba ex oratione POLEMARII) eſſet
„ per ſubtractionem temporalium; & medicina debet dari, per quam aptius
„ ſanetur infirmus . . . . „.

118. " Poſt hæc ad rationes meas (ait POLEMAR) nititur (Petrus
„ Rayne) reſpondere . . . .: auctoritates (inquit RAYNE) per me
„ (Polemarium) introductæ loquuntur de Clericis NON DELINQUEN-
„ TIBUS habitualiter„.

119. Interim ex his, & maxime ex *ſuper. num.* 114 vides vel ex HUSSITARUM ſententia (quam tamen ECCLESIA damnavit), tunc tantum eccleſiaſticos viros privari bonis temporalibus poſſe, quando id ipſi ſuis vitiis promeriti fuerint. Hoc jam monuimus contra nuperum quemdam Scriptorem *num.* 74 *ſeq.*

120. Reſponderat autem ſuperiori die POLEMARIUS, ac poſitionem RAYNI confutaverat; etſi id & hoc loco faciat. Demus hic pauca ex illis, quæ *col.* 1249 - - 1252 extant. " Quomodo per ſeculare brachium (ait) bona
„ a viris eccleſiaſticis poſſunt auferri, etiamſi fuerint DELINQUENTES?
„ Talis aſſertio praxi & doctrinæ CHRISTI manifeſte contradicit . . . . . .
„ Sacerdotibus Synagogæ emolumenta, aut honorem, aut obedientiam a po-
„ pulo ſubtrahi Chriſtus non conſuluit; immo eis præſtari & exhiberi man-
„ davit . . . . . „.

121. " Decem leproſis ab eo mundatis dixit: *Ite, oſtendite vos Sacerdotibus* . . . . Denuo cum Sacerdotum INCORRIGIBILEM conditionem
„ oſtendiſſet . . . . . .; dixit tamen . . . . . .: *Omnia quæcumque dixerint vobis,*
„ *ſervate & facite*„.

122. Legas ibidem alia prolixe dicta, ſed validiora: ex quibus hæc attuliſſe mihi ſatis fuerit: " Cum res quæ templo DEI offeruntur, *moriantur*
„ mundo, prout lex Dei habet Levitici ultimo; & efficiantur SANCTA
„ Sanctorum, ut ibidem: quoniam Domini DEI SUNT, cujus procuratores
„ eccleſiaſtici ſunt: PROPTER CULPAS PROCURATORUM res
„ Domini uſurpare ratio nulla conſentit, ſed cum alienæ rei uſurpatio fur-
„ tum ſit . . . . . .; res Eccleſiæ uſurpare SACRILEGIUM eſt„.

123. Producit deinde POLEMARIUS ſententias Patrum, & illud vulgatum Symmachi 12, *q.* 2 *can.* 21; quibus SACRILEGII CRIMEN proclamatur contra invadentes bona Eccleſiæ, etiam PRINCIPES.

124. " Sed adverſus hæc forſitan (pergit Joannes de POLEMAR) dia-„ bolica tentatio ſuggeret: Hoc verum, cum Sacerdotes bene ipſis rebus Ec-„ cleſiæ utebantur; ſecus ubi ex ipſis rebus eccleſiaſticis male vivunt....... „ Sed Auguſtinus *can.* 13, *q.* 5.„. Forte aliquis hoc ſecum cogitat & dicit: Multi ſunt chriſtiani divites, avari, cupidi: non habebo peccatum, SI SUUM illis abſtulero, & PAUPERIBUS dedero: inde enim illi nihil boni agunt. Mercedem habere potero, ſi ego ELEEMOSYNAS dedero. SED hujuſmodi cogitatio DIABOLI calliditate ſuggeritur. Nam etiamſi TOTUM tribuat pauperibus, quod abſtulerit, ADDIT potius PECCATUM quam minuit.

125. *Et idem Auguſtinus ea cauſa & quæſtione:* Neque enim ſi agris inique ac perperam invaſis ita quiſque utatur, ut ex eorum fructibus largas eleemoſynas faciat, ideo RAPINAM juſtificat etc.

126. " Propellanda eſt utique (colligit POLEMAR) talis aſſertio, „ quod propter Clericorum VITIA licitum laicis ſit ad Chriſti patrimonium „ manus apponere. Et facile poſſet præbere aditum ad ſimile aſſerendum de „ REGIBUS, PRINCIPIBUS & aliis dominis temporalibus. NEC „ defuere qui hoc ſimili modo aſſerere jam præſumpſerint: quod eſſe fomi-„ tem ſcandalorum & ſeditionum, & ſubverſionis totius humanæ POLITIÆ „ cunctis intellectu vigentibus palam eſt„. Hæc pauca ſpeciminis cujuſdam loco decerpſiſſe in utramque partem ex laudata POLEMARII fuſiſſima Oratione ſatis fuerit.

127. Non multus tamen (ut fere accidit, ubi de contumacibus ad ſanitatem reducendis agitur) ex habita in BASILEENSI Concilio inter Catholicos & HUSSITAS diſputatione fructus enatus eſt. Interim " Pragenſis Aca-„ demiæ Theologi (ait Natalis ALEXANDER Hiſt. Eccl. Sec. 15 & 16 Cap. 2, Art. 1, § 4, num. 3) „ a Bohemiæ Baronibus rogati, ut ſuam de „ quatuor articulis ſententiam aperirent, ſchedulam Oratoribus Concilii por-„ rexerunt (qui in Bohemiam a Baſileenſi Concilio, poſtquam in eodem hæc cauſa fruſtra agitata fuerat, miſſi erant), „ eorum explicationem continen-„ tem .....„.

128. " De bonis Eccleſiæ (Theologi illi) dixerunt: Quia non debent „ ſeculares, vel alii bona eccleſiaſtica (quia ſunt communia, & quia ſunt Pa-„ trimonium CRUCIFIXI, ejus Eccleſiæ, & pauperum) ſibi appropriare, „ quoniam SACRILEGIUM ESSET„.

129. " Quia tamen (pergunt Theologi in sua schedula) „ pro opposito „ quasi semper objicitur, quod talia bona sint superflua, ad hoc dixerunt: Si „ sunt superflua, tunc illi, qui habent super ea potestatem DISPENSA- „ TORIAM, convertant in usus pios & communes. Ad nos talia non per- „ tinet definire. At civiliter non debere super his dominari dixerunt, quia „ dominium civile (ut videtur) præsupponit pro subjecto bona temporalia „ per modum proprietatis possessa „.

XII. *Gesta Basileensia postrema de HUSSITIS mitioribus; & Compactata PRAGENSIA; quorum Annus firmius stabilitur.*

130. Reversi eodem anno 1433 ad Synodum Basileensem Oratores Bohemorum iterum " quatuor articulos (ait ALEXANDER num. 4, §. ejusdem 4) „ Patribus obtulerunt, rogaruntque, ut intuitu ecclesiasticæ unitatis „ ac pacis ipsos libere doceri, & irrevocabiliter observari in Regno Bohemiæ „ & Marchionatu Moraviæ, locisque illis adhærentibus permitterent „.

131. Erat autem pro re nostra articulus IV, " Ut non liceret Clero tem- „ pore legis gratiæ super bonis temporalibus SECULARITER dominari „. Eos quatuor articulos exhibet Appendix Concilii Basileensis *col.* 586, *seq. tomi* 17 Concilior. Edit. Venet. Nicolai Coleti.

132. " Secundum hæc (pergo cum P. ALEXANDRO ibid. num. 5) „ Basilea Pragam cum tribus Oratoribus Bohemorum reversi sunt quatuor Sy- „ nodi Legati, qui & antea in Bohemiam missi fuerunt...... LEGATI in pu- „ blico Nobilium & plebejorum conventu .... articulum de seculari „ dominio Clericorum in bona temporalia sic explicuerunt: *Meminimus, quod* „ *dum in sacro Concilio super hoc disputatio ageretur publica & solemnis, ille qui ad* „ *disputandum per sacrum Concilium extitit deputatus, duas conclusiones posuit sub his* „ *verbis: Prima, quod Clerici non Religiosi ...... licite possunt habere & possidere* „ *quæcunque bona temporalia, hæreditates paternas ....* „.

133. " *Secunda, quod Ecclesia potest licite habere & possidere bona temporalia* „ ..... *domos, prædia, villas, oppida, castra, civitates, & in eis habere privatum* „ *& civile dominium* „.

134. " Ille siquidem ex vestris Ambasiatoribus, qui disputabat, CON- „ CESSIT easdem, dicens: Illas sensui sui articuli bene intellecto non con- „ tradicere, cum ipse articulum suum intellexerit de dominio civili formaliter

„ in-

„ intellecto. Ex quo & aliis ſatis poteſt intelligi, quod verba, *ſeculariter domi-*
„ *nari*, in præinſerto articulo poſita ad aliquem ſpecialem dominandi modum
„ vel uſum videantur referri.

135. " Sed quoniam doctrina Eccleſiæ non eſt verbis ambiguis pertra-
„ ctanda, ſed plane; propterea illud quod ſecundum legem Dei, & ſanctorum
„ documenta Doctorum catholice tenendum eſt, duximus exprimendum, vi-
„ delicet: præmiſſas duas concluſiones eſſe veras: quodque eccleſiaſtici viri
„ bona Eccleſiæ, quorum ſunt adminiſtratores, debent fideliter adminiſtrare,
„ juxta SS. Patrum ſalubria inſtituta. Ipſaque bona Eccleſiæ ab aliis injuſte
„ non debent detineri vel occupari „.

136. Declarationem iſtam Comitia ſuſcepere. Et hanc reducendæ unitatis formam *Compactata* Bohemi vocavere: " hujuſque obtentu nominis (ait ALEXANDER) „ & tutati aliquando ſe ſunt, & Catholicos oppugnare ten-
„ tarunt „ (cujus rei ſpecimen aliquod habes in tomo 17 cit. Concilior. col. 211 -- 216, ac 610 ſeq.).

137. " Concepta ſunt Pragæ anno 1433 die ultima Novembris, & poſt-
„ modum Iglaviæ (oppidi Moraviæ) conſummata ac firmata anno 1436 „.
Hæc & plura Natalis ALEXANDER ſcribit §. 4 indicato *de Geſtis a Synodo Baſileenſi in cauſa Bohemorum, & de Compactatis Pragenſibus.*

138. Ad tractatus & alia, quæ ab anno 1433 ad 1436 acciderunt, pertinent Epiſtolæ, quæ in tomo 17 Concilior. cit. habentur col. 610, 761 ſeq., 776 -- 778, 804 -- 806, 811 -- 814.

139. Sed præcipua animadverſione dignum eſt conciliabulum BOHEMICUM habitum anno poſt concepta Pragæ compactata; nempe 1434, quod Jo. Dominicus MANSIUS e *Vindebonenſi Cæſareæ Bibliothecæ manuſcripto Codice* primus vulgavit in tomo 6 Supplem. Concilior. col. 553 -- 560.

140. Cujus conciliabuli exordium ſic ſe habet: *Incipiunt articuli Synodi generalis Regni Bohemiæ celebratæ Anno* 1434 *in feſto S. Jacobi Apoſtoli in civitate inclita Pragenſi.* Inter hos Articulos locum habent & celebres illi quatuor, de quibus in Baſileenſi Concilio diſputatum fuerat anno ſuperiore, & de quibus conventum erat in *compactatis.*

141. Sed eos ſuo modo, adhuc poſt concepta Compactata, Bohemi ponunt. Nam quartus de temporalibus Eccleſiæ bonis ita ſe habet, ſicut a Pragenſibus in Baſileenſi fuerat propoſitus: " Non licet Clero tempore legis
„ gratiæ ſuper bonis temporalibus ſeculariter dominari „. vid. ſupr. num. 131.

142. " Legi possunt Compactata (pergit ALEXANDER loc. annotat.) „ apud Joannem Cochlæum Lib. 7 Historiæ Hussitarum. De vocatione Bo- „ hemorum ad Concilium Basileense, & de Tractatibus cum ipsis initis extat „ etiam historica narratio, quæ ab Ænea Sylvio (postea Pio II Pont. Rom.) „ scripta videtur, edita ab Orthuino Gratio in *Fasciculo Rerum expetendarum*, & „ Historiæ Bohemicæ ejusdem Æneæ Sylvii, editionis Freheri post cap. 50 „ inserta, ac tandem relata in Tomum 12 Conciliorum Edition. Parisien. anni „ 1672 „. Hæc ALEXANDER. Apud GRATIUM ORTHUINUM historica illa NARRATIO extat in tomo 1 Fasciculi pag. 311 etc. edit. Londin. 1690.

143. In editione vero Concilior. Veneto - Labbeana NARRATIO ea historica locum accepit in tomo 17 sæpius memorato col. 197 - - 212. Et adnotatum est in ora paginæ: " Inserta est Historiæ Bohemicæ ÆNEÆ Sylvii „ post cap. 50 in editione Freherica; ex rerum expetendarum fasciculo, quem „ M. Ortwinus GRATIUS non satis fideliter & prudenter congessit „. Consentiunt ista cum adnotatis a Natali ALEXANDRO.

144. Habes autem ab hujus Tomi Conciliorum col. 205 ad 212 partem *Compactatorum* præcipuam, ac imprimis declarationem quatuor Articulorum integram. Sed genuinum, integrum ac purum *compactatorum* exemplar his temporibus inter Concilia retulit Joannes Dominicus MANSIUS; prout *num.* 146 *& seq.* dicendum a nobis est.

145. Quod Annum attinet initæ pacis inter Catholicos & BOHEMOS; in ea historica NARRATIONE non Annus 1436 ponitur, ut apud ALEXANDRUM, sed 1438.

Verum ex Epistola, quam in eo 17 Tomo Concilior. habemus col. 778, exploratum fit, vere pacem initam anno 1436. Nam per eam epistolam Legati Concilii Basileensis ad Bohemos Concilio nunciant optatam pacem tandem esse coalitam: & data est Epistola *Iglaviæ, quinto mensis Julii, anno Domini* 1436.

" Hodie (ajunt Legati) in publico foro hujus civitatis (Iglaviæ) nu- „ merosa populi multitudine assistente, coram nobis Tuæ Beatitudinis nunciis „ gubernatur, Barones, Nobiles civitatum, Ambasiatores regni Bohemiæ, „ primum nobis COMPACTATA obtulerunt, litteris authenticis com- „ munita. Dein pro ipsorum executione de tuenda, observanda, & defen- „ denda unitate ecclesiastica & pace litteras alias . . . . . Post hæc quatuor „ ad hoc deputati cum pleno & authentico mandato, nomine omnium tam „ Ecclesiasticorum, quam Secularium, reverentiam & obedientiam canoni- „ cam præstiterunt. Nos quoque etc. „.

146.

146. Sed omnem difficultatem tollit genuinum ac purum *Compactatorum* exemplar, quod ſub anno 1443 Joannes Dominicus MANSI vulgavit in tomo ſexto Supplementi ad Concilia Veneto-Labbeana col. 665 -- 670: ibi enim ſecundum ea, quæ ex Natali ALEXANDRO retulimus, COMPACTATA dicuntur inita " in Civitate Pragenſi, in Collegio, quod dicitur „ Collegium Caroli, anno Domini 1433 menſis Novembris die ultima; *firmata* „ *vero* una cum Declarationibus novis menſe Martio IGLAVIÆ 1436 „.

147. " Hæc Compactata (ait MANSIUS in Admonitione) „ quod „ a LABBEO ſive omiſſa ſint, ſive ex alio quam ex tabulis publicis data, & „ hinc inde reſecta, integra huc transferre ex codice Juris Gentium LEIB- „ NITII in Mantiſſa num. 18 & 25 cenſui opportunum „.

148. Ex hac tandem mea hiſtorica narratione ERRORUM circa reditus & fundos Eccleſiarum, & ex repetitis judiciis ECCLESIÆ adverſus eos errores judicet Lector ſanus ac juſtitiæ & veritatis amans, an Imperanti liceat reditus, prædia ac fundos Eccleſiarum a Clericis transferre ad Laicos, vel fiſco regio addicere. Simul vero judicet de minutis iis libris, quos initio hujus Capitis indicabam.



CAPUT XVI.

Adverſus ERRORES de Reditibus & Fundis Eccleſiarum Continuatio: ubi explicatur, quo ſenſu Bona temporalia Eccleſiarum dicantur CONSECRATA; *ſeu, in quo poſita ſit Bonorum iſtorum* *CONSECRATIO.*

1. CUM proprietatem bonorum temporalium *Cap. XIV* abunde vindicaverimus Eccleſiis ſingulis Regnorum, eandemque vindicaturi ſimus amplius *Cap. XVII*; nihil opus eſt ea conſiderare velut conſecrata Deo. Sive enim ea conſecrata dixeris cum Patribus, Conciliis, & Scriptoribus omnium ſeculorum, ſive nomen hoc conſecrationis neglexeris; conſtans ſemper erit, reditus ac fundos Eccleſiarum non magis poſſe a Principe juſte tolli, quam reditus ac fundos privatæ cujuſcunque LAICÆ familiæ.

2. Ita quidem ſe res habet. Sed quoniam imperiti ſimul & audaces viri non deſunt, qui nomen hoc *conſecrationis* rident, quando ſermo eſt de temporalibus Eccleſiarum bonis; juvabit eos docere, quid intelligamus, dum cum univerſa antiquitate dicimus, res temporales Eccleſiæ eſſe res Deo conſecratas.

3. Ex qua quidem declaratione hunc quoque fructum capiemus, ut & nos religiosiores fiamus in redituum ecclesiasticorum usu, & PRINCIPES terræ cognoscant, quo præcipuo fundamento quave causa Majores eorum permoti fuerint ad immunitatem eam concedendam, qua olim ecclesiastica temporalia bona universim potita sunt.

4. Sanctus THOMAS 2, 2, *q.* 99, *art.* 3 tria distinguit rerum sacrarum genera. In primo ac summo genere ponit *Sacramenta*, *quibus homo sanctificatur.* "Post Sacramenta autem (ait) SECUNDUM locum tenent vasa „ consecrata ad Sacramentorum susceptionem; & ipsæ imagines sacræ, & „ reliquiæ Sanctorum; & ea quæ pertinent ad ornatum Ecclesiæ & ministro- „ rum: DEINDE ea quæ sunt deputata ad sustentationem ministrorum, „ sive sint mobilia, sive IMMOBILIA. Quicunque autem (concludit S. „ Thomas) contra quodcunque prædictorum peccat, crimen SACRILEGII „ incurrit „.

5. Jam vero tertium genus rerum sacrarum, id est, bona mobilia, & immobilia Ecclesiarum eam ob causam appellantur ac censentur consecrata, quia sunt destinata ad victum & cultum ministrorum pro gradu ac dignitate cujusque, & pro varia etiam cujusque necessitate; ad ea præterea paranda, quæ necessaria sunt ad animum excolendum per studia litterarum in utilitatem ipsorum & Ecclesiæ, & in profectum fidelium; ad sarta tecta Ecclesiarum conservanda, & ad earum ornatum; ad ea comparanda, quæ pro divinis officiis rite ac decore peragendis sunt necessaria pro ratione dierum, locorum, ac Ecclesiarum; ad pietatis & charitatis officia exercenda; ad salaria & stipendia persolvenda ministris humilioribus; ad defendendas ac vindicandas res & jura Ecclesiarum; & ad alia plurima, quæ perpetuo circumstant ac onerant præsertim familias ecclesiasticas, seu Monasteria, & Congregationes ecclesiasticorum virorum.

6. Hoc igitur modo cum ad cultum Dei proxime referantur bona Ecclesiarum mobilia & immobilia; ideo etiam appellantur ac censentur consecrata. Scilicet, ut ait S. THOMAS q. cit. art. 1, "sacrum dicitur ali- „ quid ex eo quod ad divinum cultum ordinatur. Sicut enim ex eo quod „ aliquid ordinatur in finem bonum; sortitur rationem boni; ita etiam ex „ hoc quod aliquid deputatur ad cultum DEI, efficitur quoddam divinum; „ & sic ei quædam reverentia debetur, quæ refertur in Deum. Et ideo, „ omne illud quod ad irreverentiam rerum sacrarum pertinet, ad injuriam „ Dei pertinet, & habet sacrilegii rationem „.

7. Non postulabit, credo, quispiam, ut demonstrem, bona temporalia Ecclesiarum proxime referri ad cultum divinum, ex hoc quod pro mi-

nistris,

nistris, pro omni Ecclesiarum supellectili, & pro ceteris ecclesiasticis necessitatibus sint impendenda. Non, inquam, hoc puto quempiam postulaturum. Nam quid esse potest magis cum divino cultu conjunctum, quam divinarum rerum ministri, quam sacra ministerii supellex, quam ecclesiastica cetera?

8. Recte ergo Joannes GERSON *de Potest. Ecclesiast. Considerat.* 4, *col.* 232, *tomi* 2, *Oper. edit. Dupinii*, CONSECRATIONEM bonorum temporalium Ecclesiæ sic describebat: " Ecclesiasticorum bona temporalia „ propter dedicationem & applicationem AD EOS QUI MINISTRANT „ ECCLESIÆ, sicut panes propositionis, primitiæ & decimæ, vasa insuper „ templi, vestes & similia dicebantur in lege veteri SACRA vel SANCTA, „ sic & nova lex hoc retinet „.

9. Quam ipsam rem non sine quadam emphasi expresserat Seculo quinto Julianus POMERIUS de Vita Contemplativ. Lib. 2, Cap. 16, num. 4. " Possessiones, quas oblatas a populo suscipiunt Sacerdotes, non sunt inter „ res mundi deputari credendæ, sed DEI. Quoniam si vestes, ac vasa & „ cetera, quæ in sacris usui ministrantibus erant, SANCTA vocabantur, „ nec in usus humanos revocari jam poterant, divinis semel ministeriis con„ secrata; quomodo non ea quæ conferuntur Ecclesiæ, SACRA credenda „ sunt; quibus . . . . . . sancte, ut Deo consecratis, utuntur ad necessaria „ Sacerdotes? „

10. Quid vero si notio ista consecrationis nec ipsum latuit Thomam HOBBESIUM, scribentem suum *Leviathan?* Cap. enim 35 libri istius, oppido tamen impii, scribit: " Populum suum Deus appellat gentem sanctam. *San*„ *ctum* enim significat, id quod DEI est jure speciali. DEI est omnis terra; „ sed non omnis terra *sancta* dicitur, sed ea sola quæ separatur & consecratur „ ad usum divinum specialiter „. Hæc ille pag. 191 edit. 1668.

11. Et clarius *in eod. Cap. pag.* 193 ad rem nostram omnino: " *Sanctificari* „ dicitur, quod dedicando vel consecrando servitio divino, sanctum factum „ est; ut septimus dies in præcepto Decalogi quarto; & ut electi in testa„ mento novo, quando prædititi spiritu pietatis, dicuntur *sanctificari. Sacrum* „ autem est, quod Deo ab hominibus datum & dedicatum, sive sanctum „ factum est, ita ut in solo cultu divino utendum sit; qualia sunt templa, „ aliæque domus orationis, una cum utensilibus, ministris, victimis & ob„ lationibus „.

12. Reditus igitur ac fundi Ecclesiarum dicuntur esse consecrati DEO, non ob ullam intrinsecam sanctitatem, unde interius mutati sint, neque ob aliquam consecrationis formulam, quæ fuerit super eos adhibita; sed quia

ab

ab uſu communi ad cultus divini uſum translati ſunt voluntate donatorum; ut in poſterum forent in uſus eorum quos DEUS ſibi fecit MINISTROS, & in uſum ſacri Miniſterii.

13. Quo magis miror imperitiam ſupra memorati Auctoris *d' Dialoghi de' Morti*, *qui pag.* 275 *edit. cit.* interrogat: *Ove mai ſi legge, che i beni dati agli Apoſtoli foſſero riputate coſe divine, o che cambiaſſero natura .....? Nell' atto di darſi non v' intervenne mai veruna ſagra cerimonia, che almeno in apparenza li faceſſe credere fuori di commercio.* Quæ eadem latius, ſed inſcite prorſus, verſaverat jam *pag.* 245 - - 248; ubi & id auſus eſt impetere quod Patres perpetuo tradiderunt, *che li beni acquiſtati dagli Eccleſiaſtici ſi debbano riputar coſe conſagrato a Dio, come* voti de' fedeli, prezzo de' peccati, e patrimonio de' poveri.

14. Sciat igitur, nos nunquam cogitaſſe, ullam fieri in temporalibus Eccleſiæ bonis intrinſecam mutationem, ſive per aliquam conſecrationis formulam, ſive alio modo. Non iſtis nos paſcimur imaginibus; ſed bona temporalia Eccleſiarum eo nomine cum Eccleſiæ Doctoribus appellamus conſecrata Deo, quod cultui divino ſint propria.

15. In quo Catholicis conſentientes habemus etiam HETERODOXOS, præter illum Thomam HOBBESIUM; & inter hos Gisbertum VOETIUM Politic. Eccleſ. Par. I, Lib. 4, Tract. 2 de Pecul. Eccl. ſeu de bonis etc. cap. 1, pag. 601 edit. Amſtelod. an. 1666. " Dicuntur (inquit) bona Dei & ,, patrimonium Chriſti, quia juxta Scripturam peculiari ratione Dei ſunt ,, propria (non tantum generali ratione, uti omnis plenitudo terræ eſt Dei) ,, ob ſpecialem uſum & finem. Dei enim cultui, & ſpirituali regno Chriſti in ,, terris promovendo dicata, appropriata & acquiſita ſunt etc. ,,. Adeas Auctorem *del Diritto Libero tom.* 4, *pag.* 418 *ſeq.*

16. Reditus ergo ac prædia Eccleſiarum appellantur *ſacra*, quoniam divinis miniſteriis & Miniſtrorum vitæ ſunt deſtinata, minime autem ob conſecrationem quampiam vel ob ſanctitatem eorum intrinſecam.

17. Quam quidem ſanctitatem intrinſecam neque ipſa Eccleſiæ ſacra verba bonis illis tribuerent, ſi forte per aliquam conſecrationis aut benedictionis formulam dedicarentur DEO; ſicuti eandem intrinſecam ſanctitatem nec ipſis Eccleſiis, vel vaſis ſacris aut veſtibus tribuunt; etſi iſtis ſpecialis conſecratio vel benedictio ab Eccleſia ſemper adhibetur. Eſt enim hoc proprium Sacramentorum ſolum, ut ſanctitatem intrinſecam operentur.

18. Hoc quod dico, præſtat paucis verbis explicare; ut diſcant imperiti, Eccleſiam, ubi *conſecrationis* verbum uſurpet, non ſemper intelligere intrinſecam mutationem & ſanctitatem ejus rei quæ conſecratur, multoque minus ejus rei, quæ nulla adhibita conſecrationis formula dedicatur DEO; ſicuti ac-

accidit in translatione bonorum temporalium ab usu communi ad cultus divini usum.

19. Explicat sanctus THOMAS 3 *part. q.* 83, *art.* 3 *ad* 2, cur Ecclesiæ & Altaria consecrentur: " Consecratur (inquit) Ecclesia tum ad repræ-
„ sentandam sanctificationem, quam Ecclesia consecuta est per passionem
„ Christi, tum etiam ad significandam sanctitatem, quæ requiritur in his qui
„ Sacramentum Eucharistiæ suscipere debent. Per altare autem significatur
„ ipse Christus: unde & consecratio altaris significat sanctitatem Christi „.

20. Et clarius in resp. ad 3: " Ecclesia, & altare, & alia hujusmodi
„ inanimata consecrantur, NON QUIA sint GRATIÆ susceptiva, sed
„ quia ex consecratione adipiscuntur quandam spiritualem virtutem, per
„ quam apta redduntur divino cultui, ut scilicet homines devotionem quan-
„ dam exinde percipiant, ut sint paratiores ad divina, nisi hoc propter irre-
„ verentiam impediatur ..... Et ideo propter virtutem, quæ ex consecra-
„ tione Ecclesiæ acquiritur, consecratio Ecclesiæ non iteratur „.

21. Ex qua S. THOMÆ doctrina BENEDICTUS XIV *de Sacrif. Miss. L.* 1, *Cap.* 1, *num.* 10 meritissimo refellit Joannem CALVINUM *Instit. Libr.* 3, *Cap.* 10, irridentem ritum consecrandi Ecclesias, parietes nimirum (inquiebat Calvinus) inanimes, qui ut gratiæ, ita etiam consecrationis recipiendæ non sunt apti. Reponit enim PONTIFEX, " Ecclesiam materia-
„ lem ideo consecrari, ut sanctificatio illa repræsentetur, quam Ecclesia for-
„ malis, seu cætus fidelium per passionem Christi consequutus est, ut docet
„ D. THOMAS 3 *part. q.* 83, *art.* 3 *ad* 2 „.

22. Generatim dicam, de omnibus benedictionibus illis ac consecrationibus, quas inter *Sacramentalia* recensemus, placere mihi doctrinam Thomæ de Vio Cardinalis CAJETANI in *Commentario in secundam secundæ sancti THOMÆ q.* 88, *art.* 11, quam Bartholomæus GAVANTUS adoptat in *Thes. sacr. Rit. Miss. Part.* 4, *tit.* 19, *num.* 1. Duplex ergo distinguitur Benedictionum & Consecrationum genus: unum earum, per quas sive res, sive personæ cultui divino destinantur; ut benedictiones aquæ, vestium sacerdotalium, mapparum Altaris, vasorum sacrorum, & similium: alterum earum, per quas Ecclesia solet alicui rei bene precari, seu per quas a Deo rebus vel personis divinum imploratur auxilium; uti sunt benedictiones agni paschalis, novorum fructuum, domus novæ, candelarum, novæ navis, & aliæ. Prima benedictio appellatur *constitutiva*, altera deprecativa seu *invocativa*.

23. Neutrum autem harum benedictionum genus vim habet conferendi rebus sanctitatem intrinsecam, seu rebus ipsis inhærentem, per quam natura istarum mutaretur. Professio ipsa monachalis, quæ tanto in pretio aliquando

eſt habita, ut ab aliquibus nominata ſit *Sacramentum*, & quæ jure merito inter ſolemnes conſecrationes numeratur; hæc ipſa, inquam, Profeſſio non aliud affert novum, niſi quod " per eam ſacris myſteriis viri religioſi initiantur, aut „ ſaltem devovent ſe ſacræ cuidam militiæ: ceterum NULLAM largitur „ ſanctitatem, niſi ratione devotionis & humilitatis voventium „: ait Laurentius BERTI *Theolog. Diſcipl. Lib.* 30, *cap.* 5 *in fin.*

24. Eadem eſt doctrina etiam Cardinalis CAJETANI *loco cit. paullo poſt initium.* Sed præſtat CAJETANUM audire de commemorata benedictionum diverſitate, & de virtute earum loquentem ibidem: " Benedictio- „ num (ait) duplex eſt genus. Nam quædam ſunt *invocativæ*, & quædam *con-* „ *ſtitutivæ.* Benedictiones *conſtitutivas* voco omnes, quibus ea, quæ benedi- „ cuntur, conſtituuntur in eſſe ſacro: & tales ſunt omnes benedictiones „ veſtium ſacerdotalium „.

25. " Benedictiones vero *invocativas* appello eas, quibus ea quæ bene- „ dicuntur, non propterea ſunt ſacra, ut ſunt benedictiones menſæ, & do- „ mus, & navis etc........ „.

26. " Ad diſcernendum autem has benedictiones ab illis, univerſaliter „ ducere videtur reſtrictio uſus ex vi benedictionis; hoc eſt, quod ex hoc, „ quod hoc eſt benedictum, non eſt amplius habile, etiamſi alienetur, niſi „ ad talem uſum procul dubio ſpiritualem „.

27. " Cum enim unumquodque ſit propter ſuum opus; conſequens „ eſt, quod res conſtituta per benedictionem in novo eſſe, ad correſpon- „ dentem uſum tali eſſe determinetur. Et hoc modo *Corporale*, quod ante „ benedictionem erat habile, ut eſſet ſudariolum etc., ex benedictione con- „ ſtituitur habile tantum ad Corporis Domini ſuſceptionem, & ſic de aliis „.

28. " ET PER oppoſitum domus, ſeu navis ad omnem uſum eſt ha- „ bilis poſt benedictionem, ad quem eſt habilis ante benedictionem...... „.

29. " Et bene nota quod dixi, *ex vi benedictionis;* quia ſi res quæ be- „ nedicitur, etiam ſine benedictione ex alia cauſa deputata eſſet tali uſui „ ſpirituali (uti fit quoad temporalia ECCLESIÆ bona); non haberet „ ſanctitatem ſuam ex vi benedictionis, ſed benedictio concurreret ibi ad „ bene eſſe. Et benedictio non eſſet *conſtitutiva*, ſed *invocativa:* QUIA „ nihil conſtituitur in aliquo eſſe per id, ſine quo habetur illud eſſe etc. „.

30. Ad hoc quod poſtremo loco adnotatum eſt a CAJETANO, advertant animum ii, qui in temporalibus Eccleſiarum bonis non aliam ob cauſam conſecrationem intelligere neſciunt, niſi quia nullus ſacer ac ſacerdotalis ritus tunc adhibetur, quando in poteſtatem traduntur Eccleſiarum.

Etenim

Etenim nulla facra ceremonia adhibita poteft adhuc res aliqua ab ufu communi ad cultum divinum transferri. Sed in explicatione incæpta progredior.

31. Sacræ imagines, quas merito appellamus *facras*, nulla ornantur interna fanctitate; fed eas *fanctas* dicimus ob refpectum ad Sanctos, quos repræfentant; uti ex Concilio TRIDENTINO difcimus *feff.* 25; quo loco docet, fanctis quidem imaginibus venerationem impertiendam, fed "non ,, quod credatur ineffe aliqua in iis divinitas, vel virtus, propter quam fint ,, colendæ; fed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, ,, quæ illæ repræfentant ,,. Adeas etiam Hiftor. Ecclef. Natalis ALEXANDRI ad Secul. VIII. *Diss.* 6, §. 7, & fi placet, Francifci VERONII *Regulam Fidei Catholicæ* Cap. 2, §. 8, opus fcilicet præftantiffimum a WALENBURGIIS Fratribus adeo probatum, ut illud propriis theologicis Tractatibus adjungendum exiftimaverint.

32. Cujufmodi fit veneratio illa, quæ facris imaginibus exhibetur, explicat fimiliter fanctus THOMAS 2, 2, *quæft.* 94, *art.* 2 *ad primum &* 3, *Part. quæft.* 25, *art.* 3 *in corp.*

33. Neque facræ Reliquiæ ullam infidentem habent fanctitatem; & eæ tamen meritiffimo appellantur *facræ* ob rationem feu refpectum ad Sanctum, cujus funt Reliquiæ. Quare VERONIUS *loc. cit.* §. 9 affentitur VASQUEZIO 3 *Part. difp.* 113, *cap.* 2 pronuncianti, " eodem prorfus modo de ,, Reliquiis, atque de imaginibus univerfim effe dicendum: eas videlicet fecundum fe honorari non poffe, fed folum conjuncta cogitatione cum eo ,, cujus reliquiæ funt; præfertim quia res inanimæ, quales funt Reliquiæ, fe- ,, cundum fe non funt capaces contumeliæ; ergo nec honoris ,,. Lege fis fanctumTHOMAM 3 part. q. 25 cit. art. 6 in corp., & in refponf. ad fecundum.

34. Approbat item VERONIUS hanc ejufdem VASQUEZII fententiam *cap.* 4: " Qui rofariis & aliis rebus Reliquias Chrifti aut Martyrum ,, tangunt, & fecum fervant, non debent exiftimare ex contactu illo vir- ,, tutem aliquam aut excellentiam in res ipfas ex Reliquiis derivari; fed inde ,, manere refpectum rationis ad ipfas Reliquias; ratione cujus memoriam ,, ipfius Chrifti, & Sanctorum in nobis excitant, & ad eorum venerationem ,, affectum movent ,,.

35. Generatim ergo hoc tenendum eft, imagines facras, facras Reliquias, fanctum Evangelii librum, & fimilia cetera, nullam fecum ferre intrinfecam fanctitatem; fed nominari facra & fancta ob eas res, quas nobis repræfentant, ac in memoriam revocant.

36. Et honorem quidem eis exhibemus tantummodo ratione eorum, quos repræsentant; seu, ut PONTIFICALE Romanum habet Part. 2, Tit. de Benedict. Imag.: " Coram imagine Apostolum vel Martyrem honora-
,, mus, atque (uti loquitur TRIDENTINUM loc. cit.) per imagines,
,, quas osculamur, & coram quibus caput aperimus & procumbimus, Chri-
,, stum adoramus, & Sanctos veneramur, quorum illæ similitudinem gerunt,,.

37. Dicam igitur cum Meldensi BOSSUETO *Exposition de la Doctrine de l'EGLISE* art. 5: " Non aliam imaginibus virtutem tribuimus præter
,, vim excitandi in nobis memoriam prototypi. Et huic fundamento inni-
,, titur honor, quem imaginibus præstamus ..... Omnes sciunt, ab Ecclesia
,, ante Crucem adorari eum, *qui peccata nostra pertulit super lignum* (1 Petr. 2);
,, &, si filii Ecclesiæ libro Evangelii caput inclinant; si assurgunt honoris
,, causa quoties ad eos defertur, & si illum reverenter osculantur; cunctos
,, hos honoris actus referri ad veritatem æternam (tout cet honneur se termine à la vérité éternelle) ,, quæ nobis proposita est in Evangelio ......,,.

38. " Pari autem ratione interpretari nos oportet honorem, quem Reliquiis exhibemus,,. Hæc BOSSUETUS. " Corpus illud Reliquiarum in-
,, sensibile (inquit sanctus THOMAS 3 part. q. 25, art. 6 cit. in resp. ad secundum) ,, non veneramur propter seipsum, sed propter animam, quæ
,, fuit ei unita, quæ nunc fruitur Deo; & propter Deum, cujus fuerunt mi-
,, nistri,,. Sed hæc explanent fusius alii.

39. Ea enim, quæ dixi, sufficient, credo; ad variam *consecrationis* notionem assequendam, & ut Auctor memoratus *Dialogorum* intelligat, non opus esse aliqua consecrationis formula, multoque minus opus esse sanctitate aliqua intrinseca, ut res aliqua merito dicatur sacra, vel consecrata Deo: sufficere scilicet, ad eam in rerum sacrarum numero computandam, si Deum, vel Sanctos, vel divina dona repræsentet, vel si divino cultui ac rebus sacris & Ministris Ecclesiæ sit addicta. Atque hoc nomine bona ecclesiastica temporalia dicimus & sacra & consecrata Deo.

40. Secundum quam notionem forte PAULUS APOSTOLUS munera a Philippensibus ad se Romæ in vinculis detentum missa, nominavit *odorem suavitatis, hostiam acceptam, placentem Deo:* Philipp. 4 ver. 18. Legere quoque potuit Auctor *Dialogorum* Caput 27 Levitici, unde in hac re profecisset multum.

CON-

CONSECTARIUM.

41. Ex eo autem, quod temporalia Ecclesiarum bona sunt res Dei & consecratæ Deo, recte Seculo quinto colligebat Julianus POMERIUS loc. cit., " Sacerdotes qui curant possessiones Ecclesiæ, etiam in hoc servire DEO: ,, quia si Dei sunt (ait) ea quæ conferuntur Ecclesiæ, DEI OPUS agit, ,, qui res Deo consecratas non alicujus cupiditatis, sed fidelissimæ dispensa- ,, tionis intentione non deserit ,,.

42. His etiam nostris eruditi Recentiores quidam non repugnabunt, credo, Theologis CONSTANTIENSIBUS prolixioris censuræ auctoribus, quorum sententiam dedimus *Cap. super. num.* 64 *seq.*, qui consecrationem bonorum ecclesiasticorum adversus WICLEFITAS inculcant, ac simul hæc scribunt: " Consecrantur autem & sanctificantur talia bona tempo- ,, ralia Domino, institutione (id est, *fine*), possessione ,,.

43. " Et cum servi talis Domini, scilicet Clerici, sunt officiales & ministri ,, ecclesiastici, possessio consecrata pertinet ad jus talium, & non pertinet ad ,, jus temporalium dominorum, quia tales NON sunt ministri & officiales ,, ecclesiastici ,,.

44. " Per consequens administratio & DISPENSATIO talium bono- ,, rum temporalium Ecclesiæ ad officiales & ministros Ecclesiarum pertinet, ,, NON ad dominos temporales ,,.

45. Ceterum cum vulgatissima ac frequentissima sint loca Patrum, Conciliorum & Scriptorum ecclesiasticorum, in quibus bona Ecclesiarum temporalia dicuntur CONSECRATA DEO; & Recentiores etiam illi, hanc esse totius antiquitatis vocem, negare non audeant; otiose agerem, si aliquid huc afferrem ad hunc antiquitatis ejusdem sensum comprobandum.



CAPUT XVII.

PRINCIPI non licet, temporalia ecclesiastica bona ab una Ecclesia seu ecclesiastica Sodalitate TRANSFERRE ad aliam, vel ad usus pios alios.

1. CUM proprietatem bonorum suorum particularibus Ecclesiis vindicaverimus *Cap. XIV.*; supervacaneum forte aliquibus videbitur quærere nunc, an in potestate PRINCIPIS sit TRANSFERRE ecclesiastica bona ab una ad aliam Ecclesiam, vel ad usus pios alios. Nam si Princeps sua cuique privatæ familiæ servare debet intacta & tuta; multo certe magis tenetur id erga ecclesiasticas Familias præstare, tum ob dignitatem possessorum, tum ratione voluntatis piorum donatorum.

2. Recte isti quidem judicant: sed non pari ratione leges æquitatis amant, ac sequuntur ceteri hac maxime nostra ætate. Non desunt enim homines quidam sibi fingentes nescio quas bonorum ecclesiasticorum translationes IN MELIUS, ut ajunt: per quas tantum abest, inquiunt, ut a voluntate Testatoris discedatur, ut immo accuratius voluntas eadem executioni mandetur, ac ad piam Testatoris mentem accedatur propius; quibus proinde translationibus immerito nativi domini ac possessores reluctarentur. Hujusmodi vero translationes volunt esse relictas judicio ac potestati Imperantis.

3. Quorum ut vanitas detegatur, ab ipsis primum quæro, constetne ipsis, translationes eas, quas cogitant, esse in melius: tum, unde compertam habeant voluntatem hanc novam Testatorum, quam minime in supremis tabulis declararint. Primum quod quæro, docere non poterunt, nisi antea rationes omnes ex utraque parte subduxerint; rationes dico tum quantum ad temporale attinet emolumentum, tum quantum ad SPIRITUALE. At non audebunt, puto, judicium sibi sumere de spiritualium operum virtute ac pondere: hoc enim hominibus occultum est, & soli DEI judicio reservatum. Notum porro est, in translationibus illis tum temporalium ordinem mutatum iri, tum SPIRITUALIUM.

4.

4. Hujus vero judicii difficultatem cum pia teſtatorum prudentia pervidiſſet, ne res eorum quaſi in incerto dominio eſſent, ſed dubitationibus locum omnem præcluderent; declararunt cui eccleſiaſticæ Sodalitati bona ſua vellent in poſterum fore perpetuo addicta, hujus ſuæ electionis judicium Deo committentes. Ex quo ſequitur, novos magiſtros fruſtra ſibi blandiri, compertam ſibi eſſe voluntatem teſtatorum ab ea diverſam, quam iſti ſupremis tabulis declararunt.

5. Sequitur item rerum ſuarum dominium ac proprietatem teſtatores tranſtuliſſe perpetuo ad eam ſolum Eccleſiam ac ſodalitatem, quam teſtamento deſignarunt; ac proinde eos a mente eorum diſcedere, qui ſe voluntatum ultimarum arbitros conſtituunt. Piis donatoribus ii varii ac multi modi noti erant, quibus potuiſſent res ſuas in uſus pios collocare. Et cum eorum modorum elegerint hunc potius, quam alium; non opus eſt amplius de eorum voluntate divinare. Ad quam rem ſapienter JURISCONSULTUS admonet *l.* 25, *D. de legat.* 3, *Cum in verbis nulla ambiguitas eſt, non debet admitti VOLUNTATIS quæſtio.*

6. Scilicet " quamvis præſumtæ voluntatis teſtatoris (dicam cum ICto noſtræ ætatis ſapientiſſimo Joanne HEINECCIO) „ ratio habeatur in inter„ pretandis verbis DUBIIS: in iis tamen, quæ verbis APERTIS diſpoſuit, „ NULLIUS momenti eſſe poteſt talis fictio, vel præſumtio „.

7. " Neque enim poteſt favor dari cauſæ, ubi defectus eſt in volun„ tate, nec voluiſſe ſufficit, niſi voluntas legitimo modo declaretur „.

8. Ajebat iſta HEINECCIUS nomine Facultatis juridicæ HALENSIS, cujus rogata fuerat ſententia de teſtamento quodam in gratiam laicæ familiæ ſcripto; utrum illi PRINCEPS jure derogaſſet, laicam familiam aliam ſubrogando: extatque reſponſum in ſupplemento Operum HEINECCII editionis noviſſimæ Genevenſis ad calcem partis ſecundæ Tomi noni pag. 96, etc. *vid. ibi pag.* 126, *num.* 35.

9. Colligas autem ex his, cujuſque Eccleſiæ ſodales meritiſſimo fore invitos, ſi bona temporalia, quæ poſſident, translata fuerint ad alios.

10. Atque hoc quidem loco non dicam, quam ſancta & inviolata eſſe debeat apud omnes humanitatis cultores voluntas ultima teſtatorum: " Nihil „ enim eſt, quod magis hominibus debeatur, quam ut ſupremæ voluntatis, „ poſtquam jam aliud velle non poſſunt, liber ſit ſtylus & licitum, quod „ iterum non redit, arbitrium „; ut inquit Imp. CONSTANTINUS Auguſt. *Leg.* 1 *Cod. de ſacroſ. Eccleſ.*, ubi de teſtamentis in gratiam Eccleſiarum conditis decernit, *ut ne ſint caſſa teſtatoris hujuſmodi judicia.*

11.

11. Sive autem a JURE NATURÆ originem duxerit testamenti factio, sive a consensu civitatis, sive alio ex fonte, quem luxuriantium ingeniorum vanitas hisce nostris temporibus adinvenerit; inhumanum semper erit ac naturali legi contrarium, testamenta illa loco movere contra sacras fidei publicæ leges.

12. Et pluris certe, quam nova nostrorum hominum sapientia, apud me est doctrina cum pietate conjuncta GREGORII Magni, qui tam sedulus est, & tam frequens suis in EPISTOLIS in tuenda ac inculcanda executione ac firmitate voluntatum ultimarum, præcipue ad causas pias; & solum rarissimis in casibus permisit, non sane ut testatorum voluntas mutaretur, ubi esset executioni mandata; sed ut suppleretur aut transferretur, quando aliquod aderat impedimentum, quod vetaret, ne eo prorsus modo, quod testator decreverat, mandari executioni posset.

13. Quod idem institutum secutus est proxima ætate Senatus PARISIENSIS, qui, teste FEVRETO *de l' Abus* Lib. 4, Cap. 7, num. 9, " in „ recognitione facultatum Cardinalis sancti Georgii ad velum aureum, eum „ vetuit commutare legata pia in alios usus, præterquam ubi voluntas de- „ functi non posset executioni mandari; quo etiam casu facienda fuit com- „ mutatio in rem æquivalentem (en chose équipolante) „.

14. Interim pro eo, quod de sancto GREGORIO M. dictum est, remitto te ad legendas Epistolas Gregorii ejusdem, trigesimam quintam libri tertii ad Bonam Abbatissam; octavam, nonam, & decimam quintam libri quarti ad Januarium Episcopum Caralitanum; vicesimam quartam libri noni ad Romanum defensorem; decimam tertiam libri decimi ad eundem, & quintam ad Savinum Subdiaconum; vigesimam quintam libri undecimi ad Januarium memoratum; decimam libri duodecimi ad Fantinum defensorem; & alias non paucas *in tomo altero Operum Gregorii editionis Benedictinorum.*

15. Quando autem nihil fuit, quod executioni voluntatis piæ impedimentum poneret; nihil in ea passus est sanctus PONTIFEX mutari. Et quidem in Epistola 29 libri 13 ad Philippum Presbyterum scribebat: " De „ solidis qui pro faciendo xenodochio a filio nostro Probo Abbate Jerosoly- „ mis relicti sunt, hoc quod deliberatum fuerat, ut fieri debuisset, IMMU- „ TARI NON POTUIT „.

16. Et in epistola 25 libri 11, scribens de Monasterio, quod fundandum erat ex testamento, affirmat, *necesse esse, ut defuncti dispositio modis omnibus conservetur;* ubi impedimentum quoddam grave, quod eo loco exposuerat, sublatum esset.

17. Nota facile eſt ſententia Joannis HEINECCII de origine teſtamentifactionis; non ſemel enim ipſe mentem ſuam aperuit, præcipue vero in primo libro *de Jure Nat. & Gent.* Adhuc tamen non dubitavit, *in laudato Reſponſo num.* 23 & 29 pronunciare, " etſi vel maxime largiamur, teſtamentifactionem non ex jure illo communi, quod ipſa recta ratio inter omnes " homines conſtituit, ſed ex legibus CIVILIBUS promanare; non inde " tamen confici, ut bonus PRINCEPS teſtamentis pro lubitu derogare poſſit, " ſed tum demum, ſi id exigat SALUS reipublicæ, vel cum NULLIUS " detrimento conjuncta ſit illa indulgentia ".

18. " Scilicet (ajebat) ſi JUS cujuſque tueri, non auferre, eſt Principis, " id vero cujuſque JUS EST, quod leges indulgent & attribuunt, ad officium ejus etiam pertinebit, TUERI, non vero evertere, vel mutare " SUPREMA hominum judicia ".

19. " Quamobrem ſemper id PRINCIPUM etiam ſummorum FAMÆ " atque exiſtimationi obfuit, ſi quando ſibi in morientium voluntates ALIQUID JURIS arrogarent ". Legi non ſine emolumento poterit totum illud HEINECCII, ſeu potius Facultatis juridicæ HALENSIS, reſponſum, præcipue a num. 21 & deinceps, ubi ſententia dicitur, & adverſus momenta oppoſita munitur.

20. Sed jam nunc video, de origine teſtamentifactionis non multum mihi laborandum eſſe. Nam ſcimus, majores ac antiquas fundationes & donationes, MONACHIS præſertim ac Monaſteriis factas, maximam partem non eſſe ex teſtamento; ſed omnia fere prædia, reditus ac fundos, quibus potita ſunt MONASTERIA, translata in eadem fuiſſe per donationem INTER VIVOS: quod genus donationis ſemel rite factæ, nec a donatore ipſo revocatæ, nemo (quod ſciam) ulla vel leviſſima ratione hactenus convellere niſus eſt.

21. Et quod affirmo, donationes majores & antiquas fundorum ac prædiorum, monaſteriis præſertim collatorum, fuiſſe fere omnes factas INTER VIVOS; id videre quiſque poteſt, qui velit conſulere collectiones monumentorum ac diplomatum ad monaſteria ſpectantium; quarum collectionum copioſiores ac celebriores appellabimus *num.* 37.

22. Sed jam ne per locos communes ac nimis generales excurrere videar; ut ii ſolent, qui in rebus quas tractant, ſunt novi; accedo propius ad rem, ut directe doceam, inter ſacroſancta jura Principis non illud ullo modo contineri, temporalia eccleſiaſtica bona ab una Eccleſia ad aliam, ab uno uſu pio ad alium transferendi.

23. Pro qua re eſt pervagatiſſima epiſtola ALEXANDRI III. ſummi Pontificis ad Henricum II Angliæ Regem, relata tum alibi, tum *in tomo* 13 *Concilior. edit. Ven. Colet. col.* 75; in qua eum admonet, quod " ſi „ univerſa, quæ in uſus ſuos per diverſas angarias de bonis eccleſiaſticis „ convertuntur, in refectionem PAUPERUM, vel aliis PIETATIS „ operibus expenderet; obſequium non magis Deo gratum efficeret, quam „ ſi altari quolibet diſcooperto, aliud cooperiret; aut ſi Petrum crucifige- „ ret, ut Paulum a mortis periculo liberaret „: quæ verba nullo egent interprete, ſed lectore qui verum quærat.

24. Quæ quidem conſona ſunt ſententiæ alii notiſſimæ, quæ ſub AUGUSTINI nomine extat in lib. 50 homiliarum, homil. 7, (ſecundum editionem Benedictinor., *in Appendice tomi* 5, *ſerm.* 287); per quam chriſtianus quiſque admonetur, ne cogitet, licere ſibi a divitibus, avaris, cupidis, res eorum auferre, ad dandum EGENIS, & ad faciendum aliquid boni ex eo, unde illi nihil boni agunt. " Nam etiamſi (ait) totum tribuat „ pauperibus quod abſtulerit; addit potius peccata ſua, non minuit „.

25. In qua ſententia (cujus ſummam habes in ſermone 178 AUGUSTINI, & illo quidem genuino) vides eorum præoccupari errorem, qui noſtra hac ætate cogitarunt, poſſe Imperantem ab uno uſu pio ad alium ſacrum uſum eccleſiaſticos reditus transferre eo nomine, quod illis eccleſiaſtici viri abutantur.

" Non igitur (dicam cum AUGUSTINO eodem de bono conjugali Cap. 14, col. 329, tomi 6 edit. laudat.) „ ſi agris inique ac perperam invaſis ita quiſque utatur, ut ex eorum fructibus largas ELEEMOSYNAS „ faciat, ideo rapinam juſtificat ....: nec tyrannicæ factionis perverſitas laudabilis erit, ſi regia clementia tyrannus ſubditos tractet „.

26. Iſtis vero permotus juſtitiæ regulis GREGORIUS Magnus in epiſtola 31 libri 8 ad Secundinum juſſit, Monachis Monaſterii Caſtellienſis, prope Squillacium a Caſſiodoro extructum, reſtitui ac iterum uniri aliud quoddam Monaſterium, quod fuerat a laico viro uſurpatum: uſus hoc fundamento; " quia rationis ordo non patitur, ut monaſterium ipſum, & „ MAXIME CONTRA VOLUNTATEM FUNDATORUM, „ ab eorum diſpoſitione ad arbitrium ſuum PRÆSERTIM laica perſona „ ſubducat, aut aliquis ſibi in id jus debeat vendicare „.

27. Hinc minime miror eos PRINCIPES, qui (uti aït BENEDICTUS XIV Conſtitutione 33, data anno 1754, *num.* 9 *in tomo* 4 *ſui Bullarii*) " cum vellent conſcientiæ ſuæ plene conſulere, quod ad occupa- „ tionem bonorum Eccleſiæ ſpectare videbatur, non ſatis ipſis fuit, NIHIL

„ ſibi

„ ſibi habere, in pia opera velle OMNIA erogare; ſed ſummos Pontifices „ adiere, ut per eos ſibi liceret eadem huic potius, quam alteri pio operi addicere; optime ſcientes, quantumvis pie erogaſſent quæcunque Eccleſiis „ abſtulerant, non propterea ſatis ſibi eſſe conſultum, niſi factum illud, „ ſuperaddita Pontificia Auctoritate fuiſſet veluti obſignatum „. Sed de hac translatione per PONTIFICES ſummos dicam ultimo loco.

28. Secundum poſita principia loquutus eſt Seculo ſuperiore FERDINANDUS II Imperator invictus in Epiſtola ſeu inſtructione ad Oratorem ſuum, apud Romanam Sedem agentem: cujus exemplum extat ad calcem *Aſtri Inextincti* Domni Romani HAY Monachi Benedictini *pag.* 385 *etc. edit.* 1636.

29. Scilicet cum multa monaſteria vi armorum eripuiſſet Imperator e manibus hæreticorum; anno 1629 decreverat, generali edicto promulgato, ut ea antiquis Ordinibus ac dominis, præcipue BENEDICTINIS, quos jus poſtliminii tuebatur, redderentur. At contra hanc adeo juſtam Imperatoris invicti ſententiam acuerat ingenium Societas quædam Regularium nova; ac artibus variis & novis tum in Germania, tum Romæ apud Romanum Pontificem, tum per ſuos, tum per extraneos agebat, ut pars horum monaſteriorum aliqua ſibi addiceretur.

30. A juſto tamen conſilio quod conceperat Imperator ſe dejici non eſt paſſus: immo litteris illis ad Oratorem Romæ agentem datis declaravit, ſe illa monaſteria velle "rurſum Ordinibus, quibus dicata, & a FUNDA„ TORIBUS ſuis CONSECRATA ſint, & non aliis, reſtituere & conſi„ gnare, quod coram DEO vix ac difficulter excuſari queat, ſi ſimiles in jure „ divino ſtabilitæ fundationes (id eſt, a jure naturali & divino firmitatem accipientes) „ contra FUNDATORUM MENTEM & inſtitutum alio con„ vertantur & applicentur: prout & in jure communi ſalubriter ordinatum „ & cautum, ne DEFUNCTORUM ultimæ voluntates & diſpoſitiones „ ullatenus mutentur, ſed in ſtatu ſuo inviolabiliter relinquantur „.

31. Hæc FERDINANDUS II; quorum ſimilia proferre poſſem ex duobus aliis Auguſtis, CAROLO V, & FERDINANDO I, in Comitiis Auguſtanis anno 1555 lecta. Dictis autem FERDINANDI II reſponderunt facta; neque enim avidorum artes animum illius expugnare aut decipere valuerunt.

32. Ut recuperata Monaſteria reſtitueret FERDINANDUS II dominis priſtinis, movebatur maxime a conſtanti ac certa voluntate FUNDATORUM, qua declarare ſoliti fuerunt, ſe illi loco, illi Ordini, ad ſtatos illos uſus, ad genus illud divini ſervitii donata perpetuo velle bona

ſua temporalia; comminationibus terribilibus adverſus eos intentatis, qui ſuam hujuſmodi voluntatem violaſſent, vel hoc ſixæ donationis decretum in uſus diverſos intervertiſſent.

33. Nihil ſane frequentius eſt, quam in tabulis donationum videre, offerri bona illa temporalia Deo in honorem Patroni Baſilicæ aut Monaſterii illius, quod pii donatores elegerunt; ad uſus Monachorum ibi ſervientium; ac nominatim etiam aliquando declarari ac definiri peculiares quoſdam uſus, quibus aliquam bonorum illorum partem in poſterum dicatam fore volunt.

34. Quæ quidem omnia, aliaque præterea eo ſpectantia, adeo eſſe ſolent definita & expreſſa, ut non poſſit bonorum illorum locus ac poſſeſſor mutari, quin ſimul voluntati FUNDATORIS vis inferatur, ac ſententia tabularum ſupremarum mutetur.

35. Non eſt interim omittendum Teſtamentum (ut vocant ſeu charta) WILELMI Ducis Arvernorum, pro fundatione Monaſterii Cluniacenſis ad Annum 910; quod exhibetur tum alibi, tum a MABILLONIO *Sec. quinto Benedict. pag.* 78 in Elogio B. Bernonis, primi Cluniacenſis Abbatis *num.* 21.

36. " Eo dono tenore (ait pius Fundator), ut in Clugniaco in honore „ ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli Monaſterium regulare conſtruatur, „ ibique MONACHI juxta regulam beati BENEDICTI viventes con- „ gregentur, QUI res ipſas perennis temporibus poſſideant, teneant, atque „ ORDINENT, ita DUMTAXAT, ut ibi venerabile orationis domi- „ cilium votis ac ſupplicationibus fideliter frequentetur etc. „.

37. Similes loquendi modos, ſæpe etiam multo fortiores ac expreſſiores (quorum aliquod ſpecimen dabimus hic proxime) legere licet in vetuſtis chartis ſeu donationum & fundationum tabulis, quas habemus fere innumeras in Annalibus Benedictinis MABILLONII, inter monumenta & diplomata, ad calcem cujuſque Tomi congeſta: in Operibus Diplomaticis Auberti MIRÆI, nempe in Codice Donationum Piarum, in libris Diplomatum Belgicorum, in libris Donationum Belgicarum, & in Notitia Eccleſiarum Belgii; in Antiquitatibus Italicis Medii Ævi, MURATORIO auctore, potiſſimum in Diſſertationibus LXV, LXVI & duabus proximis; in tomo altero Bullarii CASINENSIS Cornelio Margarino collectore; in ampliſſima Collectione Scriptorum & Monumentorum Edmundi MARTENE tomo I præſertim; in Annalibus CAMALDULENSIBUS Mittarelli & Coſtadoni in Appendic. ad ſingulos tomos; & (ut alias rerum eccleſiaſticarum & monaſticarum Collectiones omittam) in MONASTICO ANGLICANO, ditiſſimo nempe illo promptuario Religioſarum fundationum ac donationum, quas malum HÆRESIS virus non ita pridem exedit ac conſumpſit.

38. Quibus quidem donationum ac fundationum formulis inſpectis, ſtatuere quiſque debebit, dominium ac proprietatem illorum redituum ac fundorum in illam tantum Eccleſiam fuiſſe per donatores tranſcripta & in illum Ordinem, qui electus eſt a Donatore.

39. Fundationis WILLELMI Ducis Arvernorum ſimilis eſt formula fundationis Cantuarienſis cænobii ſancti Petri ab ATHELBERTO Rege factæ: cujus hæc exhibeo verba ex pag. 23 tomi 1 MONASTICI ANGLICANI: " Quocirca ego Athelbertus Rex Kanciæ, do, & concedo Deo in „ honore SANCTI PETRI, aliquam partem terræ juris mei, quæ jacet „ in oriente civitatis Doroberniæ; ita DUNTAXAT ut Monaſterium „ conſtruatur, & res quæ *(ſic)* ſupra memoravi, in poteſtate ABBATIS ſit, „ qui ibi fuerit ordinatus. Igitur adjuro & præcipio etc. „.

40. Et in charta STEPHANI Comitis Bolonii & Moretonii, pro Furneſeienſi Cænobio in agro Lancanſtrenſi Ordinis Ciſtercienſis data, donatio ſic concepta eſt pag. 706 ejuſdem tomi primi MONAST. Anglicani: " Reddo, dono & concedo Deo & ſanctæ MARIÆ de Fuderneſio, & „ ABBATI illius loci totam foreſtam meam etc.: eo nimirum intuitu & „ tenore, quatenus in loco prædicto Ordo MONASTICUS & Regularis, „ per divinam gratiam, teneatur. Quam donationem illibatam in perpetuum „ cuſtodiri etc. „.

41. Ela autem Comitiſſa Sarum (ibid. pag. 960) Ordinem etiam, cui res ſuas dono dabat, comprehenſum in donationis formula voluit; nempe Carthuſienſem. Ait igitur in charta pro Monaſterio Hentonenſi in agro Wiltonenſi: " Donavi & conceſſi & hac charta mea confirmavi ORDINI CAR- „ THUSIÆ ......; habendum & tenendum in puram & perpetuam eleemoſinam Monachis & fratribus ibidem Deo ſervientibus SECUNDUM „ conſuetudinem & ordinem Eccleſiæ CARTHUSIÆ. Et ego & hære- „ des mei Warantizabimus PRÆDICTIS Monachis & fratribus prædicta „ tenementa etc. „.

42. Certam porro ac definitam electionem loci ac perſonarum aliis verbis etiam ſignificat Charta donationis ATHELSTANI Regis Brittonum, pag. 196 tomi 1 ejuſdem MONAST. Anglicani: " Firmiter præcipio quod „ iſta donatio mea ſit immutabilis ac inpervertibilis dum chriſtianitas dura- „ verit in iſta terra anglicana. Omnes illi & ſinguli qui hoc factum meum in „ aliquo pervertere vel PERMUTARE voluerint, ſocii ſint Judæ traditoris Chriſti etc. „.

43. Clarius & apertius SIGEREDUS Rex pro Ecclesia Roffensi Ord. S. Bened. loquitur pag. 29 ibidem: " Placuit mihi (inquit) hanc paginam „ condere, & una cum cespite terræ prædictæ tradere tibi, per quam non „ solum omnibus meis successoribus, sed etiam mihi ipsi penitus interdico, „ ne ALITER QUAM NUNC A ME CONSTITUTUM est, ullo „ tempore de eadem terra quippiam agere audeant. Quod si qui forte obser- „ vare neglexerint etc. „.

44. Similiter EADGAR Rex Anglorum Monachis Ecclesiæ Wintoniensis de rebus suis largiens: " Si quis igitur (ait pag. 38) hanc nostram do- „ nationem IN ALIUD QUAM CONSTITUIMUS TRANSFERRE „ VOLUERIT, privatus consortio sanctæ Dei Ecclesiæ æternis baratri „ incendiis lugubris jugiter cum Juda Christi proditore puniatur, si non satis- „ factione Deo favente emendaverit „.

Hæc ipsa formula occurrit alias non semel in chartis, ab illius MONASTICI ANGLICANI Collectoribus evulgatis, ut pag. 61, 101, 211 etc. tomi primi; & in tomo altero pag. 841 seq.

45. In hoc secundo Monastici Anglicani tomo pag. 874, occasione prædiorum in aliud monasterium a Willelmo de Ferrariis Comite Derbriæ collatorum, declaratum est, " ne aliquis Clericus vel Laicus hanc meam elee- „ mosinam (ait Comes) aliquo tempore IN ALIOS USUS, QUAM in „ proprios usus prædictorum MONACHORUM, in quorum sustentatione „ data est, convertere præsumat „.

46. Et in Appendice tomi primi Annalium CAMALDULENSIUM num. 137 sancta Silvia mater Gregorii Magni donationem monasterio sancti „ Andreæ de Urbe factam claudit his verbis: " Si quislibet homo magnus vel „ parvus de supradictis locis tollere voluerit, & SICUTI EGO ORDI- „ NAVI, ITA PERMANERE NON DIMISERIT, sit ille male- „ dictus & anathematizatus, & cum diabolo etc. „.

47. Et num. 53 ejusdem Appendicis HUGO Dux & Marchio Thusciæ Abbatiæ Vangaticiensi donat: tum subdit: " Si ullus homo aut ULLA „ POTESTAS prædictas res PRÆDICTÆ ECCLESIÆ MONA- „ STERIO subtrahere vel alienare sive pro beneficio aut quacunque tra- „ ditione, sive occasione tollere, vel minuere præsumpserit; tunc sit ille „ maledictus a Deo etc. „.

48. Expressius & clarius Joannes Episcopus Ravennas in re simili decernit num. 5 ejusd. Appendicis: " Si quis tam vestri successores, vel quævis „ major vel minor persona contra hujusmodi nostræ donationis & præcepti „ seriem quidquam ALITER AGERE præsumpserit, & suprascriptam in-

„ insulam A JURE VEL DOMINIO regularium servorum Dei MONACHO-„ RUM, qui pro tempore fuerint, per quemlibet contractum alienare; cum „ Juda Iscariote semper existat, & cum antiquo hoste diabolo etc. „.

49. Alibi sæpissime mentionem pii Donatores faciunt PROPRIETATIS ac Dominii, quibus una cum translatione bonorum, religiosæ familiæ donantur: ut in ea Appendice Annalium Camaldulensium num. 46 in charta HUGONIS Marchionis Thusciæ: " Omnia & in omnibus, quæ superius le-„ guntur, ipsius Ecclesiæ & Monasterii sancti Michaelis Archangeli JURE „ PROPRIETARIO sint in potestate Boloni Abbatis suorumque suc-„ cessorum, sic permaneant JURE PROPRIETARIO de supradicto „ monasterio habendi, possidendi, tenendi, imperandi etc. „

50. " Et qui de his omnibus, quæ superius leguntur, MINUERE aut „ subtrahere vel fraudare temptaverit, deleat omnipotens Dominus nomen „ ejus de libro viventium; fiat particeps cum Datan & Abyron, quos terra „ deglutivit vivos etc. „.

51. Et in eadem Appendice num. 115 ita Donatores edicunt: " Omnia „ in integrum, sicut supra legitur, tibi suprascriptæ sanctæ Dei Ecclesiæ & „ monasterio beati sancti Salvatoris offero, trado, ut in ipsa sancta Dei Ec-„ clesia & Monasterio sancti Salvatoris sint PROPRIETARIO JURE omni „ tempore IN SUO DOMINIO. Faciat exinde tum ipsa sancta Dei Ec-„ clesia & Monasterium quicquid ipsi ABBATI, qui eandem Ecclesiam & „ Monasterium modo detinent, aut aliis Abbatibus successoribus suis pla-„ cuerit. Quæcunque temeraria persona inobediens Deo . . . . . ., de eadem „ suprascripta Dei Ecclesia & Monasterio subtrahere etc. „.

52. Hæc ipsa formula, in qua mentio juris Proprietatis fit, frequens occurrit in Appendice tomi tertii eorumdem Annalium CAMALDULENSIUM. Sed digna est, ut proferatur formula Chartæ 23: " Horum autem „ mansuum & terrarum præscriptarum PROPRIETATEM dictæ Ecclesiæ „ beati Martini una cum solo, in quo constructa est, PROPRIETARIO „ NOMINE damus servis servorum Domini perpetualiter habendam, „ fruendam, possidendamque „.

53. Et sub num. 89 AZO & UGO Marchiones Estenses dono dant Abbati Vangaticiensi quinquaginta Massaritias hac forma: " Donamus & offe-„ rimus in idem Monasterium a præsenti die & hora perpetualiter habendum „ PROPRIETARIO JURE in sumptum & usum & stipendium MONA-„ CHORUM, qui modo ibi ordinati sunt vel a modo pro tempore ordi-„ nati fuerint „.

54.

54. Et multis interjectis: " Omnia in integrum ab hac die in eandem „ Ecclesiam PROPRIETARIO JURE donamus & offerimus perpetualiter „ habenda in usum & sumptum Monachorum, qui modo vel qui pro tem- „ pore ordinati fuerint „.

55. Pari modo in tomo quinto MURATORII *Antiquitatum Italicar. Medii Ævi col.* 746 Gerardus Comes ejusque uxor anno 1004 Monasterio Volaterrani agri Ordinis Vallumbrosani ingentem bonorum & castellorum copiam largientes, sic declarant in charta donationis: " In integrum tibi su- „ prascriptæ Dei Ecclesiæ & Monasterio offerimus, in ipsa sancta Dei Eccle- „ sia & Monasterio SINT OMNI TEMPORE PROPRIETARIO JURE, „ ET IN SUO DOMINIO habeat & teneat atque possideat, & faciat tam „ ipsa Dei Ecclesia etc. „.

56. LOTHARII autem Italiæ Regis diplomate, *ibidem col.* 560, Episcopus & Canonici Parmenses anno 948 donantur tribus curtibus tali verborum modo: " Prædicto Adeodato Episcopo Ecclesiæque suæ, ac Domini „ servis donamus jure perpetuo, & DE NOSTRO JURE IN prædictæ Ec- „ clesiæ, vel supramemoratorum servorum Dei JUS ET DOMINIUM „ TRANSFUNDIMUS, ut habeant, teneant, possideant ...... jure „ perpetuo in æternum „. Alias formulas de hoc ipso genere legisti jam *Cap. XIV, num.* 37 *etc.* Et proferre alias possem ex Operibus Diplomaticis Auberti MIRÆI; exempli causa, ex libro ejus secundo *Diplomatum Belgicorum* Cap. 5 etc.

Injuriam vero lectoris sapientiæ facerem, si admonendum existimarem, ex hoc quoque formularum genere quid consequatur. Nam PROPRIETAS Ecclesiæ, Monasterio, & Sodalitati cuique affixa ipsa clamat per se, & suas loco & Ordini cuique res vindicat, uti res familiæ cujusque LAICÆ proprias eadem tuetur.

57. In argumentum certæ ac definitæ electionis ac voluntatis Donatores hoc etiam declarare consueverunt aliquando, se res dono datas non fore in posterum ad aliam Ecclesiam translaturos, sed eas perpetuo mansuras ad usus loci quem elegerunt. Id conspicere licet in duabus Lucensibus Chartis, a MURATORIO in laudata Dissertatione LXV vulgatis, *col.* 367 *&* 371 *tomi quinti Antiquit. Italicar.*, ad Lucensia duo Monasteria spectantibus.

58. Et alias, nulla usi verborum circuitione, expressius aperuerunt, quænam eorum esset mens in translatione rerum suarum ad Monachos. Pro qua re satis fuerit audire CAROLUM CALVUM Regem & Imperatorem in Diplomate pro Monasterio Dervensi dato; quod extat in Appendice tomi 3,

An-

Annalium Benedictinorum MABILLONII num. 3: "Nullus hominum (ait Carolus) „ a potestate & DOMINATIONE EJUSDEM LOCI MONA-
„ CHORUM de eisdem villis sive rebus, aliquando aliquid subtrahere, aut
„ MINUERE, & in suos usus retorquere conetur „.

59. Et paulo post: "Quidquid a Deum timentibus personis eidem loco
„ divina pietas voluerit conferre, SOLUMMODO IN IBIDEM DEO
„ MILITANTIUM MONACHORUM USUS & necessitates redigatur,
„ absque cujuslibet rectoris insultatione seu refragatione „. Datum est hoc Diploma ad preces Parduli Lugdunensis Episcopi, occasione donationis novæ prædiorum a se Dervensibus Monachis factæ.

60. Quid autem ista referunt animoque legentium repræsentant, nisi id, quod expressiori verborum forma legimus in appendice tomi tertii Annalium CAMALDULENSIUM Mittarelli & Costadoni? Ibi enim *num.* 83, Benno Comes res suas "donat atque offert Ecclesiæ sancti Petri de Luscia-
„ ńo, ita ut semper sit stabilis ac firma IN PROPRIETATE prædicta
„ Ecclesia in jam dictis rebus; nam prædictas res omnes juris mei (ait) in
„ integrum ab hac die tibi Cunizze atque prædictæ Ecclesiæ dono, cedo
„ atque offero, & NULLI ALII datas, donatas, obnoxiatas vel tractas,
„ NISI PRÆDICTÆ ECCLESIÆ SEU MONASTERIO sancti
„ Petri „: ubi vides, Ecclesiam & Monasterium electum esse cum exclusione Ecclesiæ & Monasterii alterius cujuscunque.

61. Hoc ipso animo Fundatores Monasterii alterius apud Arvernos, in hæc verba eruperunt in charta fundationis, quæ habetur num. 50 memoratæ Appendicis Annalium Benedictinor. MABILLONII: "Nos ergo
„ precamur & contestamus (*sic*) per Deum & in Deum, & per omnes Sanctos
„ ejus, ut hanc nostram constitutionem nullus REX unquam, nullus Epi-
„ scopus, nullus Comes, nullus unquam homo inquietare præsumat, divi-
„ nam comminationem pertimescens, qua dicitur: MALEDICTUS qui
„ transfert terminos proximi sui „.

62. LUDOVICUS autem Rex Germaniæ Primus hac formula donationem suam firmat, factam Monasterio Ratisbonensi sancti Emmerami, in Diplomate quod adest in *Codice Diplomatico Ratisbonensi* pag. 24 partis tertiæ, tomi 1 Thesauri novissimi anecdotorum Domni Bernardi PEZ. Donat itaque Rex Monasterium illud medietate cujusdam fisci cum mancipiis, vineis, terris, pascuis etc. "ea ratione, ut ipsa medietas ipsius fisci AD
„ MENSAM MONACHORUM ibi Domino famulantium, ibi jugiter de-
„ serviat, & nullus Episcopus aut quislibet Prælatus easdem res IN BENE-

„ FICIUM alicui dare five ad opus fuum recipere præfumat; fed folummodo AD OPUS IPSORUM deferviat „.

63. Unde etiam illa formula nata eft teftamenti, quod afferebam *num.* 35, WILLELMI Ducis Arvernorum: " Neque aliquis PRINCIPUM fecularium, non PONTIFEX SEDIS ROMANÆ, per Deum, & in „ Deum, omnesque Sanctos ejus, & tremendi judicii diem contestor, deprecor, ne invadat res ipforum Dei fervorum. Non distrahat, NON „ MINUAT, NON BENEFICIET ALICUI PERSONÆ, „ non aliquem PRÆLATUM fuper eos contra eorum voluntatem con„ ftituat etc. „.

64. In iftis igitur formulis, quas pro fpecimine univerfæ rei dabamus, non relinquitur obfcurum, quos pia Fundatorum ac Donatorum mens intenderit fore dominos rerum collatarum; & vix efficaciora verba ad id fignificandum, adhiberi potuiffe puto. Unde pronunciamus merito cum Claudio RANGOLIO Ordinis Minimorum fancti Francifci de Paula in Commentar. in libros Regum, " Tametfi Monachi privatim nihil poffideant, quæ„ cumque tamen aut fuo ipfi labore, atque induftria pepererint, aut fide„ lium liberalitate confecuti fuerint, ea publice communiterque POSSI„ DERE. Unde fequitur, ut fi quis ea AB ILLIS EVERTAT, „ aut invitis per vim eripiat, nihilo fecius FUR ET PRÆDO habendus „ fit, quam fi fua cuilibet auferat legitime POSSIDENTI .... „.

65. " Efto, quæ pridem fidelium liberalitate conceffa funt, hactenus „ DONA habeantur: an cenfes ullum effe poffe POSSESSIONIS titulum „ eo juftiorem? Negavit olim FRANCISCUS I. Caftellano & BUDÆO „ præfentibus, REGUM IMPERIA pari jure poffe defendi „.

66. " Quare, quæ donata funt, Monachi jure poffident. Quæ autem „ jure poffidentur, jure auferri non poffunt. SCELUS ERGO EST, „ Monachorum facultates ALIENIS CONCEDERE ...... „.

67. " NEQUE PONTIFEX aliena largitur, quod TYRANNI „ folent, ALIENA porro ducere debet, feu mentem FUNDATORUM „ fpectet, feu præfentem poffeffionem. Nam MONACHI quidem poffi„ dent: quibus utique fieret injuria, fi IN CUJUSQUAM GRATIAM „ propria eriperet. FUNDATORUM autem ea mens & voluntas fuit, „ NE CUIQUAM PRÆTER MONACHOS conceffis opibus daretur „ abuti „.

68. Explicat RANGOLIUS hanc legem Fundatorum, ac confirmat ipfe quoque ex tabulis Fundationum, necnon ex ipforum Pontificum Roma-

manorum litteris; per quæ vetitum eſt, ne bona collata AD ALIORUM USUS conferantur.

69. Hæc porro RANGOLII diſſertatio, quæ eſt *de Commendis & Commendatariis*, inſerta eſt ab HORSTIO & MABILLONIO Notis in Epiſtolam 141 S. Bernardi, in editione ALEXANDRO VIII ſummo Pont. dicata; qua eadem diſſertatione utemur opportune non multo poſt. Adeas interim illarum *Notarum numer.* 108, 112 -- 115.

70. Ex iis vero, quæ hucuſque dicta ſunt, facile intelligis, ad Principes ſummos æque ac ad privatos homines pertinere loca omnia, quæ ſupra allata ſunt; etſi forte quædam de privatis ſolum videantur loqui.

71. Intelligis etiam, iiſdem locis omnibus non modo vetari translationem bonorum eccleſiaſticorum ab uſu ſacro ad profanum, verum etiam a nativis eccleſiaſticis poſſeſſoribus ad uſus eccleſiaſticos aut uſus pios alios.

72. Et ſane ſi bonorum illorum dominium fuit a donatoribus tranſcriptum in hanc Eccleſiam, non in aliam; in hanc eccleſiaſticam ſodalitatem, ſeu in hunc ordinem, non in alium; non licebit aut PRINCIPI, vel alii cuicunque ALITER de hoc dominio, deque ea PROPRIETATE diſponere, quam FUNDATORI placuit. Et quando SACRILEGUM EST ab uſu ſacro ad profanum bona illa convertere; erit ſaltem contra juſtitiæ ac fidei publicæ leges bona eadem a poſſeſſore nativo eccleſiaſtico transferre ad alias eccleſiaſticas ſocietates, vel ad uſus pios alios; a quacunque tandem poteſtate factum id fuerit.

73. Quorum ratio prompta eſt ac perſpicua, " quod Imperatores RE„ GESQUE (ut inquit THOMASSINUS Diſcipl. Par. 3, Lib. 1, Cap. 16, num. 2,) " regnis non dominentur ut domini, rerum omnium proprieta„ tem aſſecuti, ut pro arbitratu dent, vel auferant quidvis; ſed tanquam „ ſummi judices & DEFENSORES, ut CUIQUE SUA ADJUDICENT „ ET VINDICENT EX JUSTITIÆ & legum NORMA „.

ARGUMENTIS, quæ poni contra poſſunt, ſatisfacimus.

74. Dicet forte quiſpiam, ſi hæc valeant pro Principe laico, valitura quoque pro Romanis PONTIFICIBUS. Hinc COMMENDÆ MONASTERIORUM dicendæ erunt injuſtæ, utpote rerum alienarum rapinæ. Hinc etiam damnabitur translatio Beneficiorum ſimplicium in uſus Seminariorum; cujus tamen translationis auctor fuit Concilium TRIDENTINUM *Seſſ.* 23, *cap.* 18 *de Reform.* Hinc reprehendenda translatio re-

dituum ac prædiorum menſæ epiſcopalis & decimarum, priſcis ſeculis non raro facta ad Monaſteria Monachorum & Monialium. Hinc tandem injuſtæ declarantur translationes Monaſteriorum olim non ſemel factæ a Monachis ad Moniales, & viciſſim; a Canonicis Regularibus ad Monachos, & viciſſim; vel ab una ad aliam Monachorum Congregationem; aut a Monachis ad Ordines Mendicantes, vel ad Equeſtres Ordines, vel ad aliquam ex novis Religioſorum Sodalitatibus.

75. Reſpondeo primum generaliter cum Natali ALEXANDRO *Hiſt. Eccleſ. Sec.* 15 *&* 16, *Diſs.* 9, *Art.* 6, *num.* 13, proprietatem quidem bonorum temporalium eſſe apud Eccleſias particulares, & adminiſtrationem ac diſpenſationem *immediatam* penes Prælatos earum, " diſpenſationem vero ,, generalem, ſeu potius directionem diſpenſationis ad neceſſitatem vel utili- ,, tatem præſentiſſimam univerſalis Eccleſiæ pertinere ad ROMANUM ,, Pontificem; ſed Romanum tamen Pontificem nec bona eccleſiaſtica ad ,, libitum diſtrahere poſſe, nec tributa Clero imperare, non accedente con- ,, ſenſu ipſarum Eccleſiarum particularium, quarum intereſt,,. Legas S. THOMAM 2, 2, quæſt. 100, art. 1 in reſp. ad 7.

76. Hæc & ſeculis illis cognita fuere, quibus lux ſcientiæ negatur. Nam, ut ex Matthæo PARIS *in Hiſtor. Anglor. ad annum* 1240 diſcimus, Rectores quarumdam Eccleſiarum in Anglia, pontificio pecuniarum exactori reſponderunt ad amovendum tributum quod ab eis petebatur: " Sicut Ec- ,, cleſia Romana ſuum habet proprium patrimonium, cujus adminiſtratio per- ,, tinet ad Dominum Papam; ſimiliter & aliæ Eccleſiæ ſuum ex largitione ,, & conceſſione Regum, Principum & aliorum Magnatum fidelium, quod (non accedente conſenſu ipſarum Eccleſiarum) ,, in nullo eſt cenſuale vel ,, tributarium Eccleſiæ Romanæ; unde non debent Prælati compelli de patri- ,, monio ſuarum Eccleſiarum contribuere. Item, licet argumento legis omnia ,, dicantur eſſe Principis; non tamen dominio & proprietate, ſed cura ,, & ſollicitudine: ſimiliter Eccleſiæ ſpectant ad Dominum PAPAM ,, CURA ET SOLLICITUDINE, non dominio & proprietate; unde ,, dicunt, quod non debent ad contribuendum compelli,,: pag. 361 edit. Pariſienſ. 1644.

77. Itaque ex iſtorum ſententia Eccleſiæ omnes in poteſtate Pontificis ſunt, non ut domini, ſed ut defenſoris omnium communis: cujus defenſionis cauſa nonnunquam de eccleſiaſticis bonis id poteſt cum conſenſu earundem Eccleſiarum decernere, quod præter ordinarias leges ſit. Atque in hoc poſita eſt *directio* illa ac *cura* Romani Pontificis, quam iſti memorant.

78. Nobile vero iſtius directionis pontificiæ ſeu diſpenſationis exemplum habes ex laudata Conſtitutione 33 BENEDICTI XIV data anno 1754 pro Epiſcopis Albaniæ in ditione Turcarum, *in tomo 4 Bullarii ejuſdem Pontificis:* in qua eadem Conſtitutione regulæ traduntur ac fundamenta diſpenſationis illius & directionis.

79. Deinde reſpondeo, a nobis non improbari, exempli gratia, tranſlationem illorum beneficiorum, quibus in nativa ſua Eccleſia per ſacrum miniſterium ſatisfieri non amplius poteſt. Hinc vero vehementer probamus illud Concilii TRIDENTINI decretum *Seſs.* 21, *Cap.* 7 *de Reform.*, quo datum eſt " Epiſcopis, etiam tanquam apoſtolicæ Sedis delegatis, ut tranſ- „ ferre poſſint beneficia ſimplicia, etiam juris patronatus ex Eccleſiis, quæ „ vetuſtate, vel alias collapſæ ſint, & ob earum inopiam nequeant inſtaurari, „ vocatis iis, quorum intereſt, in matrices, aut alias Eccleſias locorum eo- „ rundem, ſeu vicinorum arbitrio ſuo etc. „, cui exemplo aliud ſimile habemus *in Seſſione* 25, *Cap.* 8 *de Reform.*

80. Ad COMMENDAS vero quod attinet; non quæram hoc loco, quid Concilium TRIDENTINUM *Seſs.* 25, *Cap.* 21 *de Regular.* adverſus eas decreverit, ſeu an illas ſuſtulerit in poſterum omnes prorſus, an non; jubendo, ſua ORDINI MONASTICO REDDI univerſa: de qua re interpretes Juris Canonici non conveniunt. Ceterum non nova, ſed vetus eſt querimonia piorum Scriptorum, Conciliorum etiam quam plurium, & ipſorum Romanorum PONTIFICUM adverſus COMMENDAS.

81. Hoc tamen affirmo, in Commendarum uſus ſive introducendo, ſive ſuſtinendo ac fovendo minimas partes fuiſſe Romanorum PONTIFICUM (ſi aliquos illorum excipimus in lacrymabili illa ſtatus eccleſiaſtici perturbatione Seculi decimi quarti & ſequentis): alii enim ſunt, quorum magis intereſt, commendas continuari; de qua re ipſi viderint.

82. Scribebat Seculo XVI Gentianus HERVETUS Canonicus Remenſis in Diſſertatione de reparanda Eccleſiæ diſciplina: " Dolendum pro- „ fecto, dolendum eſt, quod cum olim tot viri pietate & doctrina inſignes „ prodierint e monaſteriis, Baſilius, Gregorius Nazianzenus, Joannes Chry- „ ſoſtomus, Gregorius Pontifex maximus, Benedictus & alii innumerabiles, „ qui ſuis & exemplis & ſcriptis Dei Eccleſiæ plurimum profuerunt; hodie „ magna ex parte eſt ſumma monachorum inſcitia cum vitio conjuncta, „ quæ tota fere eſt adſcribenda COMMENDATARIORUM negligen- „ tiæ, qui non dant operam, ut bonos & doctos habeant præceptores „.

83. " Valde etiam dolendum eſt, quod cum calamitoſiſſimis his tem-
„ poribus pauperum ſit maximus proventus, ablata ſint eis alimenta, quæ,
„ antequam exorirentur iſti COMMENDATARII, certis diebus publi-
„ ce ſuppeditabantur E MONASTERIIS „.

84. " Quin etiam quis non angatur animo, cum videt TEMPLA au-
„ guſtiſſima & pulcherrima ædificia partim minari ruinam, partim jam cor-
„ ruiſſe? cum interim MONASTERIORUM proventus quomodo con-
„ ſumantur, quid opus eſt dicere „.

85. Hæc Gentianus HERVETUS, cujus locus longe prolixior inſertus eſt Notæ memoratæ in Epiſtolam 141 ſancti Bernardi poſt Diſſertationem Claudii RANGOLII de Commendis.

86. Scio ac fateor, ea aliquando incidiſſe tempora miſerrima, cum ſacris omnibus ac profanis turbatis, monaſtica ſimul diſciplina aliquibus in Monaſteriis fere evanuerat. Iſtam ſcilicet fuiſſe dicunt præcipuam cauſam, cur COMMENDATARII neceſſarii ſint habiti (de qua re nihil interim in contrarium affirmabo). " Sane quidem (dicere liceat cum laudato RANGOLIO) „ quam utiliter, quamque e re noſtra hoc factum ſit, probat funeſta
„ hæc MONASTERIORUM SOLITUDO, & ſemper in pejus col-
„ lapſi mores „.

87. Laudo tamen primos illos Eccleſiarum, Epiſcopatuum, & Monaſteriorum cuſtodes TEMPORARIOS, qui frequentes occurrunt legenti præcipue Epiſtolas GREGORII Magni: & nunc de ſolis COMMENDATARIIS perpetuis ſeculorum poſteriorum loquor; quibus ſæpe nihil minus cordi eſt, quam vita & diſciplina monaſtica, vel utilitas Eccleſiæ, cui præfecti ſunt.

88. " Non poſſunt ergo (colligam cum Ludovico THOMASSINO diſcipl. Eccleſ. Par. 2, Lib. 3, Cap. 10, num. 15,) „ univerſim damnari com-
„ mendæ, ne redundet infamia in ſanctiſſimos PRISCI ÆVI EPISCOPOS;
„ ſed nec poſſunt etiam non damnari COMMENDÆ, quas bonorum
„ opumque infanda extorquet libido, cum eas priſci ævi damnarint Præſu-
„ les ſanctiſſimi „.

89. Adverſus poſteriores has COMMENDAS clamaret quiſpiam cum PETRO VENERABILI Abbate Cluniacenſi *Lib.* 2, *Epiſt. II*, ad Matthæum S. R. E. Cardinalem & Epiſcopum Albanenſem in ſimili cauſa ſcribente:
" Quid perſonis peccantibus ſanctus ORDO peccavit? quid aliis delin-
„ quentibus juſtitia promeruit? cur cum reis innocentia condemnata eſt?
„ cur malis Monachis ſecundum quoſdam expulſis, MONASTICA IN-
„ STITUTIO expulſa eſt? Ut quid ſaltem malis illis, boni Monachi

„ non

„ non ſuccedebant? An quia nuſquam tales inveniri poterant? O quam „ innumerabilis Monachorum turba, per ſupernam gratiam ...... multi- „ plicata, univerſa pene rura operuit, urbes, caſtella, oppida implevit „!

90. In eadem epiſtola, quam legere integram poteris in *Bibliotb. Patrum tom.* 22, *pag.* 870 inter cetera Petri Venerabilis Opera, dixerat paulo ante idem ſanctus ac doctiſſimus Abbas: " Queritur totus Monachicus „ ORDO, & communem injuriam pari querela deplorat, expulſos a ſedi- „ bus ſuis Monachos, CLERICOS pro eis intruſos, ſua deſeruiſſe, „ ALIENA OCCUPASSE „.

91. Sic autem exclamabat PETRUS VENERABILIS, edoctus antiquis Romanorum PONTIFICUM exemplis. Scimus enim, inter ceteros, GREGORIUM Magnum tam abfuiſſe, ut a Monaſteriis, quorum collapſa eſſet diſciplina, MONASTICAM INSTITUTIONEM expelleret; ut vel in ipſa Monaſteria deſolata aut prope extincta ſollicitus fuerit de novis Monachorum coloniis inducendis. Id factum non ſemel fuiſſe juſſu magni hujus PONTIFICIS, docemur *ex epiſtola illius* 61, *libri* 10 ad Adeodatum Abbatem Neapolitanum, & *ex epiſtola* 72, *libri* 11 ad Agapitum Abbatem, ſecundum edition. memoratam. Sed ad alterum argumentum non vacat plura reponere.

92. RELIQUA autem ſunt leviſſima. Nam illud de beneficiis ſimplicibus in uſus Seminariorum convertendis ad rem non pertinere, intelliget ille, cui beneficii *ſimplicis* natura perſpecta eſt, & qui novit, quæ olim fuerit poteſtas Epiſcopi in reditus ac fundos omnes ſuæ Diœceſis, quæ deinde fuerit ORIGO BENEFICIORUM, & quæ ſit adhuc Epiſcopi in ſuam Diœceſim poteſtas. Præterea conſideranda eſt cauſa momenti maximi, ob quam translatio illa decreta fuit beneficiorum mere SIMPLICIUM.

93. QUOD VERO objiciebatur de collatis reditibus, decimis, ac prædiis menſæ epiſcopalis in Monaſteria; ea non tranſtulerunt alii invito Epiſcopo; ſed EPISCOPUS ipſe tranſtulit de menſa ſua, præcedente CONSENSU CLERI, ut moris erat, & ut in vetuſtis etiam donationum tabulis teſtatum vidi frequenter: pari ſcilicet ratione ac de menſa eadem ſua Epiſcopus tranſcripſit reditus ac prædia in Canonicorum Collegia, & in aliorum Clericorum Eccleſias. Et Diſciplinæ Eccleſiaſticæ veteris peritis notum eſt, quomodo MONACHIS olim communis eſſet ſors cum Clero reliquo; quos EPISCOPI authoritate, munificentia, & benevolentia ſua ſemper impenſe foverunt velut illuſtrem Cleri partem. Lege *diſciplinam* THOMASSINI *part.* 3, *lib.* 2.

94.

94. FUTILE vero eſt argumentum poſtremum. Oportet enim, ubi juris naturalis aut divini præſcripta declaranda ſunt, deſinamus tandem ad facta confugere; quippe cum abſurdum valde ſit velle EX FACTIS JUS conſtituere: quæ ſæpe aut inordinata ſunt; aut obſcura & impervia, ob circumſtantias quæ nos latent; aut aliena a rebus quæ ſolent in quæſtionem venire. De jure conſtituendo nunc agitur; minime autem quæſtio habetur de factis: quæ tamen, quatenus ad rem noſtram ſpectant, eſſe potuiſſe, vel etiam fuiſſe a vitio pura, dabimus libenter, donec de oppoſito doceamur. Sed omnino POSSESSORES jam omnes, ut nunc ſunt, tuetur VETUSTATIS auctoritas & longæva poſſeſſio.

95. TENEAS ergo tanquam certum ac fixum, ſicut laicorum familiis, ita familiis Clericorum & Monachorum & Eccleſiis ſua jura ſuaſque res tueri PRINCIPEM debere, ſeu eundem ſupremam Donatorum ac FUNDATORUM voluntatem relinquere debere intactam; adeoque PRINCIPI eidem nullo titulo licere, temporalia eccleſiaſtica bona ab una eccleſiaſtica ſodalitate transferre ad aliam, vel ad uſus pios alios.

96. Ignoravit autem Leges Naturæ, juſtitiæ ac fidei publicæ Auctor recens (*Conferm. de Ragionam. intorno a' Beni Eccleſ. par.* 2 *pag.* 125), qui varia miſcet in hac re; & ea PRNCIPI tribuit, quæ cum officiis Principis & Patris componi nunquam poterunt.

97. NON EST autem, quod iſtis Juris Naturalis regulis admiſſis, colligat quiſpiam verendum eſſe, ne defutura ſint eccleſiaſtica ſubſidia in cauſis religionis, cum qua plerumque REGNUM quoque periclitatur; ut puta, in bellis adverſus chriſtiani nominis hoſtes & oppugnatores, vel adverſus hæreticos ſeditioſos & turbulentos vel rebelles. Nam contrarium & poſtulat in primis bonorum eccleſiaſticorum natura & indoles, & perſuadet eccleſiaſtica ſuperioris ætatis liberalitas & pietas, quæ extremis etiam conſiliis non pepercit, ut periclitanti cum regno religioni conſuleret. Exempla nec unius REGNI, nec unius temporis commemorare non eſt opus; quoniam ſunt pervagata & eruditis viris maxime nota.



CA-



CAPUT XVIII.

De Jurisdictione ecclesiastica in causis CIVILIBUS LAICORUM & quoad Res Mixtas POSITIONES HISTORICÆ.

1. De jurisdictione ecclesiastica in causis CIVILIBUS LAICORUM & quoad Res Mixtas, & de immunitate CLERICORUM in causis tum civilibus, tum criminalibus, historice scripserunt multi; inter quos placet mihi modo commemorare Bernardum VANESPEN, Claudium FLEURY in Histor. Ecclesiast., Michaelem ROUSELIUM, Anton. Dadinum ALTESERRA, nec plures.

2. Et cum aliorum opera hæc res satis illustrata fuisse videatur; non ego mihi novum hunc laborem sumam, ut ea iterum retexam; sed, quod in *Præfatione* promisi, HISTORICAS ad hanc rem POSITIONES in postremum hunc locum digeram; unde lucem ac normam ii aliquam habeant, qui de Juribus Imperii aut Sacerdotii statuerunt quærere.

3. Educturus autem eas sum ex viro tum modestissimo, tum accuratissimo, & Ecclesiasticæ Disciplinæ veteris summe perito Ludovico THOMASSINO *Discipl. Eccl. Part.* 2, *Libr.* 3, *Cap.* 101 *& seqq.;* summa capita ex magna illa rerum silva in meos usus separans, ac res permixtas revocans ad suas classes; atque ubi res postulat, fontes explorare non prætermittens. Et si quando vel MURATORIUM, vel Natalis ALEXANDRI *Ecclesiasticam Historiam* ex iis Capitibus, quæ sunt de *Politia Ecclesiastica*, vel alios advocavero, hoc non omittam indicare.

4. Videamus primo de Jurisdictione Ecclesiastica in Causis CIVILIBUS LAICORUM & quoad Res Mixtas. Apostolus *in Epistola prima ad Corinthios Cap.* 6 eos redarguit fideles, qui non sine injuria Ecclesiæ ac infamia Religionis Christianæ & Christianorum querelas ac lites suas ad tribunal infidelium deferebant, quasi nulli essent inter Christianos, qui valerent causas fratrum suorum componere.

5. Atque ex hac Apostoli sententia adversus eos, qui causas suas civiles ad infideles Magistratus deferrent, factum est, ut novo curarum genere Episcopi onerarentur, dum fideles LAICI querelas suas ad eos perferebant definiendas; *quibus nos molestiis*, ajebat Augustinus de Opera Monach. Cap. 29, *idem affixit Apostolus, non utique suo, sed ejus qui in eo loquebatur arbitrio.*

6. Est tamen hoc verum, Apostolum huic oneri ipsos nominatim EPISCOPOS non subjecisse. Sed cum ipse subjiciendos eos declaraverit, qui essent eximia & singulari sapientia; pronum fuit, ut a laicis adirentur præ ceteris Episcopi, utpote qui sapientiæ & integritatis fama supra ceteros eminerent. Unde indefinita Apostoli propositio ad Episcopos Clericosque coarctatur. Ita concordabunt, ait THOMASSINUS, quæ alias pugnare videntur, sive Patrum testimonia, sive Ecclesiarum alio & alio tempore decreta.

7. Atque in eo suo officio EPISCOPI erant velut ARBITRI & Parentes, pacis, concordiæ, & charitatis inter fratres conciliandæ ac servandæ imprimis solliciti; a strepitu vero & ambagibus fori sibi caventes.

8. QUOD VERO munus sub infidelibus Principibus gesserant Episcopi in dissidiis fidelium terminandis velut arbitri & sequestri; illud continuarunt etiam, postquam Imperatores facti sunt Christiani. In qua re notæ sunt curæ BASILII, AUGUSTINI, AMBROSII Doctorum & Patrum Ecclesiæ.

9. Et hæc quidem Episcoporum opera adeo Principibus Christianis probata fuit, ut eam Imperialibus LEGIBUS confirmatam voluerint.

10. A quibus hoc etiam vetitum est, ne qui Episcoporum judicium subiissent, a data sententia appellarent.

11. Hac ergo lege ii tenebantur, qui semel Episcopi judicium delegissent. Sed antequam tribunal Episcopi optaverant, integrum erat fidelibus iisdem per leges eas Imperatorum, relicto episcopali foro, causas suas committere foro LAICO.

12. ESSET hic locus alium articulum ponendi, secundum notam illam *Extravagantem primam de episcopali Judicio*, post appendicem Codicis Theodosiani. Sed ab hoc nunc ponendo abstineo lubens; quia disputant Jurisconsulti, an *Extravagans* illa sit supposititia, an non; de qua re post Jacobum GOTHOFREDUM in Codicem Theodosianum quærunt in alerutram partem THOMASSINUS *loc. cit. Cap.* 102, *num.* 1, 2, VANESPENIUS *Jur. Eccles. Par.* 3, *Tit.* 1, *Cap.* 1, *num.* 22 *etc.* Ant. Dadinus ALTESERRA *Vindic. Lib.* 1, *Cap.* 7, & BENEDICTUS XIV *de Syn. Diœc. Lib.* 9, *Cap.* 9, *num.* 9.

13.

13. TAM MULTI autem erant, qui controverſias ſuas ad Epiſcopos velut ad ARBITROS, Paſtores & Patres ſtudio pacis & concordiæ deferrent; ut cogerentur non raro Epiſcopi ætatis illius vetuſtæ, in iſtius oneris partem vocare Archidiaconos, Presbyteros, vel alios Clericos.

14. JUSTINIANUS Imperator *novella Conſtitutione* 86. Epiſcopos præterea donavit auctoritate adverſus ipſos publicos JUDICES, vel pro horum ſupplenda negligentia, vel pro eorundem corrigendis ac coercendis judiciis, vel quoad alia capita circa eos incidentia.

15. In CODICE Juſtiniani ejuſdem tit. *de Epiſcopali Audientia* præficiuntur Epiſcopi inſpectioni mercatorum, & pretii MERCIUM, ut ne pauperes gravarentur; iidemque jubentur Epiſcopi excubare ad executionem auſteriorum quarundam legum, adverſus ALEÆ & aliorum id genus ludorum inſanias promulgatarum; & aliis item poteſtatis partibus inſigniuntur.

16. Epiſcoporum ergo jurisdictionem ſexto ſeptimoque Seculo fuiſſe ampliſſimam veriſſime pronunciat Natalis ALEXANDER *Hiſt. Eccl. Sec.* 6, *Cap.* 6, *Art.* 3, *num.* 9, ubi indicatas LEGES a Juſtiniano partim conditas, partim ex ſuperioribus Auguſtis collectas & confirmatas ipſe pariter profert ac illuſtrat.

17. GALLIARUM etiam & Hiſpaniæ non modo Canones, ſed Leges etiam conſulentes, quæ ab anno quingenteſimo ad nongenteſimum prodierunt, videmus Epiſcopos tum multa tum varia potitos eſſe poteſtate in temporalia Regni, & in Judices publicos: atque vel ipſas Regni leges *venerabilium Epiſcoporum aſſenſu roboratas fuiſſe*, ut habemus in Reſcripto ALARICI Regis Gothorum, per quod Rex Theodoſianum *breviatum* CODICEM promulgat.

18. CETERUM etſi dictum eſt, ab eccleſiaſticis Judiciis exulaſſe ambages, moras, ac formulas moroſiores JURIS civilis; Epiſcopi tamen qui ea exercebant, vel eorum delegati aut arbitri ex norma Legum CIVILIUM ſummam rei tractabant ac finiebant. Hujus ſaltem rei non pauca nobis exempla præbent Epiſtolæ GREGORII Magni. Quamquam & hoc conſtat, ita plerumque Epiſcopos de cauſa cognoviſſe, ut eam componerent magis, quam judicarent; ſic vero temperata quadam concordia parti utrique ſatisfacerent.

19. DEINCEPS CAROLUS M. *in Capitularibus* ſuam fecit Extravagantem illam primam *de Epiſcopali Judicio*, de qua *num.* 12 dictum eſt; ac ut in univerſo Imperio ſervaretur, præcepit.

20. Per eam ergo Laicis omnibus, ſive actores eſſent, ſive REI, fas erat ſuas ad Epiſcopum revocare cauſas temporales, initio litis, vel IN PROGRESSU, INVITA etiam parte alia; nec adverſus ſententiam Epiſcopi erat locus PROVOCATIONI.

21. De hoc ipſo capite agens Natalis ALEXANDER *in Hiſt. Eccl. Sec.* 9 *&* 10, *Cap.* 5, *Art.* 3, *num.* 12, Secularium lites, ait, ad Epiſcopale Forum deferri poterant, & ibi judicari, ſive petitor, ſive POSSESSOR id poſtularet. Quam juriſdictionis extenſionem Epiſcopi CAROLI Magni & Ludovici Pii Imperatorum beneficio conſecuti ſunt, ut conſtat etc.

22. POTERANT vero Laici, ſecundum CAPITULARIA, arbitros judiceſque ſibi deligere non ſolum Epiſcopos, ſed & Presbyteros alioſque Clericos ad qualeſcunque omnino cauſas; etſi iiſdem laicis licebat adhuc in cauſis illis civilibus a laicis ſuis judicibus non deflectere.

23. Spectabat tamen & hoc tempore illa eccleſiaſtica Juriſdictio ad charitatem & concordiam firmandam, vel retinendam inter fideles.

24. Nec forſitan poſt annum Chriſti milleſimum, ait THOMASSINUS, huic juriſdictioni detractum ulla in parte fuiſſet, ſi, ut prioribus retro ſeculis, ita & in his poſterioribus non alia cura fuiſſet, quam modeſtiæ & terrenorum deſpicientiæ infigendæ mentibus litigantium.

25. Teſtabatur tamen Seculo XIV BERTRANDUS Cardinalis occaſione Diſceptationis, de qua poſtea, a CLERO nihil in Synodis Diœceſanis & Provincialibus ſtatui, quod ad temporalia pertineret, niſi quod idem ad æternam ſalutem perneceſſarium eſſet.

26. Hiſce temporibus ſeu poſt annum Chriſti milleſimum ad Forum Eccleſiaſticum trahebantur cauſæ rerum mobilium laicorum, ratione Juramenti interpoſiti, vel Teſtamenti, vel Matrimonii; cauſæ uſurarum, adulterii, ſacrilegii, injuriarum in Clericos, contractuum coram Notario eccleſiaſtico initorum, decimarum; cauſæ miſerabilium, pauperum, orphanorum, viduarum, & aliæ pro regionum diverſitate ac moribus.

27. Ex quo evenerat, ut laicorum, ait THOMASSINUS, longe maxima cauſarum pars, fori eſſet eccleſiaſtici, & non poſſent tunc Epiſcopi non plures habere officiales, qui diviſis in locis ſuæ Diœceſis jus dicerent: qua ex re illis plerumque tunc in Curiis ſecularibus invidia conflabatur.

28. Atque ex hoc ortum habuit nota illa diſceptatio de eccleſiaſtica juriſdictione Seculo XIV habita coram Philippo VALESIO Rege, orante pro Eccleſiaſticis Cardinali BERTRANDO, pro laicis Petro de CUGNERIIS, in

in qua tamen disceptatione Clerus vicit; quoniam in vetere statu cuncta a REGE relicta sunt: etsi jam nobiles judicesque laici grassari tum cæperant in ecclesiasticam jurisdictionem.

29. Et quidem Regni & Ecclesiæ dissidia sub Philippo PULCHRO ortum dedisse his jurisdictionis ecclesiasticæ usurpationibus, simile veri est: sed secundum Ecclesiam, ut dicebam, Philippus VALESIUS postea pronunciavit.

30. Bertrandus autem, inquit Natalis ALEXANDER *in Histor. Eccl. Sec. XIII & XIV*, cognitionem causarum laicorum tum in actionibus personalibus, tum in REALIBUS, Ecclesiæ Gallicanæ asseruit ex consuetudine, ex PRÆSCRIPTIONE, ex privilegio. Ex consuetudine, quæ introducta est etc.

31. Per gradus vero posterioribus sub Regibus Jura Clericorum in causis laicorum CIVILIBUS & Mixtis fuerunt imminuta; etsi nonnulla pristinæ potestatis imago adhuc restabat; donec FRANCISCUS I. Edicto anni 1539 illam labefactavit omnem, coarctata Ecclesiæ in LAICOS jurisdictione ad Sacramenta & alias causas mere spirituales; prohibito ecclesiastico Judice, ne eos in causis mere personalibus adesse coram se juberet.

32. Et quamquam hujusmodi prohibitio temporaria erat, in eaque FRANCISCUS I. jus eorum relinquebat integrum, qui titulo in contrarium aliquo, vel POSSESSIONE niterentur; horum tamen omnium nulla a Parlamentis est habita ratio; & ita temporaria provisio definitivæ ac UNIVERSALIS sententiæ vim obtinuit.

33. In HUNGARIA tamen Mathias Rex anno 1462 ab Episcopis & Optimatibus Regni sui interpellatus Edicto suo hæc Jurisdictionis Ecclesiasticæ capita designavit: nempe causas Sacramentorum, Fidei, Hæresis, Testamentorum, Matrimoniales, & Dotis rerum paraphernalium, necnon Donationis propter nuptias; causas decimarum, usurarum, viduarum & miserabilium personarum; perjuriorum, & *causas, quarum finis tendit ad correctionem peccati;* & eas, in quibus quis incidit in sententiam excommunicationis.

34. Multo vero plura Ecclesiastico Foro permittebat Statutum POLONIÆ Seculo XVI conditum. Sacra certe ibi Jurisdictio, ait THOMASSINUS, tam late propagatur, ut ne prioribus quidem & melioribus Seculis potuerit usquam ulterius exporrigi. Legisse juvabit etiam Natalem ALEXANDRUM *in Hist. Eccl. Sec. XV & XVI, Cap.* 7, *Art.* 2, §. 16.

35. Concludit THOMASSINUS affirmando, ecclesiasticæ in LAICOS & in temporalia jurisdictionis finem scopumque non esse alium, quam pastoralis sollicitudinis explicationem ad animarum salutem.

36. Ideo superius inter varia capita Jurisdictionis sacræ in HUNGARIA inclusæ sunt universim causæ omnes, ubi de MORUM emendatione agitur: *Causæ quarum finis tendat ad correctionem PECCATI.*

37. Ideo contestabatur paullo superius BERTRANDUS Cardinalis, Clerum suis in Conventibus temporalia non attingere, nisi quatenus ad salutem sempiternam interesset.

38. Ideo tantopere certatum est, ut LAICIS integra servaretur facultas sistendi se Judici ecclesiastico, quod ab EXORDIO ea illis optio data esset, ut pietati & religioni consultum esset.

39. Si qui Præsules (pergit THOMASSINUS) postrema hac ætate, hoc est, post annum Christi millesimum, rationes alias, si cupiditates suas duces secuti sunt, proprio id factum est eorum vitio, quo præjudicari nihil potuit sanctissimis & incorruptis ECCLESIÆ regulis. At illis sane authoribus accepta ferenda est CLADES ECCLESIASTICÆ JURISDICTIONIS.



CAPUT XIX.

De immunitate CLERICORUM in Causis tum Civilibus tum CRIMINALIBUS Positiones HISTORICÆ. Adduntur nonnulla de POENIS Ecclesiæ corporalibus, seu de Pœnis CIVILIBUS, quas Ecclesia inflixit vetusto tempore.

1. EX annotato THOMASSINI loco, secundum methodum *Capite superiori* propositam, itemque ex MURATORII *Antiquitatibus Italicis Medii Ævi*, & ex Natalis ALEXANDRI Ecclesiastica Historia dicendum nunc est de Jurisdictione Ecclesiastica in CLERICOS, seu de Immunitate Clericorum in causis tum civilibus, tum criminalibus.

2. Ob quas causas laici fideles a primo Ecclesiæ tempore, & deinceps lites suas ad Episcopos detulerunt tanquam ad parentes & arbitros; ob easdem causas, secundum Apostoli sententiam, id fieri multo magis oportuit a Clericis.

3. Et ut id a Clericis fieret, follicite caverunt Patres & Concilia, pœnis etiam decretis adverfus violatores fanctiffimæ hujus voluntatis Ecclefiæ.

4. NEQUE folum Clericis erat vetitum, alios caufarum fuarum judices feu arbitros quærere quam Epifcopos; fed LAICI etiam per JUSTINIANI Imperatoris leges juffi funt lites fuas ADVERSUS CLERICOS ante committere fententiæ Epifcopi, quam judicio Magiftratuum feculi; quos tum tandem adire licebat, fi non valuiffet Epifcopus caufam terminare, vel fi differret judicare.

5. Si quas autem caufas haberent Monachi vel Clerici ad invicem; dijudicabant eas ac componebant vel Concilia Provincialia, vel, ut Epiftolis GREGORII M. docemur, Epifcopi.

6. Sed fi de CRIMINE vertebatur quæftio, publicum cognoviffe judicem, difcimus ex JUSTINIANO eodem, fiquidem crimen effet civile & commune feu adverfus politiam civilem & publicas Regni fanctiones: fi ECCLESIASTICUM vero effet CRIMEN feu proprium Clerici & contra DISCIPLINAM Ecclefiafticam & Officium Clericale; tunc cognitores erant non alii, quam Ecclefiaftici.

7. Immo & in DELICTO CIVILI per pofteriorem JUSTINIANI Conftitutionem licebat Clericos accufare coram EPISCOPO: a quo convicti deponebantur; tumque illos Judex publicus fecundum leges corripiebat.

8. Quod fi in eodem delicto civili prius Judici publico delati Clerici fuiffent; tum Judex acta communicabat cum Epifcopo, cui fi de veritate judicii conftitiffet, ab eo Clericus deponebatur, a Judice autem pœnis afficiebatur.

9. Sed fi Epifcopo non fatis reus videretur convictus, depofitionem procraftinabat, donec Imperator pronunciaffet.

10. EPISCOPORUM vero cum & dignitas eminentiffima fit & auctoritas; ad judicium vocari eos nefas erat, nifi Epifcoporum, Metropolitanorum, Patriarcharum, five prima cognitione, five per appellationem tam in pecuniariis & civilibus, quam in CRIMINALIBUS caufis, ut nunquam apud Judices laicos conveniri poffent, nifi juffiffet Imperator Ita JUSTINIANI item legibus decretum fuerat. A Regibus GALLIÆ, ait THOMASSINUS, primæ, fecundæ, & tertiæ Dynaftiæ illibatum id privilegium Epifcopis vindicatum eft, etiam in Majeftatis criminibus; ut ne reos ufquam agere eos liceret, nifi in Conciliis ab aliis Epifcopis judicandos. Adde, iis id privilegium vindicatum effe & alibi.

11. Ex CASSIODORI epiſtolis iis, quas nomine THEODORICI Regis ITALIÆ ſcripſit, diſcimus, in hujus Principis Regno PERSONALES Clericorum cauſas, etiamſi ageretur de criminibus, epiſcopali judicio integras fuiſſe ſervandas: ſed reales, quas Laici Clericis intenderent, aut Clerici Laicis, apud publicos Judices ſolitas diſceptari.

12. Recte ergo Natalis ALEXANDER *in Hiſt. Eccl. Sec. 6*: Quamquam Clerici, ait, ſub Regibus GOTHORUM in cauſis perſonalibus pleniſſima immunitate in ITALIA fruerentur; non tamen in cauſis REALIBUS. Illæ enim ad Curiam Principis deferebantur.

Hæc paullo ante JUSTINIANI tempora facta ſunt.

13. In CONCILIIS Gallicanis Seculi VI. prohibiti ſunt CLERICI ad Judices ſeculares quemquam provocare INJUSSU EPISCOPI; prohibiti ſunt & criminis cuiquam litem intendere: permiſſi ſunt tamen provocati accedere ad tribunalia Judicum annuente EPISCOPO.

14. Cautum præterea eſt in iiſdem Conciliis, ne LAICI ipſi Clericos ad tribunalia Judicum vocarent, niſi MONITO ante EPISCOPO. Scilicet præmoneri ſe volebant Epiſcopi de litibus, quas vel Clerici Laicis, vel viciſſim Laici Clericis intenderent coram judicibus ſeculi; ut eas ipſi extinguere ac tollere exorientes poſſent.

15. Alia Eccleſiæ illius Decreta adhuc ultra progreſſa ſunt. Edixit autem CLOTARIUS II. Rex Seculo VII ineunte, ut cauſas CRIMINALES Clericorum conjunctim judicarent judices utriuſque fori, ſacri & civilis; reus vero convictus canonicis pœnis ſubjiceretur tantummodo.

16. Et ſi quæ lites inter Clericos & Laicos extiterint, eæ utriuſque pariter judicis cognitione ſedarentur. Adeſt Edictum hoc CLOTARII *in Tomo 6 Concil. edit. Veneto-Labbeanæ col.* 1392; datumque eſt Anno DCXV, & XXXI Regni ejuſdem Clotarii.

17. Ea Secula, quæ nos hactenus percurrimus, MURATORIUS fere nonniſi intra Italiam ſiſtens, *in Diſſert. LXX Antiquit. Med. Ævi* illuſtrat monumentis ad Regnum LANGOBARDORUM ſpectantibus. Ex quibus hoc videmus (ait), auctoritatem quoque Principis imploratam fuiſſe, quum controverſiæ inter Epiſcopos, vel Clericorum adverſus Epiſcopum ſuum querelæ inſurgerent. Cujus rei CAUSAM opinatur MURATORIUS eſſe petendam ex ſimultatibus ac bellis, quæ diutiſſime viguerunt inter Langobardos atque Romanos, dum Græci Imperatores Romæ nunquam a Langobardis ſubactæ imperarunt.

18.

18. Propterea enim opinari licet (inquit) multos obices in Longobardico Regno fuisse positos legitimæ Romanorum Pontificum & Episcoporum auctoritati in ecclesiasticis negotiis. Profecto (dixerat paullo ante) CLERI JUDICES legitimi a primis Ecclesiæ seculis EPISCOPI fuere. Episcoporum vero Romanus Pontifex, Concilia, Metropolitani.

19. Quamquam est illud addendum, jus Episcopi in judiciis Clericorum in eo plerumque a LONGOBARDIS relictum esse integrum, quod non ipse Princeps examen judicii episcopalis assumeret, sed jussione sua interposita REVISIONEM causæ novam illi ipsi Episcopo relinqueret, qui prius judicaverat. Ita ex MURATORIO.

20. CAROLUS MAGNUS, ait THOMASSINUS, per Capitularia sua pristinæ integritati reddidit CANONES priscos de Jurisdictione Episcopali editos. Secundum hæc ergo CAPITULARIA, si duo litigarent Clerici, quacunque de re ageretur, cognitor esse non poterat nisi EPISCOPUS.

21. In CRIMINALIBUS vero non alium item præter EPISCOPUM sortiri judicem poterant: & ne LAICI quidem Clericos convenire poterant & accusare, nisi coram ecclesiastico judice, qui secundum Canones & LEGES judicare tenebatur pro natura Criminis aut CIVILIS aut Canonici.

22. Et si judex aliqua pœna Clericos constringeret, antequam illos ei Episcopus permisisset; excommunicatione percellebatur secundum eadem CAPITULARIA.

23. HÆC quidem ex Capitularibus desumta pertinent ad causas Clericorum tum civiles tum criminales inter se, & criminales LAICORUM adversus Clericos. Quod vero attinet ad causas Clerici adversus LAICUM; ex iisdem Capitularium Legibus coram judice civili sistere se non poterat Clericus, nisi permittente EPISCOPO, quacumque demum de causa; & universim prohibebatur, ne quemquam in crimen ageret coram judice seculari.

24. At si LAICUS ex causa CIVILI convenisset Clericum coram seculari judice; declinare is non poterat, inquit THOMASSINUS, forum civile; nec poterat Episcopus non id permittere: cum posset quidem LAICUS episcopale forum laico anteponere, non tamen cogeretur; dummodo permissum EPISCOPI præcessisset.

25. Quod permissum EPISCOPI in his postremis etiam causis non ob aliud expectari a LAICO oportuit, nisi ut Episcopus, dum antea admonitus esset, posset ipse dissidium suis in exordiis abrumpere sine moris ac sine strepitu, magis velut parens quam ut judex. Atque huc spectasse existimo Caput octavum Capitularis HERARDI Turonensis Episcopi Seculi IX, *in tomo* I

Capitularium Regum Francor. Baluzii edit. Parif. col. 1287, quo fancitum eft, " ut nullus laicorum quemquam Clericorum ABSQUE PERMISSU EPI„ SCOPI compellat ad caufas ire ad judicem publicum. Et qui fecerit, donec „ corrigat, ab Ecclefiæ focietate pellatur „.

26. CETERUM cum omnium intricatiffimæ illæ fint caufæ, ait THOMASSINUS, ubi Clerici cum Laicis contendebant, excogitatus eft tandem (feu renovatus) conventus judicum MIXTUS, hoc eft, ubi cognitor fedebat Epifcopus; cingebant autem illum LAICI, tum confultiffimi juris, tum probitate fpectati, quos ipfe REX delegiffet. Caufæ CIVILES & pecuniariæ tribunali huic mixto fubjiciebantur.

27. Hæc THOMASSINUS ex Hincmaro: quæ tamen ipfa apertius Natalis ALEXANDER expreffit *in Hift. Eccl. Sec. IX & X*, inquiens: Si lis Clericum inter & laicum moveretur, Epifcopus cum judicibus fecularibus ipfam dirimebat, ut docet Hincmarus.

28. Attamen monumenta ejufdem ætatis, non pugnantem quidem, fed variam hac in re difciplinam repræfentant: & illud docemur, Clericos in caufis perfonalibus, five *civiles* eæ effent, five CRIMINALES, unius Epifcopi fui aut Synodi judicio fubeffe debuiffe.

29. Contra MURATORIUS in memorata differtatione LXX ex fuis Italicis Monumentis collegit, REGES FRANCOS ITALIS imperantes, vel eorum MISSOS, in caufis CRIMIMALIBUS fuiffe ab iis CLERICIS interpellatos, qui fe a proprio Epifcopo læfos effe in judicio putarent. Eofdem vero Reges fecundum eum morem, qui, ut habes *ex num.* 19, fub Longobardis Regibus vifus eft, REVISIONEM caufæ per fuam juffionem illis Epifcopis ipfis commififfe, de quorum priori judicio Clerici conquererentur, cum onere tamen fententiam, quæ fecundo prolata effet, mittendi ad Regem.

30. Commemorat deinde MURATORIUS judicia non pauca, quæ coram Imperatoribus iifdem agitata funt adverfus ecclefiafticos viros, & EPISCOPOS quoque, qui contra honorem regium, eique juratam FIDEM moliti aliquid effent: ac addit, nimis fe in longum abiturum, fi exempla fingula velit percurrere, quæ Hiftoria fuppeditat de actis ab Imperatoribus ac Regibus in Epifcopos, Abbates & reliquum Clerum. Et in iis præterea omnibus recurrere femper ad quæftionem, illane auctoritate legitima, an potius PER VIM ATQUE USURPATIONEM peracta fuerint.

31. Plurima monumenta veterum periiffe: ea tamen pauca, quæ injuriam temporum evafere, fatis prodere, Romanos Pontifices, quibus cura & pro-

protectio omnium Ecclesiarum incumbebant, occurrisse quantum potuerunt, ne sacris hominibus vis inferretur. Et si qui criminum rei forent, eorum causæ a legitimis ECCLESIÆ Ministris dijudicarentur.

32. Fatendum est tamen, aliquando contra hos, qui de violata Regia Majestate convenirentur, ipsorum Regum assensione sententiam latam esse ex Lege, nempe aut decreto Synodi, aut Romani Pontificis judicio.

33. QUOD VERO per multa secula minime negatum Regibus video, inquit ibidem MURATORIUS, minimeque improbatum arbitror: ad Principum & Regum judicium deducebantur LITES CIVILES inter ecclesiasticos viros, aut a secularibus contra hos excitatæ. Id Muratorius confirmat monumentis prolatis, ut solet.

34. Et ex primo quidem judicato, ut ajunt, quod profert, habito anno 833, in causa Episcopi Aretini, & Abbatis S. Anthymi in agro Clusino coram Agiprando Florentino aliisque EPISCOPIS & Missis imperialibus, sic colligit; itaque controversia illa, quamquam inter duas ecclesiasticas personas agitata, judices habuit Missos sive Legatos Lotharii I Augusti.

35. Neque reponas, eos judices Episcopali dignitate ornatos; judicium enim illud non propria, sed delegata ipsius Lotharii Imperatoris auctoritate ii instituerunt, & sententiam tulerunt ..... Segnis vero non fuit Episcopus Aretinus in sibi procuranda illius decreti confirmatione ab ipso Lothario Augusto, uti nos docebit ejusdem Imperatoris Diploma etc.

Aliud deinde monumentum evulgat MURATORIUS controversiæ actæ anno 880 coram MISSIS Caroli Crassi super fundis quibusdam inter Monasterium Ambrosianum Mediolanense, & Augiense in Suevia situm.

36. Proxime vero confirmat, consuetudinem hanc judicandi de CIVILIBUS ecclesiasticorum virorum controversiis subinde amplexos fuisse eos etiam Principes, quibus summa pietas laudem conquisivit omnium bonorum. Ad hanc rem profert MURATORIUS exempla Henrici I. Imperatoris ex anno 1019, tum aliud Mathildis Comitissæ & Ducissæ Tusciæ anni 1106. Et primum quidem judicium est habitum de quibusdam terris coram Anselmo *Misso* ejusdem Henrici Imperatoris, inter Abbatem Monasterii Mediolanensis sancti Ambrosii ab una parte, & Archiepiscopoum Mediolanensem, & Episcopum Comensem, ac Abbatem sancti Kaloceri ab alia. Alterum vero actum est coram ipsa Mathilde inter Episcopum Mutinensem, & Abbatem Pomposianum.

37. Rem absolvit MURATORIUS inserendo, hoc esse inconcussum, pios etiam Reges nequaquam a suo munere alienum putasse, Ecclesiarum, & ecclesiasticorum emendationi ac regimini sese interdum immiscere, atque arbitratos id sibi licere, quodam veluti PROTECTIONIS jure in nobilissimam hanc populi sui portionem.

38. Neque profecto contra hiscebant, aut id moleste tulere Episcopi, aut ipsi Maximi Pontifices, quod perspicerent, eorum curam ac studium in ædificationem, NON IN DESTRUCTIONEM Ecclesiæ vergere: ac tum solum conqueri ac obsistere cæperunt, quum in exuberantem licentiam, atque in nimiam Ecclesiarum PERNICIEM animadverterunt converti consuetudinem istam.

39. Hactenus MURATORIUS de LITIBUS civilibus inter viros ecclesiasticos. Quod enim ad lites civiles attinet LAICORUM contra ecclesiasticos excitatas, de istis nihil eo loco habet, nec monumentum ullum ad eas spectans evulgavit.

40. Cetera vero, quæ ad lites civiles inter viros ecclesiasticos pertinent, ego absque ulla animadversione præteribo: atque hoc unum admonebo, leges non modo ecclesiasticas, verum etiam imperiales seu regales illorum temporum eam sanxisse disciplinam, quæ factis a MURATORIO expositis contraria esse videtur; uti *num.* 20 habes ex THOMASSINO.

41. Sed tandem omnia bene constabunt, si factis illis ea accommodaveris, quæ cum BOSSUETO & aliis consideranda proposuimus *Capite XII, num.* 29 *etc.;* quo loco ostendimus, quam multa vetustis seculis ab alterutra Potestate sint acta, consentiente aut connivente altera; quin tamen, considerata rei NATURA, vel inspecta TEMPORIS DISCIPLINA, inde duci possit argumentum pro juribus statuendis Potestatis alterutrius.

42. Hoc præterea affirmandum videtur, ea, quæ MURATORIUS de litibus civilibus inter ecclesiasticos viros seculo XI & XII acta esse comprobavit; non Ecclesia consentiente fuisse facta, sed CONNIVENTE tantum. Etenim (ut in narranda disciplina pergam cum THOMASSINO) illorum temporum, & posteriorum etiam, frequentes CANONES legimus in Galliis, in Anglia, in Germania, in Hispania & in ITALIA conditos ad munimentum hujus Clericorum immunitatis, ut ne Clerici alteri foro quacunque in causa essent obnoxii, quam Episcopali. Summa erat (ait Natalis ALEXANDER similiter *in Hist. Eccl. Secul.* 11 *&* 12,) Episcoporum jurisdictio seculis XI & XII. Clericorum causas sive CIVILES, sive criminales uni Episcoporum tribunali Canonicæ LEGES reservabant.

43.

43. Iisdemque Canonicis legibus cautum erat, ne sua etiam sponte liceret Clericis ad causas etiam temporales se judici LAICO committere, præterquam (addebant aliqua Concilia) si id eis EPISCOPUS INDULSISSET.

Cum vero Acta vetera a MURATORIO prolata spectent ad lites inter Episcopos & ABBATES, & Abbates quoque illi non secus ac Episcopi essent certe exemti a potestate EPISCOPI Diœcesani; ac proinde in subeundo de controversiis suis judicio, consensu illius non indigerent; fit ex hoc, ut acta illa conciliari cum DISCIPLINA TEMPORIS facile valeant; ideoque non id ex iis consequatur, quod MURATORIUS putaverat consequi.

44. ILLUD vero non alienum a vero existimat THOMASSINUS ex concessionibus Episcoporum, ut vel Clerici coram seculari judice litigarent, vel ut LAICUS Judex Clericis aut contumacibus, aut fugitivis manum injiceret; januam patefactam esse, qua judices iidem etiam citra hujusmodi licentias impetum facerent in immunitates CLERICORUM.

45. Ceterum INNOCENTIUS III. Seculo XIII Prælatos admonebat, ut jus dicere maturarent Laicis, qui Clericos coram ipsis reos egissent; ne exasperati eorum vel morositate vel cessatione Laici Clericos eosdem (quod modis omnibus, ait, prohibendum est) ad forum seculare trahant.

46. Deinde in Concilio CONSTANTIENSI confirmata est Constitutio FRIDERICI II. Imperatoris, qua declaratum fuerat, non posse Clericos a quoquam trahi ad seculares judices, quacunque demum criminali, vel CIVILI de causa.

47. ILLUD VERO diligenter advertendum cum THOMASSINO, Concilia, in primis Gallicana post annum millesimum celebrata, suis in decretis pro Episcoporum tuenda jurisdictione conditis, nunquam aut certe RARO conquesta esse de Regibus eorumve Ministris, utpote qui plerumque Ecclesiæ juribus servandis propitios se præstarent.

48. Ea ergo Concilia de BARONIBUS seu Ducibus ac Comitibus & Dominis ceteris temporalibus minoribus habuerunt frequentissime, quod expostularent; qui scilicet contumeliis Ecclesias lacessebant variis in Regnorum Provinciis, in quibus dominabantur.

49. Regum in primis FRANCORUM pietatem commendat exitus Ecclesiæ propitius celebris illius Collationis habitæ coram Philippo VALESIO Rege ad tuitionem immunitatis Clericorum & jurisdictionis ecclesiasticæ; de qua re dictum est *Capite superiori num.* 28 - - 30.

50. Ergo CARLO IX Rege (non Francifco I, ut per errorem eft apud Vanefpenium) anno 1566 per Edictum MOLINENSE perfonali Clericorum immunitati in caufis CRIMINALIBUS vulnus grave tunc primum in GALLIIS inflictum eft.

51. Cæperat quidem jam ufque ab anno 1539 immunitas eadem per Leges REGIAS minui; eodem fcilicet anno, quo epifcopalis poteftas in caufas civiles laicorum eft labefactata. Verum etfi fauciata tunc eft perfonalis Clericorum immunitas; retinebatur tamen adhuc, ait THOMASSINUS, pene integra & incolumis.

52. Horum edictorum fententiam non refero; quoniam paffim apud Scriptores leguntur: neque modum judicii in Clericos commemoro, qui paullo poft in GALLIIS inductus eft, & qui fert, ut in peculiaribus criminibus Judex tum Laicus tum Ecclefiafticus adverfus Clericum reum cognitores SIMUL fedeant. Late etiam rem hactenus accepi, minus follicitus de fedula diftinctione caufarum civilium quoad Clericos, in reales, perfonales ac Mixtas; de qua re VANESPENIUS *Jur. Ecclef. Univ. Par.* 3, *Tit. I, Cap.* 4, & Francifcus DE ROYE *de Miffis Dominicis Par.* 2, *Cap.* 10: & alia minuta præterii, quæ generalis regulæ ponendæ caufam non præbebant.

53. Illis vero novis edictis expofitis, colligit THOMASSINUS, fupereffe quod miremur, poftquam multis confpirationibus ac plagis impetita eft Clericorum immunitas; non omnem tamen ejus aut reverentiam excuffam effe aut memoriam in edictis faltem REGUM.

54. Nam fi JUDICES feculares ultra Canones & ULTRA EDICTA REGUM progreffi aufique funt aliquid in caufis Clericorum criminalibus, facta ea funt NON JURA; non habent illi, quod fibi gratulentur; habent Clerici, quod ingemifcant. De hac ipfa re conqueftus jam antea fuerat Cofmas GUIMIERIUS in *Pragm.*

55. IISDEM autem fere gradibus, quibus in Galiis, imminuta eft & in Regnis ceteris perfonalis Clericorum immunitas, de qua loquuti fumus hactenus.

56. Novum porro non eft, inquit THOMASSINUS, in rebus ad verfatilem difciplinam fpectantibus aliud alio loco & tempore placere, & frequentari.

57. Ne novum quidem eft, SANGUINEM impendi, & MARTYRII palmam colligi ex defenfione ecclefiafticæ difciplinæ in eo ufu fanctiffimo, qui tum vigeat, & qui alio tempore & loco exolefcat.

Pœnæ

Pœnæ corporales, seu CIVILES, quas ECCLESIA inflixit vetusto tempore.

58. Postremo loco delibemus aliqua ex hac ipsa parte *disciplinæ* THOMASSINI, de pœnis Ecclesiæ corporalibus & temporalibus, seu de pœnis CIVILIBUS quas Ecclesia inflixit vetusto tempore. Scilicet quantumvis paterna esset Episcoporum jurisdictio; pœnarum tamen hujusmodi nonnihil decernebat. Dicamus primo de VERBERUM vindicta.

59. S. AUGUSTINUS in ea fuit sententia, episcopali judicio VIRGIS cædendos esse quandoque reos; cum hic modus coercitionis adhiberi etiam soleat a parentibus in filios, a præceptore in discipulos. Hinc Concilium AGATHENSE verbera & flagella decernit adversus Clericos & Monachos vagos: & in Clerico inferiori eidem pœnæ subjicit ebrietatem; idque & GREGORIUS Magnus postea fecit.

60. Deinceps in Concilio AQUISGRANENSI anni 816 jussi sunt Abbates Canonicorum ea, quæ in regulam committerentur, punire non solum jejuniis in pane & aqua, verum etiam VERBERIBUS.

61. Rex ipse CAROLUS CALVUS in Concilio Suessionensi II. agnovit, Episcopos & eorum officiales in potestate habere, ut rusticos VIRGIS cædi facerent criminis cujuspiam convictos.

62. Ad pœnam EXILII venio. In Concilio V Romano sub SYMMACHO Papa statuta est EXILII pœna in eos, qui in Episcopos conspirassent: nec sola conjuratis indicitur exilii pœna, sed & BONORUM PRIVATIO: & hoc decretum fuisse antiquius significatur, cui nunc solum novus additus est vigor.

63. Nuntio suo mandavit GREGORIUS Magnus *Lib.* 9, *Epist. 66* (in edit. Benedictinor. Lib. 1, Epist. 71), ut Episcopo Paschasio instaret, quo Subdiaconum fratrum calumniatorem gradu dimoveret, publice FLAGELLIS cæderet, EXULARE juberet.

64. EXILII pœnam GREGORIUS ipse indixit ei, qui se defensorem agebat, cum non esset: *Lib.* 10, *Epist.* 47 (nunc Lib. 9, Epist. 62).

65.

65. In HISPANIÆ Conciliis ſeptimi Seculi vel in INFIDELES ipſos pœnam verberationis & EXILII perpetui ſtatutam aliquando vidimus.

66. Videndum modo de pœnis PECUNIARIIS. A priſcis Conciliis præſcriptæ ſunt pœnæ pecuniariæ; quibus minime adverſatus eſt GREGORIUS Magnus, utpote qui non damnavit niſi eorum Eccleſiæ judicum avaritiam, qui paſſim pecuniarias mulctas indicerent, ut Eccleſiæ theſauros congererent ex iniquitate fidelium. Ipſe immo GREGORIUS Magnus *Epiſt.* 31, *Lib.* 12 (nunc Epiſt. 64, Lib. 11) fures affirmavit plecti debere nunc MULCTIS, nunc verberibus. De ECCLESIASTICI autem Præſulis poteſtate & officio ſermo ibi eſt.

67. Uſitatæ vero fuerunt pœnæ pecuniariæ præcipue poſt annum Chriſti milleſimum: in quo cavit Eccleſia latis legibus, ut omnis avaritiæ ſuſpicio longe ab eccleſiaſticis judicibus arceretur.

68. DE MORE priſcis Paſtoribus ac Patribus uſitato recludendi pœnitentes ac reos vel in monaſteria vel in alia ſecreta loca, nihil hic placet dicere. Huic tamen mori affinis eſt uſus CARCERIS eccleſiaſtici. A GREGORIO Magno *Lib.* 8, *Epiſt.* 5 (nunc Lib. 10, Epiſt 4) juſſus eſt Apoſtolicus Nuntius infandum quemdam Presbyterum in arctum contrudere CARCEREM.

69. Januario Calaritano Epiſcopo ab eodem Pontifice *Lib.* 7, *Epiſt.* 67 (nunc Lib. 9, Epiſt. 65) mandatum eſt, ut reſiduos Sardiniæ IDOLOLATRAS, SORTILEGOS, & hujuſmodi ceteros CARCERE & pœnitentia puniret, ſi ingenui eſſent; ſlagellis etiam, ſi ſervi.

70. CARCERIBUS & exiliis in Clericos, & in Presbyteros animadvertiſſe Concilia & Præſules HISPANIARUM idem GREGORIUS Magnus alibi obſervat.

71. Voluit tamen *in Epiſt.* 34, *Lib.* 10 (nunc Epiſt. 31, Lib. 12), ut Archiepiſcopus Juſtinianæ primæ in Paulum Epiſcopum humanius aliquid conſuleret, eumque in Monaſterium conjiceret, ubi in reliquum vitæ tempus pœnitentiæ addiceretur.

72. Decrevit Innocentius III, ut qui Clerici facinoroſi in Monaſterii carceres contrudi non poſſunt, ii detrudantur in carceres epiſcopales. In Concilio Lambethenſi Provinciæ Cantuarienſis anno 1261 ſtatutum fuit, ut atrociora illa crimina, quæ leges civiles morte plectunt, carcere perpetuo ab Epiſcopis vindicentur.

73. Majorum ergo criminum rei in perpetuum carcerem conjiciebantur, jejuniis ibi, aliisque carnis afflictationibus reliquo vitæ tempore macerandi; uti Innocentius III & Bonifacius VIII suis in decretis declarant.

74. Ex quibus liquet (colligit THOMASSINUS), quæcunque pœnæ ab ecclesiastico judice infligebantur, eas verissimas fuisse pœnitentias; quibus si qui inviti & repugnantes subjiciantur, penes ipsos culpa est. Augustinum Angliæ Apostolum jam pridem edocuerat GREGORIUS Magnus (Epist. 64 cit. Lib. 11), qui esset Clericorum sensus, qui animus, ubi acerbiores in reos pœnas decernunt. Charitate sæviunt, non ira: castigant, quia amant, & temporali pœna cupiunt æternos ignes extingui.

75. Hoc tamen verum est, in vetustis monumentis DUO POENARUM GENERA aperte secerni, quarum aliæ medentur, ait THOMASSINUS, aliæ cruciant, etsi reapse & medeantur & crucient utræque.

76. Postquam idem THOMASSINUS multa subinde seu per intervalla congessit monumenta ad ecclesiasticas temporales seu CIVILES POENAS spectantia; sic tandem colligit: Habes hic ergo in pœnis Canonicis MULCTAS pecuniarias, proscriptiones BONORUM mobilium, SERVITUTEM, exilium perpetuum, perpetuum CARCEREM, cum aliarum pœnarum cumulo, quas arbitrio suo poterat Judex ecclesiasticus decernere. Video non omnes has pœnas in CLERICOS fuisse designatas. Sed nemo nescit potiori jure & authoritate in Clericos quam in LAICOS Præsules fuisse. Hæc ille.

77. EA, QUÆ ad pœnas Ecclesiæ corporales & CIVILES spectant priorum Seculorum, paucis verbis complexus est omnia Natalis ALEXANDER *in Histor. Ecclesiast. Seculi VI, Cap. 6, Art. 3, num. 9 scribens:* In foro ecclesiastico non MULCTÆ tantum pecuniariæ, sed pœnæ CARCERIS, EXILII, VERBERUM, SERVITUTIS adversus reos decernebantur.

78. Id ex Epistolis GREGORII Magni compertum est; & ex Conciliis Galliæ, AGATHENSI, Aurelianensi quarto, Matisconensi primo, Narbonensi; & ex Conciliis HISPANENSIBUS, Emeritensi, Toletanis undecimo, & decimo sexto. Ista Natalis ALEXANDER.



CAPUT XX.

De Immunitate Redituum & AGRORUM Ecclesiæ, POSITIONES HISTORICÆ.

1. JAM tandem devenimus ad ultimum hujus *Commentarii* Caput seu ad axiomata historica, repræsentantia origines, progressus ac vicissitudines Immunitatis TERRARUM ac bonorum Ecclesiæ.

2. Latissime in hoc argumentum excurrit Ludovicus THOMASSINUS *Discipl. Eccles. Part.* 3, *Lib.* 1, *Cap.* 33 -- 48, e quo potissimum hæc nostra mutuaturi sumus; adjungentes ei tamen in societatem MURATORIUM, Natalem ALEXANDRUM, & forte alios; fontes quoque non raro dispicientes, ad proponenda cuncta vere, definite, ac quantum licet, perspicue.

3. Rebus & fundis Ecclesiæ immunitatem a TRIBUTIS, seu, ut Natalis ALEXANDER loquitur, ab OMNIBUS oneribus publicis concessit magnus CONSTANTINUS per legem, quæ extat *in Codicis Theodosiani Lib. II, Tit.* 1, *Cap.* 1.

4. Ex hac autem & aliis præterea CONSTANTINI Magni legibus Natalis ALEXANDER *in Hist. Eccl. Sec. IV* merito colligit duplicem immunitatem a Constantino Magno concessam; unam Clericorum personis, alteram Ecclesiarum possessionibus.

5. Etsi autem Constantinus sua lege agros Ecclesiæ prorsus immunes fore sanxit; plerique Successorum eam immunitatem revocarunt ad onera extraordinaria; uti sunt instauratio viarum militarium & pontium, evectiones frumenti & similium specierum fisci vel exercitus, hospitium militibus præbendum, equorum vel militum collatio, mœnium refectio & alia.

6. Ex Lege tamen, quam soli VALENTINIANO III. THOMASSINUS & ALEXANDER tribuunt, ea quæ dicebantur onera extraordinaria, facta sunt ordinaria, ex quo illud emérsit, ut illis Eccesiæ quoque subjicerentur.

7. Itaque VALENTINIANUS III. (ut cum Natali ALEXANDRO in *Hist. Eccl. Sec. V* dicam clarius) nequidem ab extraordinariis contributionibus immunes Clericos esse voluit; quas nomine *munerum sordidorum* perperam appellatas dixit.

8. Jam ergo fere Clerici non nisi PERSONALIBUS fruebantur immunitatibus; id est, soluti erant ab omnibus muneribus personalibus, utpote quæ ipsorum præsentiam vel operam quoquo modo postularent. Itaque tunc illis ea solum permissa est immunitas, quam PERSONALEM dicunt.

9. At JUSTINIANUS Imperator fundos Ecclesiæ iterum extraordinariis exactionibus subduxit, præter eas, quæ ad viarum & pontium reparationes destinarentur.

10. Quam vero immunitatem a tributis largitus est CONSTANTINUS Magnus prædiis Ecclesiæ, eadem nunquam ipse invenitur donasse PATRIMONIALIA Clericorum BONA; quæ quidem nondum dissectis Ecclesiarum possessionibus sola in ipsorum erant potestate & privata administratione.

11. Et sub Successoribus etiam Imperatoribus constat Clericorum PATRIMONIA & HÆREDITATES, ait THOMASSINUS, oneribus publicis subjacuisse saltem ordinariis, extraordinariis tantum summotis. Paria habet Natalis ALEXANDER.

12. Ceterum eodem fere Justiniani Imperatoris tempore CLODOVÆUS Rex immunitates non modo personarum, sed etiam RERUM Ecclesiis non paucis suo in regno a se ipso ditatis concessit: quas, & alias a Successoribus Regibus multis Ecclesiis passim concessas, modo ampliores, modo restrictiores flagitabat GREGORIUS M. religiose servari *in Epist.* 115 *Lib.* 7 (in edit. Benedictinor. epist. 110, Lib. 9).

13. Nec in controversiam trahi potest, ait THOMASSINUS, hoc flagitando, jure suo usum fuisse GREGORIUM, quamquam a Regibus aliis, vel Imperatoribus non tam largæ profectæ essent libertates, saltem quod agros Ecclesiæ attinet.

14. Scilicet (ut sapienter a Natali ALEXANDRO dictum est *in Hist. Eccl. Sec. VI*) non mirabatur S. GREGORIUS Ecclesiarum prædia tributis esse obnoxia, quasi id per se & absolute iniquum esset; verum PRIVILEGIORUM Gallicanis Ecclesiis a Christianissimis Regibus concessorum nullam haberi rationem, prudentissimus PONTIFEX mirabatur.

15. Quæ de Galliis ſignificavimus, ſi Rebus HISPANICIS addantur, apparebit ſexto & ſeptimo adhuc Seculo Immunitatem *Realem* non ita univerſim obtinuiſſe, ut ea omnes Eccleſiæ potirentur.

16. Etenim ex Conciliis nonnullis HISPANIARUM ſexti & ſeptimi Seculi diſcimus, immunitatem, qua Clerici univerſim fruerentur, non ultra perſonas progreſſam eſſe, ſi PAROCHOS forte excipimus; his enim, ut videtur, Realis etiam Immunitas vindicabatur: ubi ſcilicet eorum Eccleſia fundo potiretur proprio, & a menſa epiſcopali diſtincto. Pro hac re legas præſertim Canonem quintum Concilii Toletani XVI anno 693 habiti *in Tomo ſecundo Concilior. Hiſpaniæ Joſephi Card. de AGUIRRE pag.* 741, & EGICANIS Regis poſtulationem ad idem Concilium *ibid. pag.* 736, ſeu in Tomo 8 Concilior. Edit. Venet. Colet. col. 52 & 61.

17. POSTREMO immunitatem rerum & agrorum Eccleſiæ numeris omnibus complevit CAROLUS MAGNUS, qui poſſeſſiones Eccleſiarum ab omni exactione in poſterum fore liberas declaravit, niſi ad reſtitutionem viarum & pontium poſſeſſionibus iiſdem contiguorum. OMNIA Eccleſiæ prædia & poſſeſſiones, ait Natalis ALEXANDER *in Hiſt. Eccl. Sec. IX & X*, a publicarum exactionum oneribus immunes conſiſtere Chriſtianiſſimi Reges edixere. Id conſtat ex CAPITULARIBUS etc.

18. Ex quibus ſequitur, eos falli, qui immunitatem a CAROLO M. conceſſam, non ultra unius MANSI limites ſe protendiſſe opinantur; id eſt, non ultra certam terræ portionem quatuor circiter modiorum ſementis & quatuor ſervorum.

19. Et ſane, ubi in CAPITULARIBUS Regum Francorum MANSO hujuſmodi plena aſſeritur exemtio; non ibi de Regum vectigalibus agitur: ſed jura abrogantur peculiarium Dominorum ſeu TOPARCHARUM in ſervos & in ſervitia, quæ ex ſervitutis uſitato tunc temporis onere fuiſſent illis præſtanda ex terris Eccleſiæ. Ab iſtis ergo juribus MANSUS Presbyteralis, qui ſolus aliquando erat Parochi patrimonium, liberatur.

20. ADDUNT tamen THOMASSINUS, VANESPENIUS *Jur. Eccl. Univ. Part.* 2, *Tit.* 35, *Cap.* 1, *num.* 29-30, & Natalis ALEXANDER *in Hiſt. Eccl. Sec. IX & X*, poſt hanc generalem a Francis Regibus Immunitatem tributam Eccleſiis, declaratum ab iiſdem fuiſſe (prout in Collectione CAPITULARIUM videre licet), ſi NOVA PRÆDIA ſibi comparaſſet Eccleſia, quæ fuiſſent hactenus oneribus publicis obnoxia, iiſdem ipſam deinceps ſubjici debere, niſi peculiari Regum conceſſione ab oneribus illis abſolveretur.

21. Erant ſcilicet, inquit THOMASSINUS, prædia nobilia, liberaque omnium prorſus onerum; quæ ſi adjicerentur Eccleſiis, pari immunitate obtinebantur.

22. SED MURATORIUS *Antiquit. Italicar. Medii Ævi Diſſert.* 19, *Tom.* 2, *col.* 5 - - 8 negat, in indicatis CAPITULARIUM Legibus rem eſſe de terris, quæ tributis publicis ſeu communibus eſſent obnoxiæ; affirmatque ibi de iiſdem terris agi, quæ de publico fuiſſent conceſſæ alicui, tanquam COLONO, ſub onere ANNUI CENSUS, ſeu CANONIS; ita ut *terra tributaria* idem eo in loco ſignificet ac *terra cenſualis;* ex quo vides, negari merito poſſe, Eccleſias Francis Imperatoribus tributa publica pependiſſe de terris recens ſibi comparatis, etiam de illis, quæ ea tributa hactenus ſolviſſent.

23. CETERA vero, quæ de Immunitatis Realis origine propoſuimus cum THOMASSINO, ſunt illi conſona, quæ eo de capite docet idem MURATORIUS in *Diſſertatione LXX Antiq. Italicar. Tomo* 5, *col.* 936 *etc.*

24. Quo in loco admonet primo, cogitandum non eſſe ſine ullo diſcrimine olim immunes omnino a tributis publiciſque oneribus fuiſſe quaslibet ſacras perſonas, ac univerſas Cleri & Eccleſiarum fortunas, ex quo CONSTANTINUS Magnus Eccleſiæ pacem reddidit. Serius, ait, indulgentiam Principum hac in re eccleſiaſtica militia ſenſit.

25. Admonet ſecundo, iis temporibus, quando Eccleſia donata eſt hac immunitate, fundis quidem Eccleſiarum conſueviſſe immunitatem concedi, ſed PATRIMONIALIBUS Clericorum bonis indulgentiam eamdem aliquando eſſe negatam.

26. Eruditiſſimus THOMASSINUS (addit MURATORIUS) nonnulla Francorum Regum CAPITULARIA laudat, quæ ſatis indicare videntur, a publicis oneribus ac ſervitiis exſolutos fuiſſe non ſolum Clericos univerſos, quod eſt ad eorum perſonas, ſed & omnium Eccleſiarum bona. Idem ante eum oſtenderat doctiſſimus BIGNONIUS in Notis ad Libr. 1, Cap. 3 Marculphi.

27. Idque in ITALIA fuiſſe obſervatum, & ego (ait MURATORIUS) evincere mihi poſſe videor ex Lege promulgata a LUDOVICO II. AUGUSTO anno Chriſti 855 in Ticinenſibus Comitiis, quam Longobardicis addidi Part. 2 Tomi Rer. Italicar. pag. 158. Sunt hæc illius verba etc.

28. Recitat MURATORIUS iſtius Legis verba: ac deinceps nonnulla profert ac expendit, quæ contra hanc de univerſali Eccleſiarum Immunitate ſententiam facere videbantur: inter quæ erat illud primum, quod occurrant nobis Regum ac Imperatorum diplomata ex Seculis decimo & undecimo, e quibus doceamur, illam ipſam immunitatem adhuc iis Seculis petitam fuiſſe in gratiam particularium Eccleſiarum, ac per eos Principes conceſſam.

29. Nam ſi Eccleſiæ in ITALIA conſtitutæ UNIVERSALI Lege per LUDOVICUM II. Auguſtum a fiſci jurifdictione, inquit MURATORIUS, abſtractæ erant, & a quibuſcunque oneribus publicis immunes; cur quælibet Eccleſia privilegium ſibi ab Imperatoribus ac Regibus conquireret? immo cur ipſorum privilegiorum confirmationem a ſingulis novis Auguſtis Regibuſve certatim quiſque expoſcere atque impetrare conſuevit? Hoc ergo maxime ſibi objicit MURATORIUS.

30. Quæ ut invicem conciliet; declarat, eam ſibi probari conjecturam; generali quidem lege collatam Eccleſiis fuiſſe Immunitatem, ſed ea conditione, ut novos quoſque Reges, uti privilegii auctores, Epiſcopi, Abbates, ceterique Clerici agnoſcerent, non ſecus atque fiat a Vaſallis ſecundum Leges feudales. Nam etſi Feudum aliquod deferatur non primo tantum acquirenti, ſed & omnibus ejus deſcendentibus: ſinguli tamen deſcendentes novam a novo Principe ſive Seniore inveſtituram petere jubentur. Hactenus ex MURATORIO.

31. DIXERAT jam idem MURATORIUS ſub initium loci annotati, vix ullam unquam tam amplam Immunitatem ab oneribus publicis ac tributis conceſſam eſſe alicui Eccleſiæ, ut nulli vel ordinariæ vel extraordinariæ functioni ſacra loca obnoxia relinquerentur.

32. Hæc vero ego referri in primis poſſe video ad Eccleſias eas, quæ FEUDIS, DOMINIIS, Juribus REGALIBUS donatæ per Principes ſuos fuiſſent. Nam cum feuda, dominia ac jura regalia partes ſint ex regali menſa deciſæ, unde fiſco multum emolumenti accedebat; ita quæcunque horum in Eccleſiam transferrentur, ſine ulla controverſia antiquis patebant oneribus.

33. Hinc extiterunt DONA ANNUA, quibus tum Magnates LAICI, tum non pauci ditiorum Monaſteriorum Abbates, & Epiſcopi potentiores, medio ævo proſequi Reges Galliarum & Germaniæ Imperatores debeant. Etſi pretium vel modus horum donorum primo in cujuſque voluntate & delectu poſitus fuit.

34.

34. Immo ipſa dona primo tempore fuiſſe videntur libera, non vi & neceſſitate expreſſa; quod ex Concilio Vernenſi colligit Natalis ALEXANDER *in Hiſt. Eccl. Seculi octavi.* Monaſteria, ait, octavo Seculo munera Chriſtianiſſimo Regi dabant, quæ Pippini Regis tempore ſua ſponte offerebant Abbates & Abbatiſſæ, contra vero pauperibus Monaſteriis, & propter inopiam diſciplinam Regularem ſervare non valentibus, REX eleemoſynis ſuis ſuccurrebat, monentibus Epiſcopis.

35. Deinceps vero modus iſte ac menſura DONI ANNUI fuiſſe videntur definita. Hæc dona annua, ait MURATORIUS *in laudata Diſſertatione* 70, peragebantur oblatione unius aut plurium equorum, lanceæ, ſcuti etc. Nominatim autem ex diplomate a Ludovico I. Germaniæ Rege, dato pro Monaſterio S. Galli anno 854 merito MURATORIUS colligit, uſitatum fuiſſe, ut quiſque Abbas, quotannis Regi dona daturus offerret equos duos cum ſcutis & lanceis.

36. Haud ſcio, an aſſentiri debeam ALTESERRÆ, viro in Antiquitatis ſcientia nominatiſſimo, qui ex nonnullis priſcis monumentis ſibi viſus eſt colligere, ANNUA hæc DONA perſolvi Regibus debuiſſe pro ADVOCATIA, ſeu pro illo Patrocinio, quod adverſus bonorum eccleſiaſticorum invaſores Reges præſtabant Eccleſiis. Ita ſenſit ALTESERRA *de Ducib. & Comitib. Lib.* 1, *Cap.* 6. Hoc ego quidem video poſſe dici, lapſu temporis hunc quoque defenſionis Regiæ titulum fuiſſe annuis illis donis ſubſtratum.

37. EX IISDEM FEUDIS & Dominiis in Eccleſias collatis ortum, aut ſaltem incrementum & firmitatem habuit Jus Metatus, ſeu HOSPITII, quod iter facientes REGES, vel eorum Palatini Regis nomine repoſcebant ab Epiſcopis & Abbatibus Seculis nono, decimo, undecimo & duobus ſequentibus in GALLIIS, & aliquando in ITALIA.

38. Ceterum ab humanitate primum & ſpontanea hoſpitalitate, inquit THOMASSINUS, profectum non injuria videri poſſit jus METATUS, quod lapſu temporis non ſemel oneroſum ac permoleſtum fuit.

39. Hoc vero quod per conjecturam dicit THOMASSINUS, officium iſtud ab humanitate primum & ſpontanea hoſpitalitate profectum videri; id re & exemplis certum facit ALTESERRA *de Ducib. & Comitib. Galliæ* Lib. 1, Cap. 16, quod inſcribitur *Jus Metati in Epiſcopiis.*

40. At poſtero tempore, inquit THOMASSINUS, jus iſtud ſive hoſpitii, ſive procurationis Regum, innixum maxime fuit largitioni Principum, qui variis FEUDIS Eccleſias donaſſent. Inde erat enim, quod non omni-

omnibus tum Ecclesiis, tum Cœnobiis id oneris impositum esset, quod non in omnes tanta se Regum largitas effudisset.

41. Cum istud vero officium in Reges, eorumque Missos, uti indicavimus, non sine ingenti sumptu præstaretur; propterea (ait MURATORIUS *in eadem Dissertatione LXX*) diligentissime in ITALIA curabant Episcopi & Abbates, ut quum privilegia exposcebant, gravissimo isto incommodo exonerarentur, disertisque verbis immunitatem ab eo Diplomata Regum atque Augustorum sonarent. Innumera sunt, quæ ejusmodi Immunitatis mentionem faciunt. Ego duo tantum adferam etc.

42. EODEM maxime ex fonte FEUDORUM ac Dominiorum manavit onus subministrandæ Regi MILITIÆ, cum imminentia bella id poscerent. Nec subministrandæ tantum, sed ejusdem etiam deducendæ ad regios exercitus; sive Abbates essent saltem ex potentioribus, sive Episcopi, aut Archiepiscopi; vel saltem mittendæ per suos Vasallos & vicarios Præfectos.

43. Gallias enim potissimum, & Germaniam, Italiamque suo complexus Imperio CAROLUS MAGNUS, inquit THOMASSINUS, tantum opum in harum Provinciarum ECCLESIAS, tantum latifundiorum & FEUDORUM in Episcopos & Abbates effudit, ut pene necessarium fuerit, ab Episcopis ipsis & Abbatibus copias eas regiis exercitibus suppeditari, quibus ea latifundia jam OLIM erant obligata.

44. Et in GALLIIS quidem huic se vitio obnoxii fuerunt ecclesiastici Proceres una cum LAICIS Magnatibus sub secunda Regia Stirpe, & deinceps usque ad Seculum decimum quartum.

45. Hoc enim Seculo cum DECIMÆ, inquit Thomassinus, aliæque pecuniariæ exactiones (de quibus dicam non multo post), longe cœpissent esse frequentiores; rarius etiam miles Prælatis colligendus fuit, & totum illud denique MILITIÆ onus evanuit. Multoque expeditius fuit cum Regi, tum Clero, ut militem conscriberet Rex ipse, expensas vero a Clero exigeret, decimis vel donis ejusmodi aliis gratuitis exolvendas.

46. Si ad primam vero moris istius in GALLIIS orignem respicimus; facile persuademur, nec Carolum MARTELLUM, nec PIPINUM, ut idem THOMASSINUS ait, authores ejus primum MILITIÆ fuisse, quam Ecclesia aleret ad augendam REGI militiam; sed ipsos Episcopos ejus instituti Principes & Duces præivisse, ad Ecclesiarum, ad rerum Cleri, ad sacri patrimonii, ad Clericorum tutelam.

47.

47. In ANGLIAM Gallicanas consuetudines trajiciens Willelmus Nothus anno 1066, seu potius veterem morem, qui Seculo X & hoc ipso undecimo ante Willelmum in Anglia obtinuisset, restituens; episcopalibus Ecclesiis omnibus & cœnobiis, pro mensura & numero terrarum ac BARONIARUM (uti THOMASSINUS loquitur), numerum indixit MILITUM, quos Regio adjicerent exercitui.

48. Episcoporum præterea illorum fidei eæ ARCES, eaque CASTRA & munimenta committi consueverunt, in quæ primum & potissimum vis hostilis impetum factura esset. Non enim tutius se conquiescere REGES existimabant, ubi de re maxima ageretur, quam in ECCLESIÆ Præsulum diligentia, & religione in Regis negotia & fide.

49. Militare autem hoc servitium Anglorum Præsulum diutius aliquanto perduravit quam in Galliis: ac soli Abbates videntur fuisse exemti ab officio ducendi per seipsos ad exercitus copias militares; quas mitterent tamen propriis sumptibus.

50. Recepti hujus moris ecclesiasticæ MILITIÆ exempla ITALIA quoque vidit Seculis nono, decimo, & post annum etiam millesimum; prout ex MURATORIO discimus *Antiquit. Italicar. Medii Ævi Dissert. XXVI tom.* 2, *col.* 446 -- 451. Vetustis seculis, inquit MURATORIUS, potissimum CAROLO MAGNO regnante, & deinceps ad secularis MILITIÆ onus Episcopi & Clerici compellebantur, *quod jam multis REGALIBUS fruerentur, & ad Vasallorum onera crederentur obstricti.*

51. A Seculo nono ad decimum quintum HISPANI Ecclesiastici Proceres iisdem moribus, adjuvandi comitandique Regis cum suis MILITUM catervis, sese accommodarunt.

52. Hispaniæ sane Præsules, aliique viri ecclesiastici, inquit Natalis ALEXANDER *in Hist. Eccl. Sec.* 15 *&* 16, ab onere MILITIÆ nondum erant immunes ac liberi Seculo XV, ut colligitur ex Concilio Toletano anni 1473, Canone 15, cujus hæc sunt verba etc.

53. Sed omnium serius GERMANIA, POLONIA, HUNGARIA, solutæ sunt hac servitute: suosque MILITES post Seculum decimum quintum ecclesiastici Magnates sin deducebant ad Imperatoris exercitum, mittebant saltem adhuc, belligeranti Principi opitulaturos. Immo GERMANIÆ, Poloniæ & aliorum septentrionalium Regnorum Prælati, inquit THOMASSINUS, iisdem etiam nunc vinculis constringuntur.

54. CETERUM ubi de FEUDIS & DOMINIIS mentio fit a THOMASSINO in locis hactenus indicatis; non semper postulari puto (in primis si antiquiora spectentur tempora), ut hoc *Feudi* nomen sumatur pro feudo sive beneficio, ut ajebant, cum Principatus juribus, seu cum jure quasi nativo aut proprio superioritatis, ut dicimus, ad vitam, in destinatas Provincias aut urbes; vel, prout posteri ut plurimum acceperunt & definierunt, pro FEUDO, juris privati, cum dominio UTILI perpetuo & hæreditario in Re immobili, Urbe, Castro, Comitatu, Marchia, Ducatu; & cum publica dominatione seu cum jurisdictione omnimoda, & cum mero & mixto imperio (sub obligatione fidei & militaris etiam obsequii, erga Dominum DIRECTUM) vel etiam cum Juribus REGALIBUS majoribus, iis scilicet, quæ gubernationem, defensionem, & statum ipsum Reipublicæ concernunt.

55. Itaque nomen FEUDI (quantum ad antiquiora tempora attinet), in latiori significatione & pro prædiorum fiscalium possessione cum proprietatis juribus & cum jurisdictione quasi patrimoniali, sub lege fidei & servitii militaris, vel pro feudo cum solis REGALIBUS minoribus seu cum possessione proventuum aliorumque commodorum & jurium Regii Fisci, cum inferiori jurisdictione; vel pro præfectura, administratione, defensione precaria seu temporaria accipere aliquando licebit: vel etiam pro pleniori immunitate a Regiorum Administrorum jurisdictione, ac pro ampliori libertate inter subditos ceteros: vel pro dignitate inter Proceres ac insigni potestate in rem Imperii; quam dignitatem potestatemque ecclesiasticis Præsulibus affluentia opum, quam sanctitas & rerum gerendarum prudentia comitabatur, conciliaverat.

56. Quæ in gratiam eorum pono, qui lites movere hoc loco possent, ab origine dominiorum ac FEUDORUM, quibus modo utimur, Episcopalium præsertim, argumentum desumendo; etsi hanc originem adhuc esse obscuram, colliget forte quispiam ex Eruditorum ea de re dissidiis.

57. Istis, quæ duxi adnotanda, verbis tamen in tanta FEUDALIUM morum varietate non valde sollicite dimensis, lucem plenam præbebunt MURATORIUS *Antiquit. Italic. Dissert. LXXI, in Tomo 6, & Dissert. XI in Tomo* 1, Georgius Adamus STRUVIUS *Syntagm. Jur. Feud. Cap.* 1 *&* 6; Joannes HEINECCIUS in Exercitat. de Locatione, Conductione Jurisdictionis *Oper. edit. Genev. noviss. tom.* 2, & in Responso Jurisprudentiæ publicæ & Feudalis ornamentis refertissimo, quod anno 1739 ad petitionem Partis dedit *de Quæstionibus quibusdam ad Feuda Langharum, Sardiniæ Regi ab Imperatore anno* 1736 *cessa pertinentibus;* quod nunc prodit in Supplemento Operum Heineccii edit. noviss. Genevensis memoratæ: demum THOMASSINUS

ipse

ipſe *Diſcipl. Eccl. Part.* 3, *Lib.* 1 *cit. Cap.* 26 - - 28; ut prætermittam Anton. Dadinum ALTESERRAM *de Ducib. & Comitib. Lib.* 1, *Cap.* 4 & 5, & *Lib.* 2. Hiſce adnotatis pergimus ad reliqua.

58. NON EST etiam improbabile, ea ipſa FEUDA & Dominia, Juraque Regalia in Eccleſias collata viam ſimiliter aperuiſſe, vel colorem ſaltem aliquem præbuiſſe exactioni DECIMARUM extraordinariarum, quoties res Principis id poſceret. Exactio certe illarum frequentior ſuffecta eſt in locum onerum ceterorum FEUDALIUM; uti explicandum clarius eſt poſtea.

59. Prætermitto hic alios DECIMARUM petendarum titulos, quos inter non ultimum locum obtinet tuitio, quam Reges armis & auctoritate præſtare oportuit Eccleſiis adverſus ſacrilegos bonorum eccleſiaſticorum invaſores.

60. Decimarum antiquiſſimæ videntur SALADINÆ, ad bellum inſtruendum adverſus Saladinum Sarracenorum Principem Seculo XII petitæ. Non Clericis tamen duntaxat, inquit recte Natalis ALEXANDER *in Hiſt. Eccl. Sec. XI ac XII*, ſed LAICIS etiam impoſitum fuit hoc onus ad annum tantum, CUM ASSENSU CLERI, & propter inſtantem neceſſitatem, teſte Rigordo etc.

61. Decimæ autem cum primo de Cleri conſenſu ſolverentur; Seculo XIII Romanus Pontifex interpellari cæpit, quo facilius, Auctoritate Pontificia accedente, conſenſio CLERI poſſet elici: quod tum maxime fiebat, quando pia aderat cauſa adornandi belli, præcipue pro Eccleſia, vel adverſus hoſtes Nominis Chriſtiani.

62. Immo aliquando Regali & Pontificia Poteſtate conveniente, non magnopere de aſſenſu CLERI laborabatur.

63. Prodiit vero anno 1418 Concilii CONSTANTIENSIS Decretum (*Concilior. tom.* 16, *col.* 774 *edit. Venet. Colet.*), quo declaratum eſt, ut cum flagitaſſet Rex, cum aſſenſus fuiſſet Papa, deſideraretur adhuc CONSENSUS Epiſcopi & CLERI.

64. PER frequentem decimarum ſolutionem factum eſt, ut quæ extraordinariæ primo haberentur, ANNUÆ deinceps evaſerint.

65. Et Seculo quidem XIII inclinante in GALLIIS iſtæ annuæ decimæ invaleſcebant ſenſim; nulla equidem lege, ſed uſu & frequentia petendi illas & impetrandi a Clero & a Romanis Pontificibus; donec Seculo XVI medio ſolutio earum cæpit in contractum, quolibet decennio in poſterum renovandum, deduci inter Clerum & Laicos; adeoque decimæ, quæ hactenus ut ſubſidium extraordinarium habitæ fuerant, factæ ſunt ordinariæ.

66. Atque idem experta eſt ANGLIA Seculo XIV, per turbas præſertim a WICLEFO adverſus Clericalem Ordinem excitatas.

67. Itaque cum jam detrectari non poſſent in Regno Angliæ ANNUÆ Regum exactiones; viſum eſt, inquit THOMASSINUS, ut ſeipſo congregatus Clerus ſponte ſua Donum gratuitum decerneret Regi offerendum; ut ſic Parlamentorum non amplius in his exactionibus ageret auctoritas.

68. Eidem Decimarum annuarum oneri (ne penſitationes alias commemorem) ſub idem tempus gradatim ſuppoſitus eſt Clerus HISPANUS, dum Catholici Reges de redimendis e Maurorum dominatu Eccleſiis laborarent.

69. DECIMIS autem anno quolibet ex inducta jam conſuetudine ſolvendis alia poſtea addita ſunt tributa extraordinaria, ut in GALLIIS DONUM GRATUITUM ad comprimendos Calvinianos primo conceſſum, & generis ſimilis alia in Regnis ceteris.

70. Hæc tamen is mirari deſinet, qui militare ſervitium, itemque onus hoſpitii ſive Metatus per eadem tempora ceſſaſſe animadvertet. Utroque enim, ait THOMASSINUS, abſtinuerunt Reges, poſtquam decimæ & Dona increbuere gratuita, & ordinaria atque auctiora in dies hæc ſubſidia evaſere.

71. Decimæ ergo oneribus illis ſuffectæ ſunt: ac in eo ſolum duo illa diſtant, quod hæ perpetuæ nunc ſint, illa eſſent temporaria: hæ univerſos de Clero complectantur; illa ad eos ſolos plerumque pertinerent, qui Regiis FEUDIS, ſeu Dominiis donati eſſent.

72. SED ILLUD eſt conſideratione dignum, ex tota Decimarum, & Doni gratuiti, vel ſimilis collationis hiſtoria perſpici manifeſte, collationes has eſſe habitas ſemper inter ſubſidia VOLUNTARIA & SPONTE data, minime autem inter tributa a Principibus impoſita pro poteſtate & exacta ab invitis.

73. Hic ſcilicet Eccleſiæ & eccleſiaſticis Viris habitus eſt honos, ut in Patriæ communis neceſſitate peteretur ſubſidium, non imperaretur; ſeu *ut Reges PRECIBUS uterentur erga ſacrum Ordinem, non juſſionibus, ut eorum Majeſtati ſubſidio veniret;* uti ſcribit Natalis ALEXANDER in Hiſt. Eccl. Sec. XI & XII, Cap. 7 in fin.

74. Quo agendi modo integra adhuc videbatur permanere Realis Eccleſiaſtica Immunitas; cum nec Canones, inquit THOMASSINUS, nec ulla alia decreta prohibeant, quin SPONTE SUA Clerici conferant aliquid ad Regni neceſſitates.

75.

75. HÆC IGITUR si præ oculis habeantur; conciliari adhuc posse videtur Ecclesiastica Realis Immunitas cum contributionibus illis CLERI, quas superior vidit ætas; etsi ea IMMUNITAS Seculo XI. vi legum tum ab IMPERIO, tum a Sacerdotio latarum, seu etiam interpretatione prudentum, eo devenerat, ut bona Clericorum, inquit THOMASSINUS, tum ecclesiastica, tum hæreditaria, nullo gravari possent onere. Eo scilicet tum communi jure utebatur Ecclesia.

76. Hinc Seculis XIII & XIV, cum Ecclesiæ Prælati viderent antiqua privilegia pessumdari ac deprimi, diligentiores fuerunt in tuenda latis legibus clericali immunitate.

77. Et Provincialia quidem Concilia Gallicana, Germanica, Hungarica non solum ecclesiasticis Clericorum possessionibus, sed patrimonialibus etiam integram asseruerunt immunitatem.

78. Et FRUCTIBUS præsertim, quos Clerici ex prædiis ecclesiasticis aut patrimonialibus percepissent, plenam a pedagiis & portoriis libertatem vindicarunt; dum ne tamen ii conveherentur ad commercia & mercimonia.

79. Accurate Natalis ALEXANDER *in Hist. Eccl. Sec. XIII & XIV* Clericos, ait, exactionibus, procurationibus, vectigalibus, pedagiis subdi passa non est Ecclesia XIII & XIV Seculo, etiam ratione patrimonii & hæreditatis, nisi uxorati essent, vel mercaturam exercerent; & Censuris ecclesiasticis eorum immunitatem defendit. Qua de re legendi etc.

80. Attamen generalia Concilia, Lateranensia tertium & quartum, nec non Constantiense & Lateranense quintum de fundis & prædiis Clericorum intelliguntur; & de prædiis quidem ECCLESIASTICIS tantummodo, minime de patrimonialibus: verba enim faciunt *de bonis Ecclesiarum, Clericorum & pauperum Christi usibus deputatis*, ut Lateranense III habet; cujus sententiam tenuerunt Concilia cetera.

81. Ita quidem dicendum est; nisi forte horum generalium Conciliorum interpretationem ex particularibus Conciliis per ea tempora celebratis velis sumere; in quibus pro patrimonialibus etiam Clericorum bonis, uti dictum est, decernitur.

82. CETERUM nunquam Concilia quæcunque etiam generalia, nec Pontifex quisquam, & neque ipse BONIFACIUS VIII, acerrimus Immunitatis hujus defensor, FEUDA & Regalia Ecclesiæ oneribus propriis & nativis, NON ARTE ADSCITIS, contenderunt esse debere exemta. Et servitia hæc REGIBUS ratione FEUDORUM debita Pontifices rata habuerunt posteriori etiam tempore.

83. Ad hæc igitur exhibenda, ſive ordinaria eſſent, ſive extraordinaria, nunquam Epiſcopi, aut Abbates, vel Abbatiſſæ opus habuerunt, ut PONTIFICIS facultatem eam, de qua LATERANENSE IV Concilium loquutum eſt, expectarent.

84. Hinc THOMASSINUS agens de MILITIA, quam Epiſcopi & Abbates Principi ſubminiſtrabant; hujuſque rei occaſione explicaturus Canonem Concilii TOLOSANI anni 1119, quo vetitum erat, ne pro beneficiis eccleſiaſticis ulla Clerici ſervitia Laicorum obirent; adnotat, DUO beneficiorum GENERA ſejungi debere: alia ſcilicet Eccleſiaſtica eſſe; & his nulla incumbere onera ſervitiorum: alia eſſe laica & ſecularia, uti FEUDA; nec Canones vetare, quin pro his exſolvant Clerici obſequia illis innexa.

85. IN UNIVERSA autem illorum ſerie, quæ in hoc Immunitatis Realis articulo acta ſunt in longo annorum curſu, mirandum non eſt, ſi quando videmus, eccleſiaſticos Præſules & ROMANOS Pontifices fuiſſe in eadem Immunitate defendenda ardentiores. Nam, ut inquit THOMASSINUS, non potuiſſet ſua Clerus JURA & privilegia aſpernari, aut conculcanda objicere, ſive quod PRINCIPUM conceſſiones longa plurium Seculorum POSSESSIO irrevocabiles jam & inconcuſſas præſtiterat; ſive quod EPISCOPIS ex officio incumberet, Principum procurare ſalutem & populorum, quibus graviſſimum piaculum imputaretur, ſi decus & Privilegia Chriſti Sacerdotum conculcari paterentur. Hæc THOMASSINUS.

86. Itaque (dicam ego ad ultimum meo nomine), in hoc toto Immunitatis Realis negotio, ut in Juribus & Privilegiis eccleſiaſticis ceteris, ſunt præ oculis habendi VETUSTI ac legitimi Regnorum mores; & attendendæ in primis ſunt LEGES juſtitiæ, pietatis ac religionis; ita ut ſua ECCLESIIS JURA ſancte ſerventur; & honorem Clero & Eccleſiis debitum lædi PRINCIPES non patiantur, *ſcientes magis RELIGIONIBUS, quam officiis & LABORE CORPORIS, vel ſudore ſuam REMPUBLICAM contineri*; prout per occaſionem reſtituendi quædam Clericis PRIVILEGIA, dictum eſt a CONSTANTIO Auguſto *in Lege 16 Codicis Theodoſ. tit. de Epiſc. & Clericis.*


F I N I S.

IN-



INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM.

NUMERI ARABICI PAGINAM; ROMANI, QUANDO ADDUNTUR, PARAGRAPHOS PAGINARUM INDICANT.



Baluzii

C.

Con-

Disci-

 cete-

Fidei

H.

vid.

I.

Leo-

Mona-

gis

quid

Sacra-

T.


Tho-

V.

quid

FINIS.





De
Finibus
utriusq;
potesta-
-tis